This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`





MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

MÁSODIK OSZTÁLY: IRÓK.

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

X.

DB932
M64
v.10

Nyomatott Emich Gusztáv, magy. akad. nyomdásznál, Pesten, 1876.

ELŐSZÓ.

Verancsics Antal Összes Munkáinak jelen hetedik kötete a nagyjelességü tudós és államférfiú vegyes leveleinek második részét foglalja magában, mely 1549. november 13-kától 1559. martius 7-keig terjed; kihagyása mellett természetesen azon 1553-tól 1557-ig irottoknak, melyek első portai követsége idejében kelvén, az e követséget közlő III. és IV. kötetben állanak.

A jelen kötet tartalma is, mint a hatodiké, öt levél kivételével, Verancsicsnak a nemzeti muzeum kéziratai közt „1681. fol. lat.“ könyvtárjegy alatt őrzött négykötetes levélgyüjteményéből; kettő, ú. m. LXXV. és XCIII. számúak, a győri káptalan codexéből, vétetett. Hármat, ú. m. a XCVII. CXXI. és CXXII. számmal jegyzetteket, sem a muzeum ezen és egyéb Verancsicsféle codexeiben, sem Katonánál, Praynál, s más a holt közlő által használt gyüjteményekben nem sikerült megtalálnom.

Az itt közlött levelek közöl is nem keveset iktatott be Katona István Historia Criticájába, Pray is egyet az Epistolae Procerum közzé; de majd mindig kihagyásokkal. Másfelül a XC. b. alattit én vettem ide (a 346. lapra) Prayból, mely kétségtelenül csak elnézésből maradt el.

Az ívek futólagos átnézése alkalmával csak nehány sajtóhibát találtam, melyeket előleges kiigazíthatás végett itt feljegyzek. A 72. l. 1. sorában *adt:* olvasandó edate helyett; a 145. l. glossájában oct. 23. teendő; a 153. l. 11. sorában: con*de*scendendum; a 189. lapon a levélszám LXXIX; a 207. l. Torda Zsigmond kell István helyett; a 239. l. 8. s. Nostr*a* kell; a 290. l. a levél felirata helyesben: „Verancsics Antalnak, testvére Mihály.“ A többi még ezeknél is csekélyebb. Arra, hogy a LXII. és LXIII. levelek sora felcserélendő, a LXX. pedig a LXIII. után olvasandó az időrend tekintetéből, elég figyelmeztetni.

A Történelmi Bizottság e publicátió nagy fontosságától áthatva — miután különösen Verancsics levelei nem csak a kor történetére, hanem ennek erkölcseire is fényes világot vetnek, és számos érdekes adatot szolgáltatnak a levéliró s a levélvevők magán viszonyaira egyszersmind — nehogy az történetünk nagy kárával abba maradjon, folytatásával Wenzel Gusztáv akademiai rendestagot bízta meg, kinek gondjai alatt fognak a következő kötetek világot látni.

Toldy Ferencz,
mint a Történelmi Bizottság előadója.

ANTONII VERANCII EPISTOLAE.

II.

Az
ány
atá-
is.

I.

Bornemisza Gergelynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Gregorio Bornemizzae S.

Rediens Viennam ex Transsylvania, omnino 1548. nov. 13. credebam, quod hic te invenire debuissem. Tua enim et opera et consilio, auxilioque, compater amantissime, in rebus novi hujus mei propositi potissimum apud regni nostri optimates eram usurus. Sed postquam intellexissem, quod abesses, praeessesque arci cuidam optimae, utilique atque honesta fruereris conditione beneficio principis, longe profecto majorem coepi voluntatem et ista accessione fortunae tuae, dudum jam promerita, quam displicentiam, quod id temporis praesentia atque opera tua caruerim.

Laudetur itaque Dominus Deus, laudetur et princeps optimus, qui tandem ad longa et maxima servitia meritaque tua haud quaquam exigua respexerit. Ego autem tibi etiam mirifice, *) si modo quicquid hoc est, quod collatum est, pro voto sit et ex sententia. Nam quod ad meas res attinet, de quibus postea plura tractabimus, his quidem etiam absens poteris suffragari atque adesse, quippe quem, quum

*) Kimaradt: ‚gratulor.'

et voluntate in me propensum esse non ambigam, tum et amicorum suorum myriadas accomodaturum usibus meis non diffidam.

Proinde dies hodiernus, quod Viennam appuli sextus est. Ubi vel tantisper decrevi subsistere, donec equi ex itinere respirarint, et parem mihi ad hiemem arcendam neccssaria; postea Sarvarium ad illustrem virum Thomam Nadasdinum proficiscar, cui ob exploratam diu jam ejus erga me benevolentiam, cognitamque in gerendis rebus industriam, et in juvandis oppressis integritatem ac studium primordia hujus fortunae meae commisi. Caeterum eundem quoque et portum et auram puppi meae variis ventis et incerto cursu a quinquennio agitatae constitui. Penes quem si et compatris mei charissimi ejusque amicorum patrocinia accesserint nostris conatibus, omnia, Christo et duce et comite, sperabo in rebus meis meliora.

Praeceptoribus fratris mei persolvi ad quadrantem, et visus sum illis peroptime satisfecisse; tamen ago tibi ingentes gratias, quod et puerum paterne complexus es, et novo ejus praeceptori feceris de me fidem, confirmaris utrumque, ne tum de reditu meo, tum de aeris satisfactione desperarint.

Haec officia certe nobilissima sunt, habebunturque apud me immortalia et rependentur, si quae facultas affulserit, non indigna gratitudine. Vale. XIII. Novembris 1549. Viennae.

II.

Slavicus Lukácsnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Lucae Slavico S.

Quod de statu meo, Slavice, scire desideras : mutavi conditionem et locum et principem. Reliqui Heremitam et ejus causam, Reginam quoque ac ejus filium. Ad Ferdinandum vero regem transeo. Quod felix faustumque Deus faxit. 1549. nov. 20.

Defessus equidem eram vane sperando, et colendo numen, quod ne Thraciis quidem hostiis unquam placari posset. Reliqua nunc non requiras. Nihil inconsulte, nihil sine causa, nihil ambitu factum est. Unius me exemi imposturis, adjungam vero viro regi et virtutum contemplatori. Ejus gratiae offeruntur, nostri consilii successus non desperantur. Adsunt autem et amici sine larva, et privati jugo non prememur, neque pavescemus injurias. Vale. XX. Novembris 1549. Viennae.

III.

Verancsics Antalnak Slavicus Lukács.

Lucas Slavicus Wrancio S.

nov. 27. Te ad nobilissimum et legitimum regem ab homine privato, minimeque tibi favorabili transire instituisse, mirifice laetor, modo succedat feliciter et faveat princeps, ut speras; commodis enim tuis aeque ac meis semper sum delectatus. Verum jam si spretus es, a quo dicis, mutuoque spreveris etiam tum hominem inimicum: sat erat, mea quidem sententia, par pari reddidisse, et reliquisse insuper, quem amare nequiveras, quod non redamabat. At, quod reginam quoque ejusque filium, brevi, ut opinio multorum est, regnaturum, dimiseris, quibus ambobus non ingratus eras, quomodo probem non video; timeoque plurimum, ne fortunae facta jactura, transfugae etiam nomen obtineas, et in honore minuaris, cui tuendo quum aetati omni, tum isti maxime, quae jam tibi in senium vergit, incumbendum duco. Plura de his nuncius. Vale. XXVII. Novembris 1549. Slavicae.

IV.

Slavicusnak Verancsics.

Antonius Wrancius Slavico S.

Recte sane sentis, Slavice. Favit quidem mihi 1549. dec. 1. Regina, pro magnitudine sua regia et judicio singulari, quod habet in delectu hominum, affectione non postrema. Amavit filius, quantum per eam aetatem licuit, non inconstanter, tamquam jam vellet noscitare, qua fide, quamdiu parenti inservierim. Complexus est et Petrovius non vulgariter. Heremita quoque publice honoravit et affecit muneribus, omniaque mecum coram peramanter. Nec nobilitas ipsa atque urbanae plebes me non amavere, quum publicis salutationibus declararint, laetos se de reditu meo extitisse.

Praeclara quidem haec, et ad reparandum statum mire apposita. Fateor id quidem certe. Sed expende caetera.

Spernebat latenter suo modo Heremita, vindictae illius studio, quam non ignoras, oppido cupidus. Palam negligebat Petrovius, ut praeter thesauros suos, solet omnia. Regina foemina, exuta authoritate regia, et Heremitae arbitrio gubernata. Filius nimium puer, et diu futurus nutriciorum imperiis vel potius intemperiis obnoxius. Reliqui, ut vulgus, unius potentia et largitione hausti, nutuque recti oppressoris mei. Tu vero mihi quippiam fortunati inter hos spe-

randum censes. ubi tam graphice ista respondeant superioribus? Verum me nemo amentior unquam exstitisset. si diutius ad eam anchoram desedissem, quae me jam pridem fefellerat. pauloque post in talem scopulum tempestate. si vel minima ingruebat, devehebar. ut in ludionem Heremitae evadebam.

Porro. ut praeteream scommata. quae jam in me, adducto supercilio multos ex asseclis ejus passim torquere subcernebam. amici quoque praetereuntem declinabant. tanquam Timonem illum Lucianicum, qui alioqui quum id malorum mihi parturiebam, mecum sane sentiebant: — o sacram auri famem — et nemo prorsus inveniebatur. qui juvaret consilio, oratione solaretur. periculorum commoneret. aut spem vel tantillam cujuspiam portus faceret, nedum demonstraret.

Quod ad honorem spectat: salva sunt hujus omnia. Sine consilio nihil est actum, quod utique ad abeundum non defuit, quum illinc plures id velle possent. Provisum etiam de patrocinio apud regem, et transfugae sive desertoris nomen summotum publica justissimi commeatus petitione, et diplomatibus tam Reginae ac Petrovii, quam ipsius Heremitae, quibus meae aequitati atque candori perhibuere testimonium. Vale. Prima Decembris 1549. Viennae.

V.

N.-nek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius N. S.

Quaeris a me, ut de statu meo aliquid ad te scribam; nec ignoro, quo id quidem nitore animi. Quare respondeo quod maxime cupis et procuraris: ambigua sumus adhuc fortuna, tenuique quadriga vehimur. Paulo post habebis alia et dolebis secus. Rogo te, exue personam, aut aeternum nihil mecum. Non enim delector dybapho. Vale ut velim. Prima Decembris 1549. Viennae. 1549. dec. 1.

VI.

Perneszi Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Prinessio S.

Raras quidem tam ad te, quam ad herum tuum, per hosce IX. menses, quibus in Transsylvania fui, dedi epistolas, quas ex officio debebam sane crebriores. Sic enim receperam me facturum, et amor tuus erga me singularis exigebat. Verum quoniam secus comperi animum illius hominis, quam sperabam, quum eo pervenissem: quanto virium mihi pristinaeque di- 1519. dec. 4

nitatis minus erat, tanto, rejecta audacia, majore ingenio utendum fuit, coactusque sum et Argum agere et auritius caput mihi affingere, quam nunquam alias, ut delatorum turbam evitarem, propter quos, quod mihi parces, vix etiam ea loca libere accedebam, quae honeste nominari non possunt; quum alioqui sponte, profecto, sua nullis officiis, nulla ratione in me convertebatur, et credebat quicquid vel sceleratissimi retulerant, quorum opera frequentissime utitur etiam in privatissimis consiliis.

Hoc totum itaque tempus, quo tecum silui, mecum mihi fuit habitandum, ut limaci cuipiam aut ericio, semperque summa intentione cautissimeque pependi ex ea causa, quae tibi non ignoratur, dans omnem operam, ut illam ea dexteritate eum ad finem perducerem, qui honori meo nihil detrahere, nihil futurae fortunae officere quandoque potuisset, in utramvis partem res mea inclinasset, uti cum hero tuo tecumque constitueram, nolens sedes illas commutare, nisi si recuperare nequivissem.

Nunc, ubi post multam et accuratissimam sollicitudinem vidi illic pedem mihi solius Heremitae causa esse non posse, scito, scenam hanc ad catastrophen perductam, me jam Viennae esse, et propediem Saarvarii futurum hospitem tuum.

Hero tuo, immo jam certe nostro, nihil scribo, quod audio illum in Croatia magnis rebus detineri. Tu, si videbitur et erit per quem, fac de adventu meo certiorem. Offeras illi omnem operam, omne officium, omnem industriam meam in omnes usus, ad quos ero idoneus, petesque meo nomine, ut me utatur, pro arbitratu suo, tam in suis, quam in quorum rebus voluerit, sibique persuadeat, nihili me pericula,

nihili labores, nihili omnia incommoda facturum, ut honori, ut voluntati ejus et me et mores et virtutem meam accommodem.

Ad eum autem tenues fortasse afferam vires, ea tamen fide sociatas, quae erit integra et viro nobili non indigna. Vale. IV. Decembris 1549. Viennae.

VII.

Testvérének, Jánosnak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni fratri S.

Quo loco sim, quod recte valeam et quod brevi[1549. dec. 10.] Viennae me futurum augurer, ex Nicolao Colosvarino intelliges. Interim tu incumbe litteris, ea omni cura, studio, vigilantia, qua te magnopere decere, me supra modum optare non ignoras.

Neque committas, ut interdum segetes, quae principio optima de se spe demonstrata, nullos in messe afferant fructus. Fac igitur, ut initia studiorum tuorum laeta optato fini respondeant. Mei conatus in te fovendo nunquam deerunt, modo tu non desis tibi ipsi. Deesse autem non poteris, si, ut hoc primo anno mihi placueris, reliquis quoque satisfacere eniteris.

Illud postremo scito, habetoque semper in memoria, quod illiterati homines semihomines sunt, litterati vero semidei. Vale. X. Decembris 1549. Sarvarii.

---

cile extricabit, quod probitatis atque eruditionis non contemnendae gratia et diligitur et detinetur. Dabit tamen adhuc hanc brumam huic officio; vere ineunte toto conatu enixurum pro commeatu scias.

Eum tibi commendo, ut communem fratrem, tibi, inquam et partibus corporis et virtutibus modestiaque, tum etiam reliquo morum candore perquam simillimum. Sed quod caput est, dignum quidem duco, immo testificor, ut ejus studiis opituleris et quieti consulas, quae duo tam incredibili voto desiderat, ut quod nunc vivit, vitam non existimet.

Plura scribam epistola proxima, vel unum quiddam potius, quod demirabere, ne stupere dicam. Per hunc tabellarium vix etiam ista potui, quod ille maturabat, ego sero abiturum cognoveram. Vale. XIII. Decembris 1549. Saarvarii.

X.

Antonius Wrancius Gaspari Pesthio S.

Pesti Gáspárnak Verancsics Antal.

Laeta nonnihil de rebus meis scripsi ad te su- 1549. dec. 18
periore epistola, eaque, ni fallor, digna gratulatione amicorum. At quae ex hac praesenti intelliges, uti eram pollicitus, longe etiam dignissima existimabis, quod superarim fatorum meorum non exile punctum, meque adhuc Christi beneficio, mi Gaspar, superstitem sis habiturus.

Discedens Varadino praeter fratrem et Dalmatam illum exulem, quem adhuc apud me foveo patriae charitate, quod receptum nusquam habeat, V. servos mecum deduxeram ex Transsylvania, quorum aurigae duo, reliqui tres erant.

Inter hos Joannes cognomento Mihalffy, ortus in thermis Giogiensibus, quem mihi familiares Michaelis Croatae commendaverant, nescio quo cacodaemone instigatus in meam necem, cum adhuc essem Cracoviae, aurigam inprimis majorem, quem temonis magistrum appellamus, deinde Martinum, de quo nuper apud te non perinde laude digna, postremo omnes alios pertraxit.

Disceptavere postea inter se diebus pluribus de modo rei peragendae, et decrevere primum, ut junior

silva tibi sepulcrum erit, nisi provideris; conceptum scelus collegae mei sine dubio prosequentur, et diris sese omnes devoverunt execrationibus, nisi te die insequenti animose confecerint.

Paulo post, quum jam somnum captarem, nec tamen dormire possem propter sollicitudinem, ecce Cracovia litterae ab homine amico magna celeritate afferuntur, quibus de his ipsis sedulo admonebar, quae bis jam felaitar indicaverat, jubebarque omnino, ne, si velim vivere, ulterius cum hoc famulitio progrederer, quocunque loco ejus litterae fuissent me incolumem assequutae.

Quas quidem litteras ubi perlegi, tute consideres, mi Gaspar, quantus me stupor, quantus furor corripuit, facileque omnes ibidem vel eo momento agebam in furcas, nisi me religionis observantia et fortunae tam labefactata conditio prohibuisset.

Tota igitur nocte consumpta in considerando, quid agere debeam, placuit tandem, ut societatem eorum dirimerem, validiores relegando, Joannemque statim mane insequenti et Valentinum aurigam, dato viatico, et permissis rebus omnibus, quas interim a me acceperant, abegi alio patibulum quaerere, quod apud me vitaverant; tertium, cui Nicoloo nomen est, dudum summoveram, quod molestius omnibus latrocinabatur; Martinus mecum adhuc est, quem de industria mulceo, ut et sui peculiariter et cum felaitaro una quandoque collegarum facinoris testes sistantur.

Habes tragoediam itineris mei, cujus quidem loco libentius egissem comoediam, quod securius cum Demea vel cum Phormione quopiam jurgassem.

Verum enimvero plane ego jam video, quod nunc demum fortuna, ademptis rebus, consenserit in

exitium meum; nisi fortasse hunc conatum ultimum sibi esse voluerit, quod maximum intenderat. Quamquam adhuc mihi nihil tale audeo de illius gratia polliceri, donec sic distrahat incerto statu. Ab annis ferme duobus de XXX. assiduis usus sum legationibus ad diversos principes Christianos et Turcas, quod tu optime nosti. Suscepi praeterea privato studio tot itinera et tam longinqua, ut exceptis Hispaniis, Thracia, Macedonia, utraque Moesia, et quae Tanais, Pontus, mons Carpatus a Ruthenis, et Vistula flumen a Masoviis intercludit, parum quiddam restat, quod in Europa non viderim. Et interea temporis fuere mihi tam domi quam foris servi honesto numero, diversis moribus et ex varia gente recepti, egique profecto omnia illa itinera tanta cum incolumitate et tam feliciter, ut, quum mihi nullius unquam servi culpa vel denarius periisset, tum ne suspicione quidem de hujusmodi scelere in me admittendo, vel propter fortunas vel propter odium, cui alioqui saepenumero tum fuste tum convicio ansam praebuerim, quispiam illorum sese mihi insinuaverit. Nunc vero quod hoc in hac mea malorum omnium conditione et aetate senio jam propiore experiar, equidem majus quiddam esse existimo, quam quod ab hominibus infligi possit.

Sed hoc, ut insanae deae libuerit. Ego certe servorum etiam vilitati magnam partem imputanda duco, qui quidem nisi prius in aliqua civili familia exuerint et excoluerint agrestium morum feritatem, plerumque crudeles, facinorosi et inhumani evadere consueverunt, mihique si candidiores non contigerunt, certe propter obscuritatem fortunae non potuerunt. Valeant (vadant?) igitur ii in malam crucem; ego exemptus tanto discrimini salvus, Christo duce,

Saarvarium evasi et belle habeo. Vale XVIII. Decembris 1549. Sarvarii.

XI.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Chiacchio S.

die 19. Jam ego sum in orbe tuo, nec multum absum ab aedibus tuis, estque quod ubique in silvis sim, et in paludibus. Proinde et Rabonem poto quotidie, quem accolunt omnes tui, et fibro vescor, qua parte piscis est. Laudetur Christus, qui me incolumem, quamquam per magnas servorum meorum insidias, quod a Gaspare Pesthino cognosce, ad institutum locum deduxit.

Excepit me Thomas Nadasdinus pro magnitudine sua supra omnem opinionem meam humanissime et liberalissime, et fovet sic, ut Statilii non meminerim. Nec aliud exigas in praesentia. Spero jam orbitatem meam parentem invenisse. Reliqua quae huc faciunt, ad adventum regis ex Bohemia differuntur, quem kalendis Januariis affuturum fama vulgatur propter comitia Posoniensia.

Sed navigationem meam vides jam in cursu esse et principia laeta demonstrari; faxit Christus, ut succedat, et perveniamus in aliquem portum, in quo statum firmare possimus.

Audio tuos omnes recte valere, doque operam sedulo, ut Stephanum fratrem tuum etiam amplecti possim, et secum de te quam plurima et quam optima,

ut tecum colloquar, qui mihi es et fuisti omnium amicorum optimus.

Reginae soli solita observantia commendes me, quia sola casus meos miserata est, sola fortunae condoluit. Tu caute illi esto fidelis, si Heremitae nolis displicere. Displiceas tamen, vel meo et exemplo et consilio, toti mundo, ut a fide et ab integritate non recedas. Bonum nomen omnes divitias antecellit.

Recens habemus, papam Paulum III. obiisse, Solymanum caesarem Turcarum a Persa ultima clade perculsum, nec plane adhuc quicquam constare de vita ipsius caesaris. Quae nova non sunt multis ingrata, et alterum certe vos melius, alterum nos, quia de papa nullum est dubium. Vale XVIIII. Decembris 1549. Sarvarii.

XII.

Testvérének, Jánosnak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni fratri S.

dec. 19. Videris mihi negligentissimus esse mandatorum meorum. Equidem nequeo jam tibi non succensere, nequam et imperite puer. Quamdiu est, quod jusserim, ut praeceptoris tui Laurentii, qui in Scroteri locum est subrogatus, cognomentum ad me perscriberes, ne dum de illo mihi fit mentio, semper Quendam appellem; de quo quantum erubescam, *) quum amici et qui de nobis bene merentur, aliter tractari debeant, neque quidem sic, ut videantur nobis esse ignoti. Quare effice tandem, ut sciam quamprimum, quid habeat cognomenti, neque committas, ut hoc sub muto N. amplius mihi scribatur. Alioqui, quum Viennam rediero, vapulabis, et quidem usque ad ardorem, ut tenacius memineris. Vale. XVIIII. Decembris 1549. Sarvarii.

*) Kimaradt, a quantum, által feltételezett mondatrész.

XIII.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Tranquillo Andronico S.

Litterae tuae, quas postremo Tragurii dedisti proximis diebus XV. praeclaro et illustri viro Thomae Nadasdino redditae sunt me praesente. Quibus quidem quantum fuerit gavisus, mirandum est non mediocriter, propterea quod te non valere solum non intellexerat, sed vivere etiam nemo afferebat. Annum prope integrum memorabat esse, quod tuas non acceperat, ideoque non jam de valetudine, sed de vita tua sollicitabatur. Hoc ego ad te scribo, quia quum jam tertium mensem agam apud eum, utorque ejus patrocinio non infeliciter, dies sane nobis abit nullus, quo tui et honeste et amanter non meminerimus. Quare etsi non eges a me, ut te edoceam, quantum ab hoc celeberrimo viro, amicis nato, amaris, commendaris, complecteris, quod quidem tute diu jam et maximis et certissimis argumentis experiris atque cognoscis, tamen ut fungar partibus meis, tibi vero etiam in minimis rebus probem mea officia: scito, te illi rem oppido gratam facturum, si praestiteris, ut quam creberrime mittas ad eum epistolas tuas. Tribuit nempe tibi, ut summo viro, non plurimum solum, sed etiam peculiariter quam plurimum. Et si cum quopiam mortalium etiam conjunctissimorum, tecum certe prae caeteris multis una esse peruisse face lopete posset. 1550. jan. 10.

XIV.

Testvérének, Mihálynak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

Ego vero tandem reliqui Utissenium, quod bene[1550. jan. 10.]
rtat Deus utrique nostrum, meque ad Ferdinandum
ęem inclytum contuli. Praecipuo fautore utor cla-
simo viro Thoma Nadasdino, nec id infeliciter
idem. Non desunt et aliorum optimatum patrocinia,
l hujus potissimum in portu, ut in paterno sinu,
entius conquiescimus. Tu sis animo bono, et speres
ıthac meliora, Deo adjuvante. De his plura nunc
ı scribo, quae alioqui quamquam sint pauca, sat
ıen erunt pro mutatae fortunae degustamento. Cura
tum, ut recte valeas, et domum sustentes, uti po-
. Et si quid durius tibi incubuerit propter haec mea
ıpora, ut incumbit, (neque enim nescio aut nolim
dere) quaeso, fer adhuc pauxillum forti animo di-
am hanc in rebus meis voluntatem, neque fatorum
orum necessitate consterneris, quae brevi, favente
nium liberatore Christo, videbis in me aequiora.
rtor autem quam maxime possum, ut nulla interim
ıitatione abducaris a te ipso, immo a ratione ipsa,
ı, scio, te semper excelluisse, donec aliud a me in-
exeris. Jam enim viciniores erimus. Nec ipse ob-
s sum mearum partium et propositae pietatis. Vi-
ı nempe, mihi crede, quibus est vigilandum. Aspi-
tantum votis atque industriae suffragetur, qui

cuncta gubernat et omnium miseretur. Parenti dic salutem et cognatae. Reliquos ut vis. Vale. X. Januarii 1550. Sarvari ex Pannonia Superiore.

XV.

Testvérének, Mihálynak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

jan. 16. Praeterierat me, festinante tabellario, proximis litteris ad te de Francisco Butrisio, optimo inquam illo nostro Francisco, immerito ab avunculo suo patria proturbato, et de pueris scribere. Quare scito, eum adhuc mecum esse, futurumque, dum voluerit; quamquam etiam si volet, errare tamen eum non permittam. Habet in me talem fratrem, absit verbo jactantia, ut suum non desideret, nisi in quantum patria caret, et tam calamitoso exilio maceratur. Tussi quadam admodum sicca vexatur, ita ut aliquando magnopere verear, ne noctu suffocetur. Remediis et medicorum cura non illi desumus; parum tamen adhuc proficitur. Ima pectoris frigore quodam prope scythico ei obriguere, et arteriae faucium, dum excreat, disrumpi potius tumore, quam catarrhum ejicere videntur. Si plura de illo scire desideras, ad eam gracilitatem corporis redactus est, ne prorsus aruisse [illegible] ut habitudinem, qua olim erat, in trireme Dio[illegible] in eo non agnosceres. Puto id ei accidisse ex [illegible] tristissimi sui casus et dolore injuriae, [illegible] a suo sanguine perferre cogatur. Si censebis

convenire, minimeque frustra fore perspicies, rogo te, mi frater, coneris meo nomine ejus avunculum inducere ad capessendam illius restitutionis voluntatem. Sit satis bienni exilio juvenilem errorem castigasse, triennium quod superest exantlandum, donet pietati, donet amicis, memineritque illius proverbii: Lupinum lupos non esse; miscericordiamque magis homines quam crudelitatem decere, ne de affinitate quicquam dicam, qua etiam ferae utuntur, indulgentes suis. Id ex me pro amore, quo sum in Franciscum, et pro ea consuetudine, quae tibi quoque cum eo vel a teneris semper constantissima intercessit, ad te scribo, ad avunculum ejus nuncio. Adnitere igitur, ut amico operam naves.

Pueri ambo recte valent. Joannes jam epistolas scribit suo marte, loquitur germanicam linguam ita exacte, ut Viennae proximis diebus usus sim eo interprete non jejuno. Quum dalmatice loquitur, mirifice balbutit, et Styrum quemdam aut Carinthium potius quam Dalmatam diceres esse. Fit hoc, quod ejus schola uberius his nationibus frequentatur, quod non ignoras. Hieronymus hungarice tantum novit, nec id inepte; sed miro affectu invidet fratris studiis, quod mihi plurimum placet in puero. Parentes hoc filiorum profectu diligenter consoleris, meoque nomine eosdem salutes. Patri praesertim non desis, neque pecces. Senectutem ejus, fac, ut sic cures, ut vitam tuam. Dei praecepti memineris et tuum officium non praetereas. XVI. Januarii 1550. Sarvari. Ex Pannonia Superiore.

XVI.

[illegible] képirónak (?) Verancsics Antal.

[illegible]vanius Wrancius Danieli pictori.

[illegible] tuos et elegantes et doctos et vere poe-
[illegible] doctos, geniumque spirare, et ipsas Musas
[illegible] Apolline suo redolere, nemo est sane,
[illegible] debeat, nemo est etiam, qui in ista
[illegible] tuum non ita magni faciat et com-
[illegible] posterum ex eo maxima, praeclaris-
[illegible] quam dignissima sperare possit. Unde,
[illegible] humanissimus et illustrissimus vir, domi-
[illegible] aureus in Hungaria stndiosorum et vir-
[illegible] hominum maecenas, quum in te vel
[illegible] statim cognovisset, quid ingenii.
[illegible] artium, quid in toto genere valoris na-
[illegible], non immerito sibi adjunxit, sperans,
[illegible] indole et eruditione multa, tum ex
[illegible], quod in te videatur non me-
[illegible] virtutibus claris convenire, exemplo
[illegible] Danielis etiam maximo, idque
[illegible] ornamento non vulgari. Confide
[illegible] coepisti. Felicissima aura in eum
[illegible] in quo non dubites te fundamen-
[illegible] reperturum.

[illegible]harum carminis tui quod at-
[illegible] nostram extendimus, amici-

tiae tribuas, non mediteris calumniam. Multa sunt, quae te excusant, sed solam celeritatem attigero, cui quoniam examinatio adhiberi non potest, raro quid in ea perfectum fieri solet. Quod etiam ante prandium, maturans hero obtemperandi studio, dicis te errores non perspexisse, (jocemur, amabo) concedo. Nam et Musae tuae assuetae in Helicone et Parnasso aquis melioribus, fortasse non admodum ad stomachum fuere illis Narabonis fluvii latices. Verum quoniam nemo scit, qui aliquando nescivit, et seges nulla est sine malo loligine, quantumvis sit laetissima, donec maturescat, nihil ducas referendum, si quando ejusmodi lapsus incurrant tibi. Illud est improbandum, si censuram amicorum repudiarimus, et Apellis pictoris instar non fecerimus, qui emendandas tabellas suas in publicum proponebat, audiebatque et vulgares patienter, soli sutori indignatus, qui ultra crepidam sapere voluerat. Pluribus ad hanc rem non est opus. Nos ut optimum et maximum herum consequuti sumus, ita unum simus, demusque omnem operam, ut eidem et studiis et officiis placere possimus. Vale. XVII. Januarii 1550. Sarvari. Ex Pannonia Superiore.

XVII.

Petrinus Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Petrino S.

Pro Asconio Pediano mitto tibi Anti-Interim Joannis Calvini. Nec existimes, velim, hoc libello tantum putare me tibi esse satisfactum. Promissum curo comparandum, quem ubi primum in manu habuero, exsolvam me debito. Quod si quis alius intra hoc tempus occurrerit hujusce epuli, quo te vesci et delectari intelligo, hunc quoque tuum fore polliceor. Et demum omnibus in rebus, in quibus amicitia mea uti voles, dabo operam, ut invenias me tibi esse amicissimum.

Quod de paroemia: ‚Bovem ad ceroma' scire voluisti, significare ait Erasmus, indocilem docere, ad id muneris quempiam asciscere, ad quod obeundum minime sit idoneus, ingenio repugnante. Nam ceroma unguentum quoddam erat olim apud veteres ex oleo et certis terrae generibus, quo athletae certaturi ungebantur, putabantque eo unguento corpora eorum fortiora et firmiora reddi adversariis. Quod autem ad certamen attinet, quid ineptius aut pigrius bove? Is igitur mittit bovem ad ceroma, qui stipitem philosophiam docet. Huc pertinent: Opera et impensa perīt. Oleum et operam perdidi. Et: Apud fimum vaporem odorum spargis. Hab[illegible] rogaras, plura,

quod feci propter penuriam, quae tibi est Chiliadum Erasmi. Si quando alii similes nodi tibi inciderint, opera mea uti non pigeat, libenter eorum explicationem, quorum optaveris, ad te vel occupatissimus perscribam. Bene vale. XX. Januarii 1550. Sarvari ex Pannonia Superiore.

XVIII.

Dániel képirónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Danieli pictori S.

Quod tamdiu nihil litterarum tuarum acceperim, 1550. febr. 1.
magnopere miror. Nam, quum abhinc discedebas, ita te crebro scripturum prior obtuleras, ut etiam demirer, quod ex eo tempore, me nonobrueris litteris tuis. Multa mihi sane de ista tua taciturnitate in mentem veniunt, scis enim, qui amant, sollicitos esse solere, sed ea nunc non commemoro. Fortasse tales intercessere causae quae te affatim excusabunt. Ego certe, et si sciam, te malo animo non tacuisse, meliore tamen facturum dicam, si vel in fine Comitiorum proloqueris, et scribes aliquid, quum ad me, tum ad Georgium nostrum Pernessium de rebus comitiorum, aut quippiam ejusmodi, quo absentiam suam absentes aequiore animo ferre consueverunt. Interim vero, ne tu quoque hoc ipsum in me jure culpare possis, quod in te ipse desidero, (ambo enim aeque tacuimus), en jam ego occupo officium. Tu si provocatus, adhuc ages Harpocratem, consta-

bit aut amicitiam nostram alte radices non fixisse, aut te Musarum tuarum adeo haustum esse commercio, ut humanas consuetudines non cures, quamquam adduci nequeo, ut id credam, praesertim, quum ad altrices tuas, humanitatis et virtutum deas, mentem conferam. Si itaque amas amicum et omni culpa vaces, quaeso, hunc mihi exime scrupulum.

Ad clarissimum herum nostrum libens scripsissem aliquid somniorum Lucianice, quum Danielem habeat domi, ut ex his remissione aliqua publicis curis, quibus nunc cum patribus in constituenda salute patriae distinetur, praebita, in athletarum morem refici et recreari posset. Verum quoniam nunc vita mea vigilia est, nihil omnino somnio, praeterquam quae interdiu cogito. Ea autem adeo nota sunt ejus amplitudini, ut in facetiarum et jocorum partem eadem ad illum scribere esset profecto absurdius, quam in sole lumen accendere. Tu igitur, candidissime Daniel, offeras claritudini ejus obsequia; et si prorsus tibi nullum scribendi argumentum occurrerit, (quanquam quis unquam vidit lusciniae cantus defuisse) hoc saltem expleas epistolam, quod herus noster belle habeat, quodque tu in ejus gratia quotidie confirmaris. Faveo equidem tuis rationibus juxta ac rebus meis. Georgius Pernessius jubet te salvum esse. Ego vero etiam beatum fieri precor. Bene vale. Calendis Februarii 1550. Sarvari ex Pannonia Superiore.

XIX.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Chiakio S.

De statu meo nihil est adhuc constitutum; ubi 1550. Febr. 8.
erit, scies tu multis celerius. Nadasdini autem animum erga me diu te sane atque optime cognovisse existimo, si jam binas meas accepisti. Quare is ita rem meam movendam promovendamque his comitiis instituit, ut quicquid de ea fieri debeat, non afflictae solum fortunae meae, sed etiam existimationi atque decori meo consulatur. Ejus itaque consilio me adhuc Sarvari contineo, et in horas nuncio prospecto, qui me Posonium aut Viennam jubeat. Discedentem ipsum Nadasdinum ad comitia adusque Capuanam arcem eram prosequutus. Inde ad Mihalium pagum, quoniam haud longe aberat, profectus, XIIII. die Januarii pransus sum cum omnibus tuis et quidem incolumibus. Quid eotum per noctem somniaris aut cogitaris interdiu, non facile divino, lautissimum tamen et laetissimum illud prandium, faciendo salutis et felicitatis tuae memoriam ac precationes ad omne poculum, mero etiam reddidimus madentissimum. Tum quanta voluptate affectus fuerim aspectu domus tuae, non dicam caetera, vix tamen continui me, quin limen ejus osculo salutarim, quod cogitabam te saepe alias parvulum perreptasse. Omnia enim mihi pulcherrima, suavissima et amoenissima videbantur esse con-

bit aut amicitiam nostram alte radices non fixisse, aut te Musarum tuarum adeo haustum esse commercio, ut humanas consuetudines non cures, quamquam adduci nequeo, ut id credam, praesertim, quum ad altrices tuas, humanitatis et virtutum deas, mentem conferam. Si itaque amas amicum et omni culpa vaces, quaeso, hunc mihi exime scrupulum.

Ad clarissimum herum nostrum libens scripsissem aliquid somniorum Lucianice, quum Danielem habeat domi, ut ex his remissione aliqua publicis curis, quibus nunc cum patribus in constituenda salute patriae distinetur, praebita, in athletarum morem refici et recreari posset. Verum quoniam nunc vita mea vigilia est, nihil omnino somnio, praeterquam quae interdiu cogito. Ea autem adeo nota sunt ejus amplitudini, ut in facetiarum et jocorum partem eadem ad illum scribere esset profecto absurdius, quam in sole lumen accendere. Tu igitur, candidissime Daniel, offeras claritudini ejus obsequia; et si prorsus tibi nullum scribendi argumentum occurrerit, (quanquam quis unquam vidit lusciniae cantus defuisse) hoc saltem expleas epistolam, quod herus noster belle habeat, quodque tu in ejus gratia quotidie confirmaris. Faveo equidem tuis rationibus juxta ac rebus meis. Georgius Pernessius jubet te salvum esse. Ego vero etiam beatum fieri precor. Bene vale. Calendis Februarii 1550. Sarvari ex Pannonia Superiore.

XIX.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Chiakio S.

De statu meo nihil est adhuc constitutum; ubi 1550. febr. 8.
erit, scies tu multis celerius. Nadasdini autem animum erga me diu te sane atque optime cognovisse existimo, si jam binas meas accepisti. Quare is ita rem meam movendam promovendamque his comitiis instituit, ut quicquid de ea fieri debeat, non afflictae solum fortunae meae, sed etiam existimationi atque decori meo consulatur. Ejus itaque consilio me adhuc Sarvari contineo, et in horas nuncio prospecto, qui me Posonium aut Viennam jubeat. Discedentem ipsum Nadasdinum ad comitia adusque Capuanam arcem eram prosequutus. Inde ad Mihalium pagum, quoniam haud longe aberat, profectus, XIIII. die Januarii pransus sum cum omnibus tuis et quidem incolumibus. Quid eotum per noctem somniaris aut cogitaris interdiu, non facile divino, lautissimum tamen et laetissimum illud prandium, faciendo salutis et felicitatis tuae memoriam ac precationes ad omne poculum, mero etiam reddidimus madentissimum. Tum quanta voluptate affectus fuerim aspectu domus tuae, non dicam caetera, vix tamen continui me, quin limen ejus osculo salutarim, quod cogitabam te saepe alias parvulum perreptasse. Omnia enim mihi pulcherrima, suavissima et amoenissima videbantur esse con-

...co furore deformata, nec
...ruta forent.
...ata et nepos tertius magno
...ex nepos quartus salutatu-
... mater, gravissima et modes-
...am in uterum pene excrevit.
...endam partum enixura, credo
...ui omnes tuos multis nomini-
...eas, ut te sospite tui quoque
...anus enim hic jam omnes tui.
...bes, sed a me multo longius,
... consuetudine atque convictu
...n quodammodo dirimi videamur.
... quando, quaeso, iterum una.
...inam Chiacchium mihi alterum
...squam terrarum, quas peragravi,
...quibuscum vixi, inveni, et, si cre-
... quoque domo inter germanos fra-
... Ineptire dices Wrancium, (ut so-
...potentiores) gravissimo, severissi-
...ihique semper gratissimo supereci-
...am insanire dicas, licebit. Etenim
...ocriter, quoties ad nostram disjun-
... revoco, quae mihi ita indies fit gra-
...m an usquam sciam vivere ubi te non
... enimvero tuarum erit partium, ut, si
... s potero, tuas des saltem ad me litte-
...es, et his me sustentes imaginibus, post-
...ess vultibus. Si commode poteris, fac me
...as certiorem, quae istic aguntur, praesertim
...inas in me strui intelligis: scio nempe
... quieturos adversarios meos. Ideo juva me
...me, quantum potes. Hic ipse mihi non deero, quum

quippe jam in vado sumus. Vale. VIII. Februarii 1550. Sarvari. Ex Pannonia Superiore.

XX.

Macarius Józsefnek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Josepho Macario S.

Charam tibi et pretiosam, ut scribis, esse meam 1550. febr. 8
erga te benevolentiam, mirifice laetor, quamquam rem mihi nec novam nec dubiam declarasti. Coaluisse enim dudum animos nostros in unam voluntatem, habeo sane compertissimum, teque hoc idem firmissime sentire, minime dubito. Quare non putes me adeo subtili trutina considerare amicorum officia, ut ad amussim usque eorum exactor esse contendam, nec velim ejusmodi minutiora concedere, quae etiam mystis in sacrorum operationibus saepenumero intervenire solent. Accidunt etenim haec (ut tute ais) ex intentiore cura aut studio rerum quarumpiam, quae nobis interdum ita arduae seu graves oboriuntur, ut in se tota mente translata, reliquarum tantisper non meminerimus. Quod quidem ab amicitia discedere minime putandum duco. Alioqui nec sic amicis perpetuo vacare debemus, ut nihil agamus praeterea, nefasque et capitale esse arbitremur, si ex atrio in vestibulum commeando, iis non valedicamus, et remeando, felix faustumque mane et id genus non precemur. Vulgarium et simulatorum sunt leges istae. Nostra sane libertas latior est, et vacua debet esse

ab his suspicionibus. Exsolutum itaque facio te ab ista incuriae, quam metuis, sollicitudine; nihil enim praetermisisti, quod hinc discedens, idque non ita longe, valedicendi commeatum a me non acceperis. Scio, quam dulce tunc et optatum erat tibi hinc eximi, ubi aegre morabare, et evolare ad libros tuos; omenque equidem laetus accipio, quod id cerimoniae omiseris, quia futurum brevi spero, ut una iterum simus, fruamurque mutuo solita consuetudine. Interim autem, sat est abs te mihi, quod de me optime sentis, et dicas semper bene. Vale itaque iis dicamus, quoties libet, qui nobis molestiam dabunt; nos in ostentatione et in fori imaginibus non haereamus illorum instar, qui aulicos et populares fucos persequuntur. Nostra amicitia animis possideatur, nec cerussam curet.

Si recte vales et successu potiris, quem optasti, vehementer tibi gratulor laetorque, mi Josephe, ut de rebus meis. Ad me quod attinet, nihil adhuc de statu meo quicquam possum ad te scribere. Consilio heri nostri etiam nunc Sarvarum incolo, incolamque, donec ipse rem meam commode et cum decore promoveat apud Principem, ubi comitiorum aestus consederit. Si quid interim novi ex Transsylvania perceperis, rogo, non graveris mecum communicare; si quid etiam istic acciderit, fac itidem pro humanitate tua, ut ex te intelligam. Gratius profecto mihi nihil feceris, quam si et hoc officio tibi me devinxeris, ut aliis multis, praesertim autem virtute tua singulari et candore morum summo vendicasti. Vale. VIII. Februarii 1550. Sarvari. Ex Pannonia Superiore.

XXI.

Verancsics Antalnak Csáki Mihály.

Michael Chiacchius Antonio Wrancio S.

Video veterem amicitiam nostram, heu, nimis 1550 febr. 15.
refrixisse, quod meus Wrancius aliis amicis suis, iisque novis etiam scribat de negotiorum suorum statu et fortuna, veteri autem Chiacchio, non tantum amico sed propemodum fratri neque nunciat, neque colloquia familiaria usu litterarum communicat. Mirum quam cito mutari queant ingenia humana, potissimum meliore spirante aura.

Ego tum potero tui oblivisci, quum extremo rogo imponar. Tu vero, mi frater, quam cito memoriam mei abjecisti, etiam stupeo. Sed forte curae, anxietates, moestitiae et vicissitudinum humanarum perplexitates mentem tuam remoratae sunt. Atqui vera amicitia tum praecipue solidi amoris meminit, quum tristes casus huc atque illuc turbatum animum jactare consueverunt.

Ego profecto tui saepe recordor amantissime, et fere defleo absentiam tuam, ex cujus praesentia nunc praesertim uberes fructus decerperem, si mihi adesset. Age igitur, saltem per litteras mecum interdum confabulare et consoleris mea certamina pro vetere nostra consuetudine. Quicquid enim de his scripseris, id mihi semper quam opportunissimum et quam saluberrimum fore non diffidas.

justos libros describantur, novaque quadam industria videatur Roma sibi esse restituta.

His de rebus quum et ipse tenerer studio vetustatum ejusmodi, essemque Romanae magnitudinis cum multis admirator : quoniam legeram apud authores de Sabariensi colonia, eamque etiam divi Martini incunabulis celebrari audieram, non potui non temperare, quin id loci cognovissem, praesertim hac propinguitate hospitii Sarvarini invitatus.

Consequutus itaque quod optaveram, teque comite perlustratis nuper istis ruinis, quas inhabitas, jam sane extremis et vix apparentibus propter diuturnam temporum injuriam; ubi quum nihil nec memoria nec visu dignum reperissem, quod longe secus credideram, praeterquam IIII. titulos in marmoribus, sepulchrales III., quartum honorarium, non potui equidem quin indoluerim et exclamarim : Miseram rerum humanarum conditionem, quod nihil in ea perpetuum, nihil firmum, nihil, quod in suo statu, in suo flore, in sua denique gloria perduret! Miratus equidem sum tanti nominis urbem adeo ab illa vetere commutatam et abolitam esse, ut praeter haec paucula monimenta et nomen ipsum, nihil jam habeat [illegible], quo Romanam coloniam aliquando fuisse [illegible] possit. Verum haec alias doleamus.

In his titulis quoniam erant quaedam notae dif[illegible] intellectus, ajebasque, quosdam in eis hae[illegible] in hac: AN. praesertim, ego quamquam ne me [illegible] satis futurum putavi tantis, ut ita di[illegible], aggressus tamen sum earum in[illegible] majore in te officio, quam aut spe aut [illegible]iendi, quum nec mihi ipsi satisfe[illegible] poteramque sane hoc oblatum, non

quaesitum argumentum vel ea sola ratione praetermittere, quod divinatione potius, quam omnino certa et omni ex parte perspecta ejusmodi notarum cognitione tractandum esse videretur. Quippe quod ad haec vetera opus erat Sphinge et, ut ajunt, Delio quopiam natatore, quum mihi ne Oedipus quidem domi foveretur.

Verum postquam te id optare animadverti, visum est idipsum argumentum novae amicitiae nostrae gratia prosequi et ad te mittere. Quare quicquid id est, et quantulumcunque judicabis, tuo certe nomine factum est, tibique etiam jure debetur. Accipe igitur, et si quopiam loco scopum rei non attigerimus, boni consulas velim, meque satis ad hanc rem attulisse putes, quum amico eam operam praestiterim, quam ei gratam fore cognoveram. Vale. XV. Februarii 1550. Sarvari.

XXIII.

Arsatius Vitalisnak Veranesics Antal.

Antonius Wrancius Vitali Arsatio S.

febr. 24. Placuisse tibi meam interpretationem titulorum Sabariensium ad Beicium datam, gratissimum mihi esse scito, tametsi rem non tanti, quanti abs te fit, habendam putem. Verum quum amicorum erga nos affectibus multa concedi solent, et haec, ut sic dicam, laudationum paradoxa benevolentiae excusatione repelli nequeunt: non aegre abs te accipio, quaecunque et sentire et loqui de nostris studiis velis. Nos interim ipsi de nobis longe minora cogitantes, quam quae etiam in minimis vix locum habent.

Propterea tamen non relinquam libros, nec rejiciam calamum, volvamque et ipse dolium, et utar his quae genius habet, ne frustra habere dicar. Itaque postquam tantopere delectaris et tu officiis meis cum amicis meis: ne quadrimestrem jam mansionem hanc meam Sarvarinam muto ac penitus ignavo otio me arbitreris agere, propediem ad te quoque dabo aliquid horarum mearum et quidem descriptionem Narabonis, qui nunc Raba genti appellatur, ex Lapincii et Rinquae et Guingiessii et Rebczae fluviorum, ac lacus Pelsodis, nunc Fertew Hungaris generali lacuum vocabulo, Germanis vero Nausideris dictus, et quicquid interamniorum est in ipso Narabone, et quibus flexionibus plus quam prope Meandricis circumferatur, quaeque loca eo irrigantur a fonte, qui est in No-

ricis montibus, ad Jaurinum usque. Item, quem in modum idem Narabon sub Hannis (glebarum id genus est latiorum, strirpium radicibus et tellure condensatarum, fluctuantiumque in superficie aquarum) dilapsus, terram in Tygris atque Orontis morem illabi creditur, indeque subterraneo meatu in Pelsodim lacum invectus, et ibi pro capacitate sinus ejus, infusis magnis aquis, rursus ad Besarkanum*) pagum, paulo supra arcem Capuanam ditionis Nadasdinae, velut e specu effervescit, redactusque ibidem mox in alveum, Jaurinum versus e septentrione in orientem cursum reflectit, ibique, mutato nomine vel potius duplicato, ut postea intelliges, Danubio copulatur.

Haec omnia a veteribus praetermissa nostri etiam neglexere, tanquam ea parvi momenti forent quae vetustiores non attigissent. Sed falluntur multi vel in hujus ipsius fluminis conditione, de quo non immerito poterant et Strabo et Plinius magnifice meminisse, quemodmodum de Oronte et de aliis multis meminerunt, qui in mediis cursibus terram illapsi, denuo in alveos suos regrediuntur.

At certe dignum puto, et Narabonem cum his aliis, quos supramemoravi, et quibus potissimum a septentrione acceptis augetur aluitque cum Giungiessio Sarvarum, qui lumen accipiant, idque, nescio, quo tempore facilius quam hoc, quo sub jure et dominio est Thomae Nadasdini, viri clari ac illustrandae et propagandae patriae intenti. Ne forte ut regni fortuna nunc vacillare et periclitari videatur, brevi in horribiliorem barbariem incidat, quam Gothorum et Vandalorum tempestate.

Injeci tibi hanc exspectationem non jactantiae

*) Bő-Sárkány.

aut ostentationis causa, sed ut opem tuam atque industriam afferas meo conatui, mihique adsis Theseus, qui terrae hujus plagam prae multis habes perspectissimam. Vale. XXIV. Februarii 1550. Sarvari.

XXIV.

Verancsics Antalnak Andronicus Tranquillus.

ebr. 25. Reverende domine et amice honorandissime, salve. Ex tuis et illustrissimi domini et patroni mei, domini Nadasdini litteris intellexi, te apud istum virum magnanimum inpraesentiarum agere, illique praecipue ob tuam virtutem acceptum esse; quae sane res delectavit me plurimum, quod forte oblata est illi occasio exercendae suae solitae liberalitatis in hominem conjunctione studiorum mihi perquam charum. Nam quam amans hujusmodi hominum sit, quanta cura provehat bona studia, nemo est, ad quem fama nominis ejus pervenit, qui nesciat. Etsi ego non sum tantae dementiae, ut me inter doctos connumerem, tamen nescio qua opinione vel litterarum vel meae virtutis, semper posteaquam in notitiam ejus perveni, sic complexus est, tot me beneficiis vel absentem ornavit, ut si vel paulum esse gratus velim, illius viri principis tam amantis tamque benefici salutem anteponam meae. Idque tibi pro nostra amicitia consulo, qui nunc primum ingressus es in ipsius amicitiam, ut eam constanter omnibus rationibus tueare.

Litteras tuas extemplo ut accepi, curavi reddendas fratri tuo, a quo exspectabaris hac aestate sum-

mo cum desiderio. Si aliis in rebus putabis me tibi gratificari posse, significes velim: non fallam, ut spero, tuam de me exspectationem. Bene vale. Tragurii 25. Februarii 1560. Tui dilectissimus Tranquillus.

XXV.

Verancsics Antalnak Csáki Mihály

Michael Ciacchius Antonio Wrancio S.

Non dubito, quin permulta ad vos de me per amicos eorumque litteras non perinde plausibilia fuerint perlata, quae facile tibi amico meo singulari dolorem et sollicitudinem conciliare potuerunt. Ego tamen salvus sum, neque adhuc concidi. Non inficior, compluribus arietibus et artificiis fuisse oppugnatam humilitatem meam, adeoque binis jam comitiis vehementibus studiis de nobis tractatum est, ut etiam cuivis maximo viro negotium resistendi exstitisset. Sed tamen adhuc vivimus. Nam quum innocentiam meam et ipse agnoverim, et eam publice totum concilium animadverterit, ita ereptus sum nequissimi hominis technis, cujus tu quoque exulas a nobis intemperiis, ut ne pilum quidem in ea contentione amiserim. Quod uberius referet tibi Constantinus, qui has meas meo nomine perferet litteras. 1550. mart. 2.

Incredibile autem est, quoties tui sum recordatus, qui hic propemodum iisdem malis, quibus nunc ego, ob fidem erga Principem eras obnoxius. Vere nunc viverem, mi et frater et domine, si te collegam

in tanto certamine bene exercitatum, et jam non imperitum, mecum haberem. Magis laetarer de mea victoria, si in tanta palaestra essem adjutus tanti amici beneficiis. Nec desperarem in casibus consimilibus dexteritate et prudentia tua gloriosius emergere.

Haec scribo, ut pernoscas, nondum exstinctum esse Daemona, qui insidietur virtutibus, et opprimere bonos atque innocentiam nitatur.

Tu vero, mi frater, redditus es in scribendo segnior, et amoris etiam fortasse mutui obliviscentior, quod unicas ad me post discessum hinc tuum litterulas non transmiseris. Cuperem equidem quum de tua incolumitate tum de statu tuo aliquid intelligere, et illud scire, ubi nam sit meus Wrancius, quid agat, et numquid ei ac rebus ejus a rege Ferdinando consuli possit.

Hic tibi profecto princeps nostra clarissima nunc quoque favet, et dolet tuae sortis tantam mutationem factam, sed restaurare hoc tempore non potest. Non dubito, quin prospiciet Deus. Vale et valetudinem cura. Thordae ex Transsylvania II. Martii 1550.

XXVI.

Révay Ferenczuek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Revay S.

Contigit, me proximis diebus audivisse, quod 1570. mart. 5.
exstarent apud te reliquiae Historiarum Hungaricalium Antonii Bonfinis, quarta scilicet et quinta decas, quas videndi tantum me incessit desiderium, ut non potuerim me continere, quin eas commodato a te postularem. Quodsi forte fortuna videbor impudenter fecisse, illud existimes, quaeso, me hac libertate fiduciam potius, quae in te mihi est, declarare, quam quod quicquam commiserim, quod reprehendi posse putem. Tacitae autem cuidam accusationi hac excusatione occurro, quae in me fortasse intendi facile posset, quod magnitudine tanti viri tam familiariter uti velim, non ignorans res ejusmodi adeo thesauri cujuspiam loco haberi solere, ut penitissime abdantur, facileque illarum copia non cuivis solum amico, verum ne amicissimo quidem praebeatur. Si itaque tantum mihi est in te favoris et gratiae, quantum esse confidam: rogo te quam maxime possum, commodes mihi ipsius Bonfinis reliquias vel tamdiu duntaxat, donec eaedem poterunt perlegi, praesertim autem si IV. decadem habeas, qua Matthiae clarissimi regis immo Achillis nostri fortissimi gesta complexus est.

Polliceor, me bona fide eas ipsas reliquias servaturum incolumes, redditurumque ita ad diem, ut

spatium diei intercedere non committam. Quantum vero per me fieri poterit, enitar omni conatu, ut id tuae erga me benevolentiae diligenter et cumulate promerear. V. Martii 1550. Viennae Pannoniae.

XXVII.

Testvérének, Mihálynak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

mar. 12. Omnes vos domi ex sententia valere, quod ex litteris tuis intellexi, quas attulit Vincentius Pisanus concivis noster, mirifice laetor. Nos quoque qui hic sumus, adversi nihil habemus. Solus Joannes puer febribus tertianis torretur et excutitur, sed, ut spero, non adibit periculum.

Afflictiones tuae, de quibus accuratius scribis, aeque mihi in oculis semper sunt atque in animo, nec magis, per Deum, mea, quam tua infelicitate permoveor; quod te, nisi iniquus censor esse velis, et scire et credere non dubito. His fatis, frater, suscepti sumus, nescioque omnino, in quemnam coelitum gygantes accenderimus; quamquam ea sum fide, quod ille, cujus id de nobis visum est voluntati, non inimicis magis quam dilectis terrena commoda consuevit adimere, quique etiam suo tempore, ubi clementius post correptionem in suos vultum reflexerit, cumulatius et ablata reponet, et quae reddiderit, efficiet notiora.

His ego te non tam imbuere documentis, quibus es longe me fortasse locupletior, quam monitis quibusdam ad ea agnoscenda revocare saepe jam contendi, sed necquaquam omnia, adeo adversis rebus

succubuisti, animumque ista in tempestate dejecisti, quam nec diu, auspice Christo, spero duraturam, nec tu, mortalium omnium aut civium tuorum dumtaxat solus experiris. Et potes, mea quidem sententia, uberius multis consolari, quod tibi ad reliqua incommoda spes quoque omnes meliores non sint accisae, habeasque qui tui, ut sui curam non indiligenter neque segniter gerat.

Turpe igitur tibi est, quod nec ab alienis exemplis, quorum tibi quotidiani casus vel in patria, ut de alio orbe nihil dicam, ingens copia porrigitur, nec a virtute propria, quam a puero sollicite coluisti, nec a sapientium hominum praeceptis, quibus es instructissimus, petis in istis difficultatibus consolationem.

Qui praeterea me ipsum in tantis fortunae certaminibus, per exteras nationes non sine periculis discursantem, adeuntem quotidiana incommoda, et saepenumero etiam servientem servitutem minime libero atque ingenuo dignam, studio resurgendi, deberes hilari fortissimoque animo ad constantiam confirmare, lamentis prope muliebribus perturbas et frangis. Quod, licet perpetuo feceris, nihili certo citius aut revocabis fortunam meam, aut me efficies rerum tuarum magis sollicitum atque studiosum; quippe qui (ita me clementissimus et pientissimus Deus e libro viventium non excludat,) neque studiosior neque amantior esse possum, quam sum. Novere hoc non pauci mortalium, novit altissimus et immortalis omnium pater Deus, eumque testem facio, mihique jacturam omnium rerum mearum tam coelestium quam terrenarum ab eodem imprecor, si tibi mentior.

Crede itaque jam et conquiesce, in eumque rejice tuum cogitatum, in quo omnia, per quem omnia

et a quo omnia. In me vero vel apud me quicquid est, id tuum est, et erit in tua facultate semper.

Quod de adventu tuo ad me desideras, quum libebit, liberum erit. Tua praesentia et consuetudine nihil mihi nec jucundius nec optatius erit; tantummodo sic domum, sic agros, sic uxorem juvenculam, sic parentem senem dimittas, ne qua ex parte, quum redieris, offendaris alicunde.

De statu et successu meo noli esse sollicitus; evademus, favente Domino, quo aspiramus. Sed hic princeps lente festinat, in quo mihi videtur prudentissime facere.

Tu itidem, quum venies, prudenter iter eligas, ne pericliteris. Scito enim, saltus omnes Croatiae et Carinthiae a martoloszis obsideri. Ideo videris, per Flamonam ne, an per Forum Julii venturus es. Vale. XII. Martii 1550. Viennae.

XXVIII.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Tranquillo Andronico S.

Salvum te et incolumem esse, quod ex litteris 1550. mart. 12.
tuis intellexi, quas accepi V. die Aprilis,*) magnopere gavisus sum. Nadasdinus noster abest hoc tempore ab aula publici cujusdam negotii partim, partim privata causa. Qui alioqui, si affuisset, occasionem hanc ad tuas rescribendi nulla ratione praetermisisset. Nam quum te mirifico quodam amore prosequatur, eodem quidem certe et tuas legit animo litteras, et ad te dat suas, ultroque tui quam saepissime recordatur; quumque interdum serius tuae ad eum perferuntur litterae, considerato forsan aetatis tuae statu, mox te obiisse existimat; quod fit in nobis, ut colligo, amoris vehementioris causa, quippe quum, quod magis ac magis timemus amicissimis nostris vulnus, id frequentius in ejusmodi casibus menti nostrae obversatur. Facies itaque rem pergratam clarissimo viro, tuique imprimis amantissimo, si semper ad eum, quum dabitur, scribes.

Ego jam sum apud Principem; spes, ut in primordiis, non exigua fit ab amicis et fautoribus regu-

*) Iráshiba: ‚Martii' helyett; mert martius 12-én nem lehetett az aprilis 5-én vett levélre felelni.

[illegible]

[illegible]

Res Transsylvanae odiis Heremitae atque Petrovii fluctuant si unquam magis nunc maxime, et perniciosius nunquam. Ab imo enim etiam vetustissima et quae utrique dudum exciderant excitata sunt et in medium prodita.

Tu interim, o senex fortunate, exemptus jam hujusmodi perturbationibus atque tragoediis, quaeso, vitae incumbas, tranquilleque. Tranquille, fruaris et musis et aucupiis, piscationibusque tuis; nec des Dal-

matiam pro toto mundo, Tragurium pro urbe quamvis felicissima. Miserum me, quod sero intellexi patriae suavitatem et quietem. Me isti nobilitati Tragurinae, rogo, commendes diligenter et quidem de meliore nota. Tuos autem fratres nepotesque, ut nostros salutabis. Vale. XII. Martii 1550. Viennae.

XXIX.

Verancsics Antalnak Csáki Mihály.

Michael Ciacchius Antonio Wrancio S.

Miror quod rerum, quae istic aguntur, quid sci-1550. mar. 18
licet de statu et negotiis tuis confectum sit, quid de papatu certi statuitur, quisve hunc ipsum obtinuerit, deque id genus aliis, pectusculum tot fluctibus curarum et sollicitudinum obrutum excitans, refocillansque, ad me veterem amicum tuum, quin potius servitorem, nihil scribas. Ego tui numquam non recordor, diesque et noctes profecto mihi obversaris. Mei vero memoria apud te, heu, jam pridem videtur esse oblitterata, et restinctus amor, qui quantus semper fuerit, nullis argumentis potest comprobari. Majorem certe ego ex tuis litteris consolationem caperem, quam ut credis, si sponte tanto solatio Ciacchium non orbares.

Sepone ergo anxietates tuas, quibus scio te etiam non carere, ac suffurare nonnihil otii, et confabulare cum amico saltem per litteras, quando coram non licet.

Ut autem nonnihil calamitatum nostrarum attingam, nunc experior aulicarum theoricarum festivas praxes. Teneo, quae agebantur et tentabantur in ne-

gotiis tuis conventu Vasarheliensi, et alibi. Consimilia, immo atrociora nunc, mi frater, ipse video innocentiae meae praetendi et jam duobus comitiis. Tuta tamen semper fuit probitas, et Deum habuit patronum. Me quoque ita illaesum eripuit, ut ne fimbriam quidem vestimentorum meorum ignis tetigerit, adeo ut ipse miratus sit Sylla hic noster saevissimus, qui ejusmodi motuum et fluctuum seminarium fuit. Mecum igitur, mi et domine et frater, consilio divino gratias agito, meoque exemplo discas praecipue Deo fidere.

Haec scripsi, ut si forte locutulei, garrulique sinistri quidpiam de me sparserint apud vos, aut tristia vociferati sint, scias futiliter mentitos. Nam ego ex sententia valeo, neque quicquam, quod nolui, mihi accidit. Regina princeps nostra cum illustrissimo filio suo recte valet.

Adhuc hic Thordae sunt, quod propter exundationem fluminis Aranias, Albam hactenus redire nequiverunt, quae ubi subsidet, confestim eo se conferent.

Quo loco, quave existimatione sit frater meus Stephanus apud clarissimum virum Nadasdinum, rogo te, fac ut ex te cognoscam. Tui autem hic crebra mentio fit et dolent universi absentiam tuam rerumque tuarum tam subitam mutationem, sed omnium, quae tibi contigerunt, causam in tua ipsius consilia transferunt. Vale. XVIII. Martii 1550. Thordae ex Transsylvania.

XXX.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Chiacchio S.

Binas tuas hiisdem fere de rebus intra triduum, 1550. apr. 24
quod successit idibus majis,*) accepi litteras, easque sane nimis sero. Quapropter mira indignatione execratus sum tabellariorum incuriam ac tarditatem, vereorque idem meis quoque accidisse. quas te desiderare scribis, quum jam a meo a te digressu senas ferme de multis rebus diligentissime dederam. O perditissimum genus hominum, o servitia non ferenda, dignissimique mortalium omnium, qui male pereant, postquam sic dormitant in amicorum negotiis.

Verum, nae tu vir magnus es et Hercules, qui Antaeum prope nobis confecisti. Gaudeo equidem, tecumque laetum paeana, atque Io, Io, Triumphe! singulari laetitia decanto, quod evaseris eam, quam scribis, publici furoris tempestatem, vel, ut verius dicam, furiae istius vestrae ardentissimas in te faces innocentia atque modestia tua restinxeris.

Proculdubio virtuti, integritati, aequitatique omnia improba, iniqua ac vitiosa cedunt, tutelaque optimorum principum fortissimum solet esse munimentum contra perditorum hominum insolentiam. Sed quum et princeps ista integerrima servi sui succubuit dominationi, longeque paret abjectius, quam Claudius

*) Úgy látszik, iráshiba ‚aprilibus' helyett.

ea magis laetarere, si me haberes in tuis castris. Foret, fateor, id quidem sic, et libenter tecum ubivis gentium periclitarer, modo ne cum monstris et immanibus brutis pugnaremus. Verum necquicquam cupis, quo te Heremita spoliavit; alioqui te quoque ibidem esse vellem, ubi mecum esses, ubi pace et securitate fruereris, cum homine rem haberes, et mitioribus casibus exercereris.

De statu rerum mearum puto cognovisti jam litteris superioribus, quae acta sunt hactenus. Quum erit, et quicquid erit, non sinam te diu ignorare.

Papatum Joannes Maria cardinalis, modici generis homo a Monte cognominatus obtinuit, mira fortuna, sed potissimum favore Alexandri Farnesii cardinalis, qui collatis in eum suis fere XXV. suffragiis, dum Galli cum Hispanis in sortiendo pertinacius contendunt, negantque Itali, hoc orbis terrarum fastigium in Transalpinos conferendum, primus papam acclamavit, et pro more, ut Romae dicitur, adoravit, quum alioqui Montis mentio nulla moveretur inter fratres. Primis diebus assumptionis ejus optimi papae nomen tulit, verentur tamen multi, ne paulo post felicitate rerum et potentia mutatus, in antecessorum vestigiis consistat. Eo sibi plurimum laudis vendicavit, quod concilium principio omnium actionum ultro edixerit, ejusque potestatem in Carolo imperatore posuerit, de loco nullum discrimen facturus, etiam si illud in Belgio, Bruxellae haberi velit.

Quod in fine adjecisti: magnum istic esse mei desiderium, et casuum meorum fortunaeque mutationis tam adversae meis consiliis ascribi causam, — papae, cur non exsiliam? cur amantissimorum mei benevolentiam non agnoscam? cur non credam tibi?

Ego vero et exsilio, et agnosco, et credo sane plus quam multum, sed si et tu credas. Annos V. post Heremitam officiosissime in Transsylvania discursando exegi supplices, nec potuerunt isti Thrasones explere tam ingens desiderium, cum mei tantam, tamque diuturnam, ultroneamque copiam habuerint? Heu quam timendum, ne sit hoc fucus, charissime Chiacchi, et Megaricum commentum, nonnullique, qui hoc desiderii comminiscuntur, morionem me Heremitae fieri voluissent. At interim isti ipsi sint, quibus turpissime jugum imposuit et servituti assuefecit.

De Kendino nostro quid referam? heu dolenter dico, quid, inquam, referam, caeteris praetermissis? qui se scit tam integrum utrisque praestare partibus, quique aliquando nostrae cohortis miles erat. Nonne vidisti, quanta dexteritate solitudinem meam declinabat, quum ipse audirem vituperationem multorum commorantium in circuitu, factus omnibus ut vas perditum et timor notis meis? Nonne qui videbant me, fugiebant a me, et oblivioni dabar tanquam mortuus a corde?

Sed sic humana transiguntur. Et rara quidem in mundo est integritas, rara pietas, rarissima vera amicitia, eaque potissimum, quae utilitate non ducatur. Sic enim et Naso ait:

Rara quidem est virtus, quam non fortuna gubernat,
Quaeque manet stabili, quum fugit illa, pede.

Verum eruditi, moderati, et rationis homines bene compositae, debent, ut sapientes volunt, et in prosperis iidem esse, et in adversis fortes ac generosi.

Quid jam utrique nostrum faciundum sit, neutrum credo ignorare. Et quamquam ego jam in harena

gladiatoria non sum, ut tu es, aeque tamen mihi quidem est ac tibi necessaria fortitudo cum pudore, cum inopia, cumque nova servitute depugnanti. Tibi omnia faciliora sunt, eoque etiam securiora, licet dimicas cum Phalaride, quod res est domi integra et protegaris fortuna Principis.

Frater tuus Stephanus tuique omnes quomodo sese habeant, nescio. Nunquam enim Stephanus ad me scribit. Nadasdinus amat tuos, te vero magni facit. Stephanus autem, quod mihi ignoscas, videtur esse nimis paganus. Raro est apud eum aulici officii gratia, quod in illo plurimum ego improbo, tu vero corrigas. Vale. XXIIII. Aprilis MDL. Viennae.

XXXI.

Verancsics Antalnak Csáki Mihály.

Michael Chiacchius Antonio Wrancio S.

pr. 28. Per Andream Pesthienium mense Martio dedi ad te unam epistolam, et aliquanto ante aliam per servum quemdam Volfangi Bornemyzzae, quas si bona fide perlatas accepisti, facile cognovisti, quae nos fata urgeant, quibus anxietatibus et difficultatibus distrahamur atque distringuamur. Et spero non esse opus litteris, si vel cum iis, qui comitiis Colosvarinis interfuerunt, contulisti, vel nostrorum hominum mores, praesertim vero hujus Nostri, penes quem summa rerum existere censetur, intimius perspexisti. Quid plura? Crede, mi frater, tot me perplexitates in hoc statu meo impetiverunt, et de loco deturbare conten-

derunt, ut ipsi mihi saepenumero fuerit miraculi vice. Nosti humilitatem meam, nosti mores humi repentes. Nosti item hominis hujus potentiam, tenes ambitionem et habendi affectum immensum. Et tamen in contemptissima mea personula voluit Deus vincere, et impetui fastuoso modum facere. Nec tulit fluctus maris transire fines nos.

De his ex animo uberius colloquerer, si coram tecum constitui liceret. Sed video fatalem hostem, qui tibi quoque nunquam bene voluit, quod Transsylvania tota novit et pars Hungariae non exigua, mihi imminere, et prorsus id consolationis ereptum esse.

Regina inter tot aerumnas, quibus distinetur, tuam tamen sortem magnopere commiseratur et dolet casum. Id singulari consolationi ducit, quod ipsa nullius unquam mali aut sinistrae fortunae tuae materiam sumministravit.

Brevi curabo negotio illi tuo ex voto respondere. Sed nunc ob incomparabiles anxietates, quibus circumvallor, tam cito nequeo. Ignosce igitur, et felicissime vale. Secunda feria ante Sophiae 1550. Albae Giulae. Ex Transsylvania.

[redacted]

tunatissimi; iratum vero quum — vel teste Esaia- mulieres, pueros, imbecilles, infortunatos et tales, quibus cum virtute nihil, nihil cum divina mente communionis intercedit.

Itaque consideranti mihi, jucundissime Hasenbergi, multarum reipublicae nominis christiani partium hinc excidia atque inclinationem, illinc amplissimorum caesarum nostrorum institutionem, religionem, vitam, magnitudinem, potentiam, fortunam, dotes, inquam, quas rari antecessores eorum ab ipso Carolo Magno una omnes complexi sunt: dudum equidem videor mihi in eam opinionem venisse, hos proculdubio nobis divina providentia datos esse, qui, si sanis sensibus perspicere velimus, et damna et injurias suorum ulciscantur, collapsumque genus humanum in abominationes et vitia, ad verum cultum erigant et ad honestatem morum reducant. Ac vereor etiam plurimum, ne res christiana diutissime inposterum gravioribus bellorum difficultatibus affligatur, si eorum ductu eorumque temporibus non reparabitur. Optimorum enim principum temporibus et instituuntur regna et reparantur, quemadmodum contigit etiam Romano imperio, quod non quidem sub Domitiano aut ejus similibus, sed sub Trajano, cognomento et reipsa, Optimo et moderatissimo principe assurrexit feliciter et movit lacertos fortiter.

Haec nuper, aliaque id genus plura dum expendo mecum, subito incensus quodam fervore, nescioque an plane poetico (diu enim tum Musas tum Apollinem ipsum intermisimus,) erupi, atque ea in hos conjeci versiculos, *) in quos Oppolitanus incidens, juvenis sane non exigui genii ad condendum carmen,

*) A verseket nincs a levél mellett.

stravit. Quis enim in vili et imbecilli hoste gloriam invenit. Verum consulerem tibi, si me audires, ut saepius in harenam cum isto gladiatore non descenderes. Scis, quam clandestinis ultionibus delectetur, quamque multos coeco verbere, ut Hungaris est in proverbio, pulsare soleat. Sed haec tu videris, in quo prudentia et consilium non desideratur, quique probe hominem nosti. Ego certe si tecum esse possem, aeque tecum periclitari non refugerem, tueremurque fortasse commodius, quod et tu sentis fortunae nostrae conditionem, communibus consiliis, quaecumque illa esset, quae in nostrum statum incidisset. Sed postquam id extorsit tibi, immo et mihi Heremita, litteris saltem multis disjunctionem nostram solemur.

Angores itaque, quibus et in extremis litteris tuis circumvallaris, hoc solo evitabis, si arte artem deludes, nec aperto Marte cum tam versuto et potente hoste crebro congredieris. Limiti autem et lateri latius optimae principis insistendo, Deo te assidue commendabis, ac illum precabere, ut fluctus istius maris vestri vel ea sola causa fines suos transire patiatur, quo Pharaonem tuum vel etiam nostrum tandem jam aliquando deglutiret. Eo enim nisi coelesti ictu liberabimini, frustra omnes arcus vestros intendetis.

Reginae, quod aerumnas et sortem meam miseratur, habeo ingentes gratias. Nulli certi malo, nulli ulteriori fortunae meae materiam illa suppeditavit. Alterius vim sentimus, cujus causa utinam non et ipsa infelix ad extremum absorbeatur, ultimaque adeat etiam ista provincia, filiusque Joannis in Turcae manus incidat, vosque omnes in servitutem abigamini. Ejus majestati me etiam atque etiam commendes velim.

Ex Italia scribitur: novum jam pontificem Julium III in impuberes conferre cardinalatus, fratribus ducatus venari et coemere, nepotes vero in principum familias conjugiis asserere. De concilio fama feliciter procedit. Tria in caesarem fertur pontifex rejecisse: ut curet quo et catholici et lutherani serio ad concilium conveniant; ut reperiat modum et rationem, qua utrique loquentur et de quibus articulis tractari debebit; tum demum: ut quae ibidem communi consensu patres decreverint, sint toti reipublicae christianae rata, ejusque authoritate sic firmentur, ut sine ulla inposterum controversia constantissime observentur.

Scribitur etiam, quod in his Augustanis comitiis agetur potissimum de imperii successione, et de ipsius concilii loco, ratione et tempore; hisque confectis caesar Carolus, dimisso filio Philippo in ducatum Mediolanensem, transmittet in Hispanias, quod ei medici consulunt, si vivere et valere velit. Maximilianus revertetur ad suscipiendum Hungariae diadema. De Hungaria vero ab hostibus vindicanda et in pristinam formam asserenda rarus est sermo.

Mihi reverendissimus dominus Nicolaus Olahus, vir clarus et antistes, animoque in me maximo, archidiaconatum in ecclesia sua contulit, cujus possessione per procuratorem accepta, ipse quoque petam Augustam. Tu jam illi negotio. quod te rogaram, respondeas velim, cujus moram si longius proferes, majore me damno afficies. Vale. XVI. Maji MDL. Viennae.

XXXIV.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

). máj. 10 Forense novum est et vulgare, Orozlanum, perfractae temeritatis saevitiaeque inauditae juvenem cum ingenti milite Agriam venire oppugnatum. Is est Mehmeti illius, hungarici nominis perversoris, olim Belgradensis passae filius, et Colloclensis Hathvanensisque ditionis sangziacchus, nuncque etiam Agria adjecta est, missaque dona a caesare, framea, arcus, sagitta et tiara turcica, quam tulbentum vocant, et mandatum acriter, ut nisi eodem illo ferro velit cadere, Agriam primo quoque tempore obsideat et in suam potestatem redigat.

Numerant cum eo XV. sangziacchos et LXX. M. hominum; quae copiae ubi et unde tam repente tamque sensim et clam nobis, in his finibus contractae sint, nescitur, nisi si de coelo cecidissent, proptereaque id omnino adhuc ambigitur, certosque authores non habemus. Quamquam ajunt etiam, ita eos paratos jam et propinguos esse, ut Agriani nostri dudum expaverint, miserintque his de rebus nuncium ad antistitem suum in aulam, qui nuncius, hesterno vesperi, mutato in hac urbe equo, magna celeritate iter est prosequutus.

Huic rei quanta est fides adhibenda, non satis scio dicere, (solemus enim de Turcis omnia minus

credere, quod cum iis pugnare non vellemus;) si tamen ad perfidiam gentis respiciemus, quae nulla fide nullisque pactionibus teneri consuevit, ea sane ipse sum opinione, quod inducias procul dubio violabunt, atque ita ingruent aut in Transsylvaniam aut in regis nostri ditionem, ut vere de coelo eos cecidisse cognoscemus. Invigilant enim ipsi rebus suis et intendunt successibus. Nos dum alia domi curamus et sociorum regna ambimus, hostes foris nostris augemus, eosdemque minus parati rebus bellicis, tanquam ad Eurotam oscitabundi, desidentes exspectamuas.

Omnino mature hortandus esset princeps, nunc praesertim in hoc imperiali conventu Augustae celebrando, ut Hungariae curam et cogitationem capesseret, quae jam quum, quod palam est, ad summam rerum lineam devenerit, verendum est, ne paulo post, ubi Turcae perfecerint, quod conceperunt, sero nos clypeum induemus, nempe jam accepto vulnere, ultimaque demum et patriae et spei sollicitudine exuamur. Bene vale. XX. Maji MDL. Viennae.

XXXV.

Balthus Bonifácznak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Bonifacio Baltho suo salutem.

Jun. 8. Nudius quartus quum dies festus celebraretur sacratissimi Christi corporis, videram in tua domo, praeteriens, ingentem Viennensium numerum matronarum, quae eam pompam spectatum venerant, nescioque, medius fidius, ipsaene magis spectatae sint, an ipsa pompa, adeo coelestes potius quam Viennenses omnibus esse videbantur.

Porro tanto splendore erant circumfusae, propter tum formae, tum aetatis ornamentorumque praestantiam, ut ea pompa nihil aeque et inspiciebatur et mirabatur. Ego vero quicquid in coelis, quicquid in terris lucis existit, in tuam domum descendisse existimabam. Nam oculi singularum soles esse apparebant. Quid plura? Beatum et felicem multi dicebant esse Bonifacium. Hoc ipse de felicissimo domus tuae momento carmen feci et ad te misi, quod benevolentiae nostrae gratia habeas gratum, velim. Vale. VIII. Junii 1550. Viennae. *.)

*) A versezet nincs a levél mellett.

XXXVI.

Selli(?) Eleknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Alexio Sellio S.

Mira fiunt hoc nostro saeculo; utque alia, quae 1550. jun. 18.
his diebus diversis in locis contigerunt, praeteream, unum certe recensebo vel propter viri memoriam, qui in oblivione esse non debet, multarum enim nationum et mores novit et urbes vidit.

Petrus Babay, cognomento Kys, homo ingenii et industriae non contemnendae, Joanni vero regi jam inde a coronatione ejus summa fide atque constantia charissimus, intimaque familiaritate adjunctus, superiore Martio, quum a nobis rediisset in Transsylvaniam, — adhaeret enim Joannis filio — correptus quadam aegritudine, eadem illi in insaniam desierat, adeo ut et familiae et Principi et amicis et omnibus denique obviis conviciaretur, et si quid ad manus habere posset, verbera etiam incutiebat, nec lapidum jactu abstinebat, quapropter ligatus domi tenebatur, summa vigilique tum servorum tum uxoris cura custoditus.

Mirum erat omnibus, unde vir et prudens et consilii non exigui, modestiam professus, tam cito tamque misere insaniret. Multa in eum consumpta sunt remedia, tandemque, horumne auxilio, an divina gratia, quod inculpatissimae vitae semper habitus est, an

etiam suapte naturae beneficio adjutus, utpote in re accidentali et alias semel jam in eo cognita, quum moldavica captivitate teneretur, non facile affirmatur: tamen jam convalescit et mentis compotem fieri afferunt. Sic enim scribit ad me Chiacchius meus: „Petrus Babay compater meus coepit incolumitati pristinae restitui. Non adeo, ut prius, delirat, nec occurrentibus conviciatur. Aequiore etiam in familiam animo est, planeque jam de eo bene spero.“

Ago ingentes gratias Deo Optimo Maximo, quod non privabor tanto amico, quodque illum tanta infelicitate noluerit consopire, suos vero sempiterno moerore afficere atque tristitia. Nisi forte et ipse velit ei similis esse, qui in insania felicitatem reputans, dixerit: Pol, me occidistis, amici, non servastis. Atqui non credo tam alte illum insanisse, ut prorsus oblitus fuerit, quod sapere dulce est, calamitosum rideri coeteris. Vale. XVIII. Junii 1550. Viennae.

XXXVII.

Hasenberg Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Hasenbergio S.

Annus mihi quidem videtur exiisse, quod te non 1560 jan. 20
viderim, duo sane jam esse, quod nihil ad te scripserim. Nec me minus hoc, quam torquet illud. In utroque enim est, quod reprehendi potest. Sed, ut ex altero propter justam moram, eamque nondum longam, adhuc omnino nihil in me culpae pervenit, ita in parte altera plurimum etiam criminis adiisse me non inficior, quippe cui quotidiana publicorum tabellariorum facultas non deerat, ac debebam equidem nova etiam quadam ratione mittendarum ad tantum amicum litterarum occasionem mihi comparare et propemodum parere, ne officium meum toties oratione tibi oblatum ac deditum, re minus probaretur. Nihil enim et ineptius committerem, quam si in nudis tantum verbis amicitias collocarem, et inhumanius, si benevolentiam tuam a sola virtute tua ultro erga me excitatam et profectam, jamque magno et certissimo argumento demonstratam non solum agnoscere sed etiam perpetuo tenore colendam, amandam, conservandamque mihi nollem proponere. Verum est quidem, quo me huic culpae eximam, nec praeteribo excusationem, ne omnino incuria videar id officii praetermisisse.

Etenim fui quidem certe satis sollicitus de lit-

teris eā ate interdum dandis, sed quum per meam in hac urbe novitatem, omnium ejus morum, institutionum, negociationumque rationes perspicere et pervidere tam repente nequiverim, factum est, ut de facultate etiam cursorum publicorum serius fuerim edoctus. Sic itaque de meo erga te officio judices, sic de animo tibi persuadeas velim Ac si excusationem meam accipis, veniam quoque securius postulo, oroque ut hac vice neglecti officii culpam mihi, quae tua facilitas est atque humanitas, condones, imposterum diligentiam meam hac in parte non desideraturus.

Tu si et valetudine prospera et optato rerum tuarum cursu frueris, magnopere laetor cupioque id ex tuis litteris cognoseere. Ego enim recte valeo, quamquam in magna sollicitudine ob amicorum meorum, tui praesertim absentiam. Sed spero ad summum intra XII. diem me quoque ad Augustanum iter fore paratum. Nec enim aliud moratur me, quam extrema manus cujusdam familiaris negotii, ad viaticum pertinentis, quod vel unis litteris, quas in horas expecto, conficietur. Igitur non est tibi dubitandum, quin adhuc me tuae litterae sint hic consequuturae, modo vel extremam occupationum tuarum horulam mihi dare non recuses.

Nova si quaeris, Viennae, providentia optimi, pii felicis principis quieta sunt omnia; de finium etiam tumultibus mitiora, quam quum discedebatis hinc, afferuntur. Ex Transsylvania id habetur. Oratores, quos Heremita ad Turcam miserat, redierunt; iis audiendis publicus Thordae conventus decretus est, et laetane an tristia retulerint, is qui haec mihi referebat, ignorabat. Barbarus tamen imperavit Heremitae CCCCC. equos Transsylvanos, Petrovio CC., misit-

que pro his utrique pecuniam, ne gratis eos petiisse videretur. Quantum haec res habeat fuci, nescio an poteris perpendere, quod ejus factionis ignoras conditionem. Novo certe vectigali, nisi me fallit opinio, sternit Tyrannus viam, et jugum sensim pergit iis injicere, quos in plagas pellicit. O egregium venatorem, o fallacem Heremitae et Petrovii in Turca fiduciam. Nequit, nequit, mihi crede, turcica perfidia cum iis, quibus imminet, ullis vel aequitatis vel honestatis terminis consistere. Hactenus Valacchorum erat hoc tributi genus, de quorum equitiis meminit Strabo VII. libro; jam et Transsylvanorum erit. Verum eos quantum putas animi habituros, ut vel quadrantem pro his equis accipiant? alioqui mox ingratitudinis arguerentur, ne quid pejus divinem, tamquam parum a Turca accepissent: frui scilicet, ejus beneficio, libertate et patria. Novi equidem ego latronum praxes et insolentiam, vereorque insigniter, mi Hasenberge, ne ad tributum solitum, quod quotannis pendunt Solymano a Valpensi, Soklosiensi, Quinqueecclesiensi et Strigoniensi excidio, appendant jam et equorum pensionem, paulloque post ubi huic quoque oneri clitellam eorum sufficere viderint, cogantur demum et impuberum suorum decumas dare. Sed vivunt augusti, vivunt optimi et fortissimi caesares nostri, vivantque, obsecro, et valeant, idque jam tandem injuriarum, vibrato in orientem gladio, non ferant. Si quae alia occurrerint litteris digna, officiosissime ad te, dum hic ero, perscribam. Tu vero mei memineris et felicissime valeas. 20. Junii 1550. Viennae.

XXXVIII.

Verancsics Antalnak Nádasdy Tamás.

Thomas Nadàsdinus Antonio Wrancio S.

jún. 27. Ternas a te accepi litteras, de quibus gratias ago et ad eas breviter respondeo. Laetor et regiam majestatem Lyncio, et caesarem invictissimum Colonia salvos Augustam properare. Deus fortunet omnia et itinera et acta majestatum earum.

Jam pridem intellexeram, comitia indicta esse Thordae, et quidem sic, ut omnes armati convenirent, ac metarentur castra ad Aureum Flumen. In quem finem nescio.

Cur sorori scribam, non est. Nam si quid de marito suo cognoverit, sine etiam admonitione faciet me certiorem.

Illud ex urbe Roma, quod ridendum esse dicebas, non potui equidem non ridere, rideoque etiam num. Verum fruantur suis voluptatibus, modo ne bella serant.

De equis petitis a Turca recte judicas. Nam et dum donant equos, et donantur equis, utrumque in Christianorum perniciem cedit. Comes*) sanus ne sit an aegrotus, vivus an mortuus, nihil refert. Nam ipse nihil aliud curat, quam ut gratificetur suis Rascianis et aurum congerat. Valeat ut meretur. Ego eum plus

(*Petrovicsot érti.

quam Hrustanum odi, et forte jam incipiam de eo palam loqui ut de albo graeco amicus ille noster. Chyacchium nostrum salutes meo nomine. Vale. XXVII. Junii 1550.

XXXIX.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

Litteras tuas ad Cancellarium et ad me heri ac- 1550. jún. 28
cepi vesperi. Hodie statim lucis initio curavi alteras Augustam perferendas, alteris, saepius eas perlegendo, valde sum oblectatus, praesertim quod riseris illud muntare (?)

Novi hoc habeo. Hesterno die rediit ex Turcia orator regis nostri cum amica, ut ajunt, expeditione. Ex eo quidam audierunt, vim parari apud Turcas in Transsylvanos propter Heremitae et Petrovii intemperies. Quantum hoc veri habeat, nondum comperi, sed sciscitabor diligentius, donec verum intelligam; quamquam quid ea de re dubitari oporteat, de qua vel inde ab initio nullam unquam habuimus securitatem. Id tamen si omnino verum est, timendum erit, ne deficiat ingenium Heremitae, et in seriis nesciat sese versari Proteus. Facile enim cuivis esset volenti Turcae palpum obtrudere, dum ille interim aliis connivet, ut alios praeripiat.

Petrovius sanus nunquam fuit, nec vivens vivus est, optimeque illud in eum quadrat: Aut dudum obis

set, aut natus non fuisset. Merito itaque et palam loquendum est de caudice, nocentissimi anguis domicilio; odioque haberi meretur, non quo Hrustanus solum, sed quo Agrigentinus ille Phalaris. Nihil enim quum sit homine frigidius, quis crederet, tam calide nequiterque perniciosum esse in rem praesertim publicam non privatam, in alienam non suam, in multorum denique bonorum non unius avari et servorum suorum servi. Quapropter valeat, ut scribis.

Ad Chyacchium tuam salutationem ascripsi, quemadmodum volueras. Bene vale. 28. Junii 1550. Viennae.

XL.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho praesuli suo S.

1 jul. 2. Beneficium qnoddam non exile, ut referunt, vacavit per hosce dies Strigonii, cujus causa dudum quidam istuc jam profecti sunt, quod ego serius quidem intellexi, quam res mea postulabat. Quamquam igitur satis verecunde agam pro me ipso in hoc beneficio consequendo, quum adhuc nulla merita me in factione vestra commendent: non desunt tamen causae, quibus id audere non expavescam. Clementia inprimis, bonitas munificentissimi principis tui, deinde singulare judicium quo polles in hominibus cognoscendis. Non dubitans igitur, certum te jam et persuasum esse de integritate mea, qua in istius optimi principis servitio reliquum id aetatis meae sum exacturus,

te praesul amplissime, majorem in modum peto, ne dedigneris, si licebit, viderisque e dignitate eque re mea futurum, mei apud serenissimum regem meminisse. Nihil volens interea tanto domino, tamque pio parenti meo, de me jam non mediocriter in episcopatu suo merito vel oneris vel molestiarum imponere. Cujus quidem erga me animum tanti facio et facturus sum per omnem vitam, quanti quidvis beneficiorum, quod in homines quam dignissimos conferri possit. Omnia enim optima et felicissima mihi accessisse perspexi, ubi me in gremium benevolentiae tuae vidi pervenisse. Sed ex me quid vicissim velim polliceri aut debeam? equidem praeter fidem atque obsequia nihil invenio magnitudini tuae convenientius.

Haec tamen ita jam data, dedita atque addicta tibi sunt, ut nisi morte mea divelli a tuo limine minime queant. Quicquid igitur tua opera tuaque commendatione accedet mihi fortunarum, id tuum censebo semper, nempe in tuum hominem collatum. Vale. 2 julii 1550. Viennae.

XLI.

Hasenberg János, az ausztriai főherczegek tanitójának Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Hasenbergio archiducum Austriae praeceptori S.

50. jul 8. Quoniam saepenumero solent mihi verba deesse in re propria, equidem facilius aliena, quam mea curo propter verecundiam, quae me deterret a temeritate, et inpudentia, quum et amicis nostris vel in mediis periculis deesse non debemus, et in propriis rebus plerumque philautia nobis opponi potest. Si igitur in praesenti meo privato negotio in quo patrocinium tuum requiro, brevior ero et minus apparatus, oro te, ne ideo contemnendum ducas, sed agnita mea in te fiducia, ita rem promovendam aggrediare, ut verborum et praefationis phaleras non expendas. Sacerdotium quoddam non exile, ne dignitatis ultimae vacavit, mihi ut refertur, Strigonii, pro quo obtinendo dudum quidam istuc jam avolarunt. Ego, qui adhuc in eo sum, ut prius in obsequia optimi principis perveniam, quam beneficia petam, nondum vel tenuibus subnixus meritis, vereor sane, ne id sero cognoverim alteriusque vulturis, juxta M. Martialem, hoc erit cadaver. Utcunque tamen sero, nolui praetermittere, quin et ad te, et ad praesulem meum erga me propensissimum litteras darem in mei commendationem. Ad praesulem quidem, ut ad parentem et virum eminentem, ad te, ut ad amicum optimum, et qui me nulla

re alia, quam humanitate tua propria, et divino quodam instinctu ductus tum amare, tum complecti prior inceperis. Da igitur operam, ut, cum eodem praesule meo re communicata, consequar hoc sacerdotium, possimque minore molestia aeris regii eidem regi nostro clarissimo, ubi ipse praeceperit, inservire. Quod si minus merebor praeveniri ejus munificentia et gratia, succurrat tantae majestati, Deum etiam, cujus principes in terris vicariam potestatem gerunt, priorem dona sua in humanum genus contulisse, nihilque nos vel cogitare posse, quo et Deo ipsi, et principibus nostris satis pro acceptis unquam gratificari possimus. Non dubitet igitur invictissimus rex Wrancium sublevare, et suis partibus admovere. Forsan sicut postremum ab adversa factione cursu fatorum recepit, ita non inutiliorem multis, qui hactenus in hunc modum fortunam mutaverunt, experietur. Et si aliis de rebus cuncta modestius debeam polliceri, illud certe audacter etiam edico, omnem me operam daturum ne ejus majestati impudenter unquam molestus sim, sed id totum in illius assiduis et praesentibus servitiis impendam, quicquid ejusmodi beneficiorum in meam tenuitatem contulerit, gratiam ejusdem majestatis et clementiam pro illo amplissimo et in seros nepotes usque transmittendo opum foenore habiturus. Pluribus amorem erga me tuum non sollicitabo. Scio amas me, quodque tum auctum, tum ornatum velis. Et quum id saepe jam ultro magnis in locis tentaris, nunc certe a me monitus et rogatus deesse mihi minime debes. Sed quid dixi, debes? An accepisti aliquid, et alieno teneris? Nequaquam, Hasenberge mi jucundissime, sed amicitiae nostrae mutuae quum jure, tum fructibus utor. Vale. Julii 1550. Viennae.

XLII.

Hasenberg Jánosnak Verancsis Antal.

Antonius Wrancius Joanni Hasenbergio suo S.

Jul 7 Nocte proxima quum mira nimbi cujusdam vis urbem hanc horribili tonitruum et corruscationum terrore affecisset, sola turris campanarum divi Stephani ter de coelo tacta est, nec eam tribus tantum in locis afflixit, sed in pluribus, dum eam intra et extra violentius fulmen percurrit adeo, ut ad eas fracturas reparandas dicant magna pecunia opus esse. Numerum ejus exprimere non audeo, quum fracturae ipsae videantur esse non perinde grandes, communis tamen omnium vox est, de tribus millibus Rhenensium nummum, ad idque opus peragendum annum requiri.

Caeterum quum aliis nostris de rebus nihil est, quod scribam, scribam externa, ne ullum tempus praetermittam, quo aliquid litterarum mearum accipias. Afferunt, Polonos concessisse tandem regi suo uxorem, cujus causa totum illud regnum hactenus turbabatur. Ea tamen conditione, ut de ea coronanda, deque liberis, si quos ex illa susceperus esset, ad regnandum eligendis prorsus omnem spem et cogitationem abjiceret. Dura amanti et praesertim principi a subditis conditio. Verum sic bonus juvenis evictus procerum suorum pertinacia et libertate, omnino succubuit, et in concordiam cum iis rediit, quam bono, quamque aequo animo, forsan melius perspiciemus

cubuit, et in concordiam cum iis rediit, quam bono quamque aequo animo, forsan melius perspiciemus, ubi paulo post evaluerit. Sed ne humanis rebus unquam desit Erynnis aliqua, odia nobilitatis a filio versa sunt in matrem. Insimulant hanc, multa olim dum imbecillitate mariti fracti jam senectutis incommodis regnum moderatur, severius licentiusque, quam pro muliebri sorte conveniebat, praedia et possessiones privatorum usurpasse. Nunc quique sua reposcunt, hisque de rebus eodem comitiorum loci judicia agitant, regina ipsa non plus a comitiis quam uno milliari distante. A Turca etiam non sunt quieti. Superioribus mensibus non exigua Turcarum, Tartarorum et Valacchorum manus fines eorum ex ea parte Poloniae, qua eas nationes attingunt, per Podoliam, transito flumine Borysthene invaserant. Pretvicius homo slesita, belli gnarus, et in hostiles incursus promptissimus, qui ea loca praesidio tuetur, cognito hostium adventu, et jam de insidiis quoque in vicinia dispositis factus certior, dimisso in arce, cui praeest, Ochyakovo nuncupata, parvo milite, cum reliquo ipse quoque in insidias e regione hostium perexit, facta prius late apud hostes fama de sua aliorsum profectione, simulque mandat arcis praesidio, ut ubi hostes impetum in arcem fecerint, edant ingentem omni ex parte tubarum, tympanorum et bombardarum fremitum, quamque maxime possint, persuadeant hostibus ea specie, milite arcem non esse vacuam. Adveniente itaque designato eruptionis tempore, erumpunt ex insidiis barbari, summaque vi atque alacritate impetum in arcem faciunt. Pretvicius accepto signo oppugnationis, quod suis praeceperat, prodit etiam ipse, bifariamque divisis copiis, accurrit impiger, et in ho-

stium terga, qui longe majore numero erant, quam ipse, irrumpit. Insperata invasione tantum fertur terruisse Barbaros, ut ne vultibus quidem ad imminentes Polonos conversis, extemplo se se in fugam effuderint. Pretvicius eos ad Borysthenem usque continuata victoria insequutus, qui jam ob veris vicinitatem imbecilliore glacie tenebatur, in tantum casum adegit, ut qui cis amnem substiterant, ruina glacierum in aquis oppressi sunt. Minimo numero fuerunt superstites. His de rebus missi sunt oratores ad Polonum, qui Turcae nomine Pretvicium cum commilitonibus suis ad necem exposcant, quod si minus libuerit, CC. M. florenorum exigunt propter foedus violatum. Fuere quidam, qui dedendum hosti Pretvicium censerunt, ne saepius id controversiarum cum Turcis habere cogerentur, viaque hinc patefieret justo bello cum hoste tam potenti atque invicto. Iis pene totus conventus infensus fuit. Major pars et forsan etiam melior nec Pretvicium strenuum bellatorem dedendum nec tantam pecuniam hosti dandam contenderunt, judicantes, virtutem et honestatem turpitudini esse anteponendam. Haec igitur sententia ab omnibus demum approbata est etiam si bellum erit cum Turca suscipiendum, Pretviciusque in publica Comitiorum celebritate mirifice laudatus est et in praetura confirmatus, quod hostium insultus tam saepe retundat, nec gentis Polonae dignitatem existimationemque patitur impune vexari. Rarus enim est annus, quo et bis et ter Tartaros Tauricae Chersonesi, quos nunc Praecopenses appellamus, in Polonorum fines excurrentes non aliqua clade afficiat, ob idque indignissime ferunt tam fortem et animosum virum tamdiu superesse, et praeesse finibus illis. Deus bone, quid sum-

mi et potentissimi principes in Turcam non possent, si privati quidam in quibusdam locis possint et praestant. Sed fortasse aliud agunt, ut certe agunt. Me tibi unice commendo, tibique precor omnia optima. Vale. VII. Julii 1550. Viennae.

XLIII.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Chiacchio S.

Quod inprimis gratum tibi fore existimavi, hoc 1550 aug. 1
primo loco scribo. Lis tuorum, de qua saepius jam ad me dedisti litteras, cupiens ejus cursum intelligere, quum fratrem, ad quem potissimum id officii pertineret, habeas in scribendo negligentissimum. die XXVIIII. Julii per compositionem finem est consequuta. Praedia et possessiones cum colonis XV. dierum spatio a compositione inter partes ex aequo dividentur. Proventus percepti hactenus concessi sunt possessoribus. Impensae vero ab utrisque factae damnaque tum illata tum accepta remissa mutuo [illegible] tantum hominis interempti ex communi ambarum partium collatione persolvetur. Interfuere compositioni, quae coram Thoma Nadasdino comite comitatus Castriferrei facta est, Franciscus Bathianus, Andreas Ciorom, Andreas Tarnocius Praepositus Ciornensis, Ambrosius Beicius, Valentinus Feoldvariensis, Antonius Wrancius, et plerique alii hujus comitatus nobiles viri. Respirabis itaque jam ab hac XV. [illegible]

norum sollicitudine, nisi alia mox succedat, quae itidem molestiae sit allatura. Praedia enim ad Moriczhelium pertinentia, quae Ciacchios dumtaxat et Bizeredios propinquos tuos concernere intelligo, restant tuis in jus vocanda, nihil tamen aggredientur te inconsulto, et puto reliquorum bonorum recuperationem fore multo faciliorem, priorum et majorum palma obtenta. Familia tua tota est incolumis, et fratri tuo Stephano nata est filiola cui Annae nomen indidit. Secure igitur jam avarus potes esse, qui nunquam fueris, etiam si habitus es. Hactenus enim duae tantum neptes dotem a te postulabant, accessit nunc et tertia, ob cujus nativitatem puto te etiam priorum molestiam sensurum. Sed quid haec tuae industriae? Stephanum tuum jam non ut hortator, ut monitor, sed ut impulsor, summo interdum etiam stomacho adigo, ad te ut saepius scribat. Non induco tamen, surdior enim est dalmatico littore ac parum profecto tui similis. Excusat negligentiam suam parochorum et litteratorum hominum inopia, quum dicat, nimis se inter agrestes et rudes habitare. Quo fit, ut nequeam non illum parvi facere, et deferre apud te, ut reformes hominem ad ingenii tui formam.

Rex applicuit Augustam IIII. die Julii, Caesar VIII. cui frater ad tertium ab urbe lapidem processit obviam cum sex millibus equitum, et peditum tribus, pulcherrime et ditissime apparatis. Fuere cum Caesare ex principibus Philippus ejus filius, et Joannes Fridericus dux Saxoniae captivus, reliqui per intervalla succedebant. Augustani primum omnium coacti a Caesare restituerunt omnia templa, aras sacraque in pristinum morem, quem ex Martini Lutheri doctrina immutaverant. De annonae in ea urbe caritate

ut optasti. Omnes fere litteras quas ad me das, legendas illi porrigo, plurimumque delectatur voluntate tua erga se, quam ex his ipsis litteris tuis intelligit, certusque esse debes, quod officia tua non aversatur, cujus quidem jam et ingenium laudat, et modestiam constantiamque adversus odium et calumnias Heremitae in coelum effert; quodque nec ejus cedis tyrannidi, nec tot malorum concursu frangeris, magnum te aliquando in Hungaria, quae tibi patria est, futurum divinat. Ad eum, quod te magnopere hortor, debebis creberrimas litteras dare curareque summo studio, ut ex te potissimum semper aliquid de statu Mailadi cognati sui cognoscat, quandoquidem nullum ei praestatur gratius officium, quam quum de ipsius Mailadi vita atque carceribus scribatur, quem habet anima sua sane chariorem. Quapropter si saepius uteris secum hoc genere officii, profuturum tibi olim polliceor. Est nempe Nadasdinus quum vir probus, humanus et acceptorum memor, tum in hac factione nemini seu magnitudine seu liberalitate concedens, ne nunc de ejus prudentia, authoritate, potentia, et quod sit Principi charus, commemorem. Redeo ad tuas litteras, quibus prosequebare tua duorum Conventuum pericula. Ad eas, puto, multis responderam, et quaedam mordentius de Heremita sub Antaei nomine, adeo ut animum meum de homine isto facinorosissimo facile potuisti cognoscere, si ad iram vires haberemus. Verum quoniam conditio nostra parva est ad afferendum quippiam momenti, utramvis partem complexi fuerimus, ego quoniam subduxi me a bellua ad optimum regem, tibi consulo, ut te tumultibus istis Heremitanis non immisceas totum, qui quidem aliis etsi non paucis jocus esse videantur, in ipsius tamen Heremitae cum

Regina et Petrovio concertatione multum mihi crede inest et publici et privati periculi, vereorque proculdubio, ne nunc demum lucta eorum in luctum tum posteritatis Johannis, tum in istius provinciae desinat eversionem, decipiaturque et Heremita altis suis consiliis, et Regina atque Petrovius Turcae pollicitationibus. Vale. Kalendis Augusti. 1550. Sarvarii.

XLIV.

Slavicusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Slavico suo S.

Pirata Dragut cognomento Rais, qui Barbaros- 1550. aug. 5.
sae successit in piratica, videtur nomen hoc tempore non exiguum latrociniis obtinuisse. Cum XXXV. partim triremibus partim biremibus omni militum machinarumque bellicarum apparatu instructis proximo Junio in Hispanian irruperat, expositoque mature milite, oppidum quoddam Valentiae vicinum fertur vi recepisse et convertisse in praedam. Edita deinde vastitate, quacunque ingressus est, abegit in captivitatem multos homines. Late postremo caeteris afflictis, et terrore in ea regione dimisso, incolumis illaesusque, salvis etiam suis omnibus, ad classem evasit. Illinc in Majoricam insulam secunda navigatione atque uno spiritu statim transvectus, alio oppido potitus est, cujus direptis opibus multisque mortalium caesis, vulneratis et in servitutem actis reversus est in Africam. Caesarianum praesidium quod erat in

Sicilia, Neapoli, Genuae et Barchinonae, quum per sese nullum illorum occurrere hosti fuerit ausum, nec omnes in unum tempori coire potuerint, frustra postea conatus suos habuerunt elapso hoste. Andreas Aurius, tutor maris inferi, et summus caesarianae classis imperator male audiit, quod inter tot praesidia, et pene sub ejus oculis, tam exiguis fretus pirata viribus penetrarit in viscera Hispaniae, et fere nec animadversus cum praeda et victoria redierit. Quare assidue dicitur sollicitari Andreas a Caesare, ut Dragutum persequatur, et secum manus conserat. Turpe sibi esse, inquiens, si, quum sit tot regnorum ac gentium victor, tot hostium et rebellium domitor, domum suam ac peculiare et avitum regnum latrunculorum injuriis patere sinat, praesertim vicino et se et suae classis praeside, tot rebus saepe alias bene gestis claro. Impulsus igitur Andreas tam ardenti partim stimulo caesareae existimationis partim honoris proprii periculo, in quod insignis cujusdam viri invidia et contentione conjectus est, qui recepit se Dragutum in potestatem Caesaris deducturum, si tanti Andreas Aurius non fuisset, decrevit in omnem eventum et principis voluntati obtemperare, et jactantiae respondere invidi ac detractoris sui jam veteranae virtutis senex, et dux famae non incelebris, quamquam id fortasse discriminis libentius evitaret, ut jam magis quietis indigus quam concertationum militarium cupidus; tentaturum tamen ajunt fatigatum Dareta velut cum Entello fortunam. Idque summa jam in expectatione facinus omnium est. Sed is Andreas Aurius si forte tibi esset ignotus, civis initio fuit Genuensis summi ordinis, qui complexus usus bellicos, eminentiorem claritudinem recepit, praesertim dum

nae victoriae et commodi, relicta in ipsius sinus faucibus classe Veneta, quae se non segniter in prima acie hosti opposuerat, nihil dubitans de victoria. Habes Andream Aurium. Accipe jam de Draguto, in quo fovendo et conservando malis christiani nominis, simili ratione hujus ipsius Andreae enituit industria. Homo est afer, tenuique rerum suarum initio, atque fortuna non majore nixus quam duabus biremibus, quas id temporis vulgo Fustas appellamus, sustentatur; audacia tamen semper fuit memorabili, quod potissimum requirunt latrocinia, animoque ad pericula non inprompto. Igitur quum hac exili manu nimis temere exerceret piraticam, et mare inferum infestaret, incidit abhinc ferme decennio in Andream Aurium, ubi conserto secum praelio vicit, veniensque Dragut in ejus potestatem sex annos catenatus in illius trireme remigem egit. Concessa deinde redimendi sese latroni facultate, recepit ab eo tria millia aureorum nummum, et libertati restituit majore avaritia quam pietate. Sic liberatus barbarus et pirata saevissimus, minime exstitit segnis in ulciscenda servitute tam diuturna. Profectus enim inde in Africam, biremiumque circiter XVI. comparato numero, denuo mare ingreditur, quantoque effectus erat ex captivitate cautior, tanto majorem in eos induit crudelitatem, a quibus libertatem obtinuerat. Opibus enim ac viribus opinione omnium celerius auctus, ad memoratam tandem captivitatis suae ultionem appulit animum, et intra tempus admodum breve tantam reddidit in etrusca atque ligustica ora vastitatem, ut a Tiberini fluminis ostio ad Massiliam usque clauserit prope omnes portus, trepidarintque innumerae et insignes cum ipsa Roma civitates; neve alia damna, quae in-

tulit illis gentibus, enumerem, XXV. M. hominum ajunt in eis regionibus fuisse desiderata, quos partim captivitas latronis exhausit, partim ferrum absumpsit. Proinde annis proximis faciebat stipendia apud Magnum Turcam Sulimanum, facileque erat evasurus in summum ejus classis moderatorem, si in officio perstitisset. Verum tractus ardore vindictae, quam sciebat se non posse rite prosequi, propter quinquennales inducias, quae sunt id temporis cum Turca regi nostro, si sui juris non fuisset, recessit a fide Solimani, et ad haec latrocinia studium convertit. Hinc igitur Dragut Reis magnus est, hinc piratarum nostra tempestate primus habetur, et alioqui hac etiam ratione non contemnendae potentiae judicandus est, qui Valentiae urbi ex primariis Hispaniarum non ultimae ausus sit tam propinquus insultare. Unde et oratorem suum ferunt nunc esse apud Solimanum, quod Constantinopoli scribitur, secumque agitur de reducendo iterum ad Tyranni munia, remque omnino quaesitam finem sortituram; quo simili modo existimationem Draguti apparet esse in Turcia etiam primo loco. De qua re ipse quoque nihil dubito, credoque quod abeunte Turca in Persiam, relictus fuerit in nostro mari caesari nostro lacessendo, commento Turcico, ne usquequaque conquiesceret, donec ille a Persa rediisset. Cui conjecturae vel haec ipsa facit indicium reconciliatio, rara omnino cum privatis hominibus summis principibus. — Sed jam concludam epistolam. Ego ad te semper do aliquid rerum novarum, aut me aut nihil unquam, aut saltem nonnihil aliquando idque ex trivio desumptum, adeo secretus es consiliarius, puto, quod novus sis, vel quod [illegible] tari velis inter Cares. Vale. V. Augusti 15[illegible].

XLV.

Hasenberg Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Hasenbergio S.

sept. 2. Quum tuae literae allatae sunt, aberam Vienna, et quamquam studio Oppolitani nostri mature eas habuerim, nulla tamen idonea rescribendi data est facultas. Profectus eram ad Thomam Nadasdinum, privatae rei non parvae causa, apud quem exegi mensem integrum. Inde reversus Viennam, tertianis febribus duos et XX dies torsus, et curatione pro medicorum consiliis summa diligentia usus, tandem convalui. Jam stomachum jam vires instauro, pauloque pristinae habitudini restitutus, Agriam proficiscar, quoniam parvo succinctus peculio, ac bursa quotidiano sumptuum convitio divexata, Viennensis fori voraginem non sustineo. Quod itaque ad humanissimas litteras tuas attinet, curae tibi esse res atque honores meos, meque ita amari abs te, ut scribis, novum hoc apud me jam non habeo. Et ne commemorem, quidnam hoc tempore rogatus tam pro commodo, quam pro dignitate mea egeris apud Olahum meum antistitem, quae ad me dudum summa cum tuae magnitudinis commendatione perscripta sunt, certe jam saepe alias audivi, quanti me ultro feceris apud multos, quaque oratione mihi et morum et virtutum pene omnium praeconia tribueris. Quae quidem omnia eo ex ampliore quodam, ut ita dicam, benevolentiae tabernaculo profecta esse dignoscuntur, quod apud cla-

tate commodi; sed postquam, ut velimus, non succedit, Deo rem nostram committamus, in quo sitae sunt sortes nostrae. De Oppolitano quod scribis. Diu sane jam et antequam tuas accepissem, summa diligentia conatus sum illum ab aestu suae profectionis removere, omnia ea recensendo in dissuasione, quae tu ad eum et ad me perscripsisti. Cognoveram enim dudum, quantum id ei per communem antistitem licuisset. Ideo quum viderem, omnino decrevisse proficisci, quodque diceret, mecum velle, nihil rationum praetermisi, quibus eum visus sum posse dimovere a proposito. Nec aliud, ut judico, illum detinuit, quam mea serior profectio. Nolebat enim cum alio. At ego cognito, quod Augustam ipse hoc tempore non essem visurus, quanquam ei deinceps molestius non obstiterim, ducturus tamen illum nullo pacto eram, quum fortunae ipsius gratia, tum honoris mei periculo. Facile enim me et impudentiae Olahus insimulasset, si id eo inscio; et fortasse etiam sempiterna indignatione repulisset, quod pro parente nollem. Hanc cantilenam Oppolitano saepe decantavi subinde monens, ne provincia destitisset omnium illi apud herum suum honestissima; et si quo animo alio inclinaret, mandatum postularet, suo affectui non obtemperaret. Sed quid? scis motus juveniles, scis desideria. Ea tamen illius, etsi sua laude non careant, quoniam lucem litterarum ornamentis affectet, nihilominus quantopere deliquisset, Augustam inexspectatus veniendo, plane jam novit etiam ipse, et accipit animo aequiore monita nostra. De oratiuncula autem et versiculis ejus nihil nunc; sed supra aetatem omnia. Nuper intra diem VIII. plura quam III. M. hexametrorum fecit Sigismundo Hermenstano*) equiti, et viro nobilissi-

*) Herberstein.

mo, quae, qui non viderunt titulum, majoris cujusdam poetae, quam Oppolitani esse judicarunt. Juvenem itaque tibi unice commendo, dignumque offero, cui parens esse velis. De novis Augustensibus habeo gratiam. Ea, uti ascripseras, cum tuis amicis communicata sunt opera Oppolitani. De languore vero Comitiorum non laetus audio. Nam hic multa multi. Sed certe jam deberet principibus Germanis sat esse domestici Martis incommodorum. O quanta felicitas regnorum est, quanta quies, quanta unitas, quantus consensus, quantae vires, quanta diuturnitas, quibus unus imperat! Exemplorum plenae sunt historiae. Nostra etiam aetas videt. Sed qui numero imperantium gavisi sunt, vel soli succurrant Graeci, quorum civitates dum singulae imperium sibi vendicamt, quam misere omnes et imperium et libertatem amisere. At utinam ii jam tandem aliquando desinerent tumultuare, et formam imperii, confirmato sibi imperatore, assumerent. Caeterum et securitate illi facta undique, optimo, inquam, et fortissimo et fortunatissimo caesari, sinerent eum a Turcis orbem vindicare, quibus delendis vix orbis satis est. Carolus solus datus erat, nisi gloriae Dei et ejus triumpho invideretur, maleque quidam optarent generi christiano. De Belo regulo africano a Serypho pulso. Enimvero placet in eum Caesaris pietas. Sed si tale momentum adjunctum est ejus fortunae, quale erat Solimano in Joanne olim, et nunc est in filio, consulerem utendum occasione, ductuque Beli tentarem Africam. Sin minus, equidem nollem caesarem optimum et prudentissimum in Beli levitate experiri, quod in Elcasso regis Persarum fratre non sine et damno et pudore expertus est Solimanus. Nam et votum dicit nuncupasse tam potens

immo tam omnipotens Barbarus, nunquam se posthac bellum in Persiam illaturum. O quanto laudabilius erat nunquam cum Persa pugnavisse, quam id voti edidisse, quod specie confessionis non caruit, victorem Persam exstitisse. Sed absit hoc a magnitudine nostri caesaris. Alioqui afflictus princeps non est deserendus, verum timeatur punica fides vel nunc maxime conjuncta turcicae, aliaque via de Africa cogitetur. Nova hinc nulla possum, nisi velim solita de Transsylvania. Adhuc nugantur illi duo archontes de alieno, et ita nunc demum serio, ut hactenus nunquam magis. Feruntur adversis signis in castra copias eduxisse, et rem amborum ad praelium spectare. Quid futurum? excidium videlicet, quod ultro nobilissimae illi provinciae, fatis etiam, uti credo, adversantibus, accersitur perditorum duorum audacia. Sed de his plura Olaho antistiti meo. Ad te nequeo fusius, quia jam in verbositatem desiit epistola, vereorque, ne quam tui partem dudum laeserim, quamquam alioqui jure etiam debui esse hac epistola longior, ut usuram consuetudinis nostrae tam diu intermissae resarcirem. Mea officia tibi offero, me ipsum commendo, tibi bene precor. Nauseae episcopo Viennensi, si istic est, dic mea obsequia. Vale. 2. Septembris 1550. Viennae.

XLVI.

Oláh Miklós egri püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho episcopo Agriensi Sal.

Quod jam a duobus ferme mensibus nihil scripserim, veniam dabis. Acceptis enim a vicario tuo litteris, quibus de installatione duntaxat mea, et de cura quartarum, vinearum, molarumque mearum commissa adolescenti meo rescribebat, cui minime volueram, ut inhabili tanto oneri: de spe pecuniae, quam itineri Augustano deputaveram, ne litteram quidem. Sic inita voluntate conferendi me Agriam, profectus sum, ut par erat, ad Nadasdinum consilii gratia. Qui dum eundum esse consulit jubetque opperiri saginam equorum meorum, qui ad id tempus in pratis apud eum fuerant, detinuit me sextilem totum, pancratice tractando in Sarvarinis hortis. Redeunti inde febris tertiana occurrit in itinere meque Viennam usque deduxit. Ubi datis curationi XXII. diebus, restitutus sum pristinae valetudini. Nunc jam hoc triduo Agriam cogito, ut ipsemet prospiciam rebus meis. Nec est, ut ingenue dicam, quod de amico conquerar. Quis enim adeo vel pius vel sanctus est, qui pecunia his temporibus facile gratificetur, aut subveniat amicitiis, quum undique insultet vicinus hostis, et metum de mutandis sedibus quotidie injiciat? Exempla hujus rei quilibet ex se petat, et in alium aequior erit. 1550. sept 2.

Igitur quicquid est hic mihi incommodi, vicario tuo certe non invitus condonavi. Illud tamen gravius habet, quod in celebritate et frequentia tantorum principum tibi non inserviverim, nec viderim Carolum imperatorem, quo me etiam infortunatiorem puto. At forsan dabitur postea amplior huic desiderio commoditas, et fruemur ejus aspectu luculentius. Caeterum quod ad me perscripseris de sollicitudine et studio tuo ad nos redeundi, clarissimo Principe annuente, meque monueris, te ut Viennae opperiar, humanitati tuae, mitissime praesul, atque amori, quo es in me, ascribo, agoque tibi et habeo ingentes gratias, faceremque, quod mones, longe certe libentius quam quod institui. Quis enim per impacata loca, perque militum stationes homo aris magis quam armis assuetus libens vagetur? Verum impensis Augustanae caritati, quam ferunt esse immensam, non sufficio. Alioqui expeditissime Agriam proficiscar, eoque animo, ut constitutis rebus meis, pecuniaque aliqua comparata, ad faustissimum reditum tuum Viennam regrediar quam maturrime, Rem nihilominus meam omnem in tuam voluntatem rejicio. Nadasdinus quoque alter meus parens post te, pertulit nonnihil adversae valetudinis ex fluxu, quod ei a capite in tergum descenderat, malumque prope in pleurisim eruperat. Matare tamen occursum est, jamque, ut accepi, comsurrexit. De rebus novis referam audita. In Transsylvania dicunt Heremitam et Petrovium mutuo incensis animis in castra cum expeditis copiis descendisse. Huic favere Turcas et Valacchos ambos jussu Solymani; illi adhaerere Transsylvanos, intra-tibiscanam nobilitatem, et quotidie Varadini ac Debrecenii delectus fieri. Proximo conventu missi erant ex Turcia in alterutrum ciausi, eo-

que controversiarum ventum est, ut Heremitanus palam declamitarit: Petrovianum mentitum esse ciausum, nihilque de ejus legatione vel caesari vel passis constare. Hic contra: verum se et caesarianum esse ciausum affirmare, nihil praeterea jactare in adversarium injuriarum, et subinde dicere, caesarianum sese esse nuncium, a quocunque ille venisset nihil sibi curae esse, et Solymanum ita esse potentem, ita regnorum abundantem, ut uno duntaxat nuncio non uteretur, multos quotidie ad diversas gentes ablegare. Sic Transsylvaniae Amphytrionem Plautinum egisse de mentito Sosia. Sed o nostrorum coecitatem et stupiditatem plus quam bubalinam, ne de avaritia quorundam gravius commemorem, qui patriae libertatem parvo aeri subdiderint, seque in bubalorum morem annulo naribus indito huc illuc rapi patiuntur. De Transsylvanis miseris loquor, qui et vident et palpant pestes suas, et scientes quod his evertentur, ferunt eas nec volunt rebus suis consulere, recentibusque et domesticis uti exemplis, quorum referam unum. Proximis annis Mailadus noster, homo et vita et libertate non indignus, hoc prope modo contendebat cum Balthasare Bornemisza in eadem Transsylvania. Sed ille dudum jam in lucem et optimatum ordinem relatus virtute duce, hic Joannis regni licentia rapinisque paulo supra gregarium militem potitus nominibus, et inter veteranos Joannis habitus, cura Heremitae opponitur conatibus Mailadi, missusque Buda in Transsylvaniam cum imperio sub Capitanei titulo, mox ambo eo animos ambitionis erexerunt, ut alter principatum provinciae usurpare, alter voivodatum appetere non dubitarit. Verum Mailadus exemplo divi Julii, qui legiones dimittere aemulorum conjuratione non au-

debat, justiore causa monebatur. Aut enim sic superanda erat vetus Heremitae hostilitas, provinciaque regi christiano conservanda, aut evitanda indignitas, ne homini obscuro, et omni pietate atque humanitate carenti casu concedere cogeretur, quum jam et rerum omnium a Joannis morte potiri anhelabat. Balthasar sub ministri imagine, et in temporaria praefectura constitutus, rapta occasione ex periculo Budae, quae obsidione primum germanica, deinde perfidia turcica excepta erat, speravit etiam sese posse esse aliquid. Sic inito spiritu perpetuum voivodinatum consequendi, intendit omnes vires, ut clandestinis praxibus tum fortunam tum auspicia Heremitae in Transsylvania occuparet. Tanta rei moles neutri sine Turcae patrocinio poterat succedere. Ad utrumque itaque a passis caesaris nomine missi sunt ciausi utriusque voluntati graphice accomodati, actaque per Transsylvanos vel me praesente hic illic crebra comitia, mutuoque inter sese adversantia, distracta in diversum nobilitas, populique, quocunque contendentibus libebat, in effascinatorum modum circumducti. Quid demum actum! Delusus est Bornemisza calliditate Heremitae, et a spe voivodatus pecunia abductus. Mailadus Turcae et Moldavi perfidia in captivitatem tractus. Sed an eadem tragoedia nunc quoque agatur, quae tunc, vides. Utinam non eundem finem sortiatur. De vicinis nostris aliae sunt rationes. Mire ludunt in Zolnoccho erigendo. Modo intendunt sui metum, modo remittunt. Nec aliud puto, faciunt, quam, ut nos distineant ab his providendis, quibus eis et resistere et officere possemus. Atsi cui compertum est, quantum eis credi debeat, ego ne mininum quidem dicerem, etenim nec suam Turcae fidem habent, nec alienae

quicquam tribuunt, et qui se ab iis amicitia, foéderibus atque pecunia tutos fore existimant, oleum et operam perdunt. Ingratum est, parum est, vile est, et contemnitur quicquid porrexeris, nisi et rapinas et captivitates in tuo fieri patieris. Amicitiam si secum colis, timeri se certo, non amari ait, et sic fallere foederatum, ne fidei quidem jacturam se facere arbitratur. Verbosius de his ad te quam fortasse decuisset. Nequeo tamen non dilatare quasi dolore incensus, quum in pericula Transsylvaniae incido. Igitur te magnopere peto, ut ignoscas mihi, tibique ac similibus tui de his scribendum esse censeas, non iis, qui ad nulla mortalium commoda nati sunt, nec publicorum cura tanguntur. De domo tua, quo in statu sint nova ejus aedificia, apparatus, cultus, pictura, ornamenta, quoniam adhuc ipse lectum urgeo, scribere nihil possum, ut quae non viderim. Hortatus tamen sum Georgium Bonam et Oppolitanum tuos, ut eo fungantur officio, quo prae caeteris omnibus tibi hoc tempore maxime gratificari possunt, quod aliud hinc nihil nunc magis scire desideras. Non praeteribo etiam de petitione sacerdotii Strigoniensis. Te etiam atque etiam rogo, mi praesul, ne velis gravate id a me, nescio, insatiabilitatis ne, an ambitionis, an quiddam tertium dicam, accipere, quoniam certe ct parvo potui semper esse contentus, et praesens fortuna mea finem jam fecit meis cupiditatibus. Tantum autem abest, ut illud tertium in me suspectum esse possit, ut monarchatu etiam quopiam maximo divelli abs te nunquam velim, immo insuper ita tibi inhaerere atque inniti perpetuo decrevi, ut me habeas semper pedisequum obsequentissimum. Quicquid autem visus sum ambire Strigonii, alliciebar propinqui commodi facultate, quo tibi

expeditius inservire potuissem, nec emisissem alioqui e manu Agriensem meam fortunam primigeniam, eoque etiam haberem charissimam, donantis persona contemplata. Vale. 2. Septembris 1550. Viennae.

XLVII.

Armpruster Kristófnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Christophoro Arumprusto S.

Sept. 2 Nullum tuum erga me officium est, eoque magis, quod probe sciam, quanto muneri praesis, quantis rerum occupationibus apud antistitem nostrum distineris. Quare non erat opus excusatione tam accurata, quod serius ad me scripseris Augusta. Utcunque feceris, id abs te non laetanter modo, sed etiam peramanter accipio, quoniam certe scio, me a te unice diligi et aestimari longe pluris, quam pro mediocritate et fortuna mea. Ego si cupit animus, gratias tibi referre nequivero, vicissim diligo, ut jam dudum diligo, et supplebo officiis quod facultati defuerit. Verum peracta et absoluta jam causa tua, en ipse quoque eodem pene laboro crimine. Dudum enim acceptis litteris tuis, mihi quidem certe jucundissimis, vix nunc tandem rescribo. Quoniam tamen hac parte nec antistiti nostro, nec Joanni Hasenbergio doctissimo viro satisfecerim, causa impeditus non exigua, spero me etiam abs te veniam relaturum, ut ab iis non diffidam. Profectus eram ad Nadasdinum, inde rediens Viennam, in febrim incidi, postea valetudine recuperata,

malitia. Hasenbergio me commendes studio singulari et de meliore nota. Dignus est, edepol, qui tanti regis et mox caesaris liberos erudiat. Quantum viro afficiar, quantum tribuo, quantum eundem amem et colam, et colendum esse judicem, eloqui ipse non valeo. Joanni Albilaco et Matthaeo Zerdahelio dic salutem meo nomine. Officia vero sic offeras, ut intelligant eos me et amare et magnifacere. Vale. 2. Septembris 1550. Viennae.

XLVIII.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Cicacchio S.

pt. 18. Fama tumultuum vestrorum totus mundus hoc tempore occupatur. Videntur enim in Transsylvania Punica bella geri, utinam non Thebana aut Trojana. Sed, dii boni, quid ab utroque isto Paride vestro intempestivius? Equidem ego Transsylvaniam haud ita pridem eluxeram, mirorque unde ei adhuc tanti spiritus, tanta audacia, tantus armorum ardor? Aut animae instar e corpore excedentis, ultimo excidio acrius conflictatur? Tibi ego, mi Ciacchi, metuo, ne isto malorum immo furiarum aestu involvaris. Quare cures, oro, ut absis a periculo. Aberis autem facile, si Heremitam devitabis. Ista autem quae imminent mala Transsylvanis, nonne saepe ipse in conventibus, saepius in consiliis, et pene quotidie in privatis procerum congressibus praedixerim? Nonne mea consi-

dem copiae ferent Heremitae suppetias, quamquam non affirmo, quia nondum constitit tantae rei deliberatio, multorum tamen opinione ambigitur. Vobis ego adhuc dico cavere a nimia fiducia in Turcas reponenda. Casum Budae et Mailadi et Valentini Turci et multorum veterum prae oculis habetote. Reliqua quoque hiis consiliis firmate, quae vobis nec animorum nec conatuum vestrorum afferant poenitudinem, et a christiano populo occidionem et servitutem propulsetis. Vale. XIII. Septembris 1550. Agriae.

XLIX.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho antistiti suo S.

pt. 26. Scito me jam Agriam incolumem pervenisse nulloque vel periculo itineris vexatum vel incommodo. Ubi a praefectis tuis humaniter, a canonicis fraterne exceptus archidiaconatum IIII. id. Sept. feliciter occupavi. Domum meam inveni desolatam, hiantem ruinis, possessam milite, oppresssamque fere ad culmen fimo equino. Cui purgandae instaurandaeque addixi non mediocrem et curam et pecuniam, multis aliis de suo et de crastino desperantibus. Proventus habeo satis tenues propter belli vicinitatem, quo non Agriensis tractus solum, sed jam, ut videmus, et Hungaria et Transsylvania tota adeo succensa est, ut induciae quae quinquennales erant, vix legitimum finem assequentur. Porro et hic et ubique per omnes

multorum. Nec id ex metu aut ignavia perhibent illum facere, sed exspectatione regii subsidii, cupientem quum integris tum auctis viribus rem aggredi atque perficere, quam hactenus tanto artificio fabricavit. Ego jam illi nequeo non bene velle, postquam sic induxit animum, ut Christianae reipublicae opera ejus consulatur. Faxit Deus, ut succedat illi, si probe agit, cui si omnino succurrendum erit, succurratur justis auxiliis, quo et Transsylvani rem secure amplecti audeant, quia feruntur id ipsum opperiri. dum adhuc neutri parti accesserunt, (solito enim agunt ingenio, ut etiam Gritteo casu egerunt), deturque opera, ut ea provincia fractis seditiosorum conatibus, non obtineri solum, sed etiam possessione occupari tenerique, et imposterum quicquid alicunde ingruerit, paucis castellis in quibusdam semitis constitutis fortiter tueri possit. Rem Petrovii omnes, qui inde veniunt, magis quam Heremitae infirmant, facileque ita esse credo, quod et avaritia laboret, et audere raro solet, nullius magnitudinis appetens. Fertur aliud nihil agere, quam et dies et vires terere in castella quaedam, quae etiam si adimantur, parum sint et illi allatura emolumenti, et Heremitae detrimenti. Vincium deditione accepit, Cianadinum igne vastavit, ab arce repulsus est. Nec Vincii accessionem incruenta victoria obtinuit. Paulus cognomento Bank, cui Heremita Saxosabesum crediderat, facta in eos eruptione, qui Vincium receperant, non exigua caede afficit; ipse vulneratus abscessit. Quid deinceps futurum sit, Deus novit et Rhamnusia Adrastia, quae malos male perdet. Omnino tamen postquam in tantos motus conjecta est Transsylvania, cujus causa etiam reliquiis Hungariae non parum fortasse obo-

rietur sollicitudinis, maturandum esse censerem in recipienda et firmanda validis praesidiis ea provincia, ne postea duobus aut etiam pluribus in tantae molis tantique momenti locis laboretur. Haec mea est de his sententia. Vale. XXVI. Septembris 1550. Agriae.

L.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

pl. rs. Castellum Zolnok a X. die feliciter erigitur jamque firmatum ita est, ut sustinere hostium vim non exiguam possit. Reliquo operi summa sedulitate et cura insistitur, brevique ad institutam perfectionem deducetur. Nunc praesidiariorum habitacula construuntur et fossa e Tibisco fluvio in Zayvam amnem ducitur, ut aquis quoque quaqua versus circumplexum munitius reddatur. Stephanus Dobo, Franciscus Zay, et Bernardus Aldanus dux Hispanorum militum ac magister, ut vocant, campi, praecipui in opere curatores. Gentes, quae et hic sunt et Zolnocchi, magno sunt numero, pluresque indies conveniunt. Ex primoribus cum comite Nicolao Salmo, summo expeditionis hujus duce, ii sunt: Augustinus Sbardelatus episcopus Vaciensis, Franciscus Bebecchus, Stephanus Lossoncius, Franciscus Perennius, et Erasmus Teifellus. Primi huc appulere XIIII. hujus mensis Comes, Vaciensis et Teifellus; caeteri postea, et seorsum quilibet. Inde habito rei gerendae consilio XXV. die Co-

mes cum Lossoncio et Teifello juncta sibi copiarum parte et aliquot machinis profectus est, ut ad Tibiscum conveniat cum Andrea Bathoreo, qui ad Abád pagum castra habet et tuetur Zolnocchum exstruentes. Hic procomes relictus est Vaciensis; episcopo non huzarones nostri solum, sed et Hispani et nobilitas comitatuum parent, resque, quantum judicio complecti possum, tam a duce quam a militibus summa solertia et vigilantia geritur. Zolnoccho praeficietur Joannes Balassa, et Franciscus cognomento Zay. Iis parebunt praesidia, iis machinarum munitionumque et demum totius castelli cura et conservatio incumbet. Sed de Zay nihil loquor; ignoro hominem. At de Balassa laudo equidem judicium, nisi juvenis repente in primam aciem sit productus. Neuter videtur multis probari. Verum felix ac faustum sit quicquid aggredimur, et faxit Deus, ut hi conatus tam regi quam regno ex sententia succedant. Constituto Zolnoccho, quo moturae sunt signa tantae copiae, quae certe magnae sunt et pene incredibiles, quod tam repente tamque silenter coactae sint, prorsus non intelligo. Et quum alii aliud dicant, multi quidem asserunt, quod Heremitae subsidio mittentur. Quod quoniam mihi diligenter etiam inquirenti nondum constitit, nihil scribo affirmanter. Illud solum dixerim, quod si revera jam noster est Heremita et Christianitati navaturus est operam tam memorabilem, eundumque sit ei suppetias, de celeritate inprimis statuatur, deinde considerato gentis vetere partim ingenio, partim praesenti necessitate, qua, velint nolint, cogentur etiam imposterum tantam inter malorum varietatem nonnunquam leves esse, et in Protei morem pro temporum statu et fortuna regni

modo hanc, modo illam personam induere, ut conserventur, tantae copiae illi summittantur, quantis et populi illi adhaerere non dubitabunt, et eam provinciam, fractis adversariorum conatibus, non solum obtinere, sed et possidere et in reliquum tempus tenere atque tueri possint, cogitantes, Turcam non ita facile illam provinciam cuipiam permissurum, et Rascianorum animos in defendenda Joannis prole, Petrovio duce tantos esse, ut Mahometto etiam dedere sese non verebuntur, quo vel solam hoc dominatore ditionem, quam possident, nobilitati hungaricae a Joanne rege ereptam, retinere possint. Igitur si exiguae vires mitterentur, illud forte fortuna sequeretur, quod eo tempore, quo Moldaviam Solimano subjugante, missae erant Joanni longe minores copiae, quam pro pacis cum eo factae conditionibus. Visa enim et paucitate subsidii, et ingenti potentia hosti nimis jam propinqua, siquidem, quod quaternis aut quinis castris sine dubio poterat in Transsylvaniam penetrare: quid egit? id, quod non ausus in Turcam animos prosequi, magnifice ad hoc momentum ostentatos, denuo pecunia et majore subjectione rediit secum in gratiam, nec factam pacem cum adversario, uti ex pacto in calce anni debuerat, promulgavit. Sed in his ipse non ago consiliarium, tecum duntaxat pro mea in principem nostrum fide colloquor, qui non ignoras, quo de rebus ejus animo saepe soleam disserere. De Transsylvanis rebus id habemus. Ajunt Petrovianos oppugnare Cianadinum, Braniczcam, Vincium et quicquid est ejusmodi Heremitae castellorum, Vinciumque jam ultro, nulla vi machinarum accepta, deditum, Braniczcam expugnatum et solo aequatum, Cianadinum oppidum, salva arce, igne consumptum, posteaque remissam esse

nonnihil oppugnationem propter caedem, quae ex arce in illos edebatur. Paulum vero Bancum, qui praeest Saxosabeso, veteranus Heremitae miles, facta ex urbe eruptione, eam manum, quae Vincium receperat, graviter perculisse non tamen sine vulnere; Heremitam cum IIII. circiter millibus equitum stipendio suo merentium, et cum nobilium ac plebeorum multitudine Megiessii sedere et silere, circumspectareque quasi mirabundum, quid ageretur. Nec id ex metu sive stupore illum facere, sed consilio, opperientem omnium rerum oportunitatem, multi ambigunt. De Transsylvanorum studiis varie nunciatur. Sunt qui dicant eos neutri adhuc parti adhaesisse, in armis tamen esse; sunt, qui Saxones ferant jam in Reginae et Petrovii partes concessisse, Seculos nutare, et terrore Moldavorum consternatos potius in Saxonum sententiam inclinaturos quam ituros in opem Heremitae. Nobilitatem vero pro consilio Daedali seorsum ab utrisque agere, de se spem utrisque facere, et Francisco Kendino ac Volfango a Bethlen, summis in ea provincia partium instrumentis, domi desidentibus, meliori fortunae vota sua servare. Hinc itaque est, quod paulo supra dixeram, vereri me, nostros nihil profecturos si pauci fuerint, et Heremitam periculum aditurum, cui jure succurrendum censerem publici boni gratia, si se modo regi nostro probe dediderit, velitque nomini christiano salvam esse Transsylvaniam; quamquam ipsum in cruce laetus aspicerem, aut si malit, in furca vel in culeo. Meministi autem, quanta et Grittus in Transsylvanos prodigebat, qua item fiducia, qua constantia illis vitam etiam suam crediderit; sed quid demum? Nonne, audita a Joanne impunitate inceptae audaciae, immo et novis praemiorum pollicitis si Grit-

tum uti animose in eum conspiraverant, ita fortiter confecissent, momento quasi temporis et dilapsi sunt ab eo, et exequuti quod Joanni placuerat? Sic verendum, ne hoc ipsum Heremitae quoque contingat juxta illud Tragici: „o funestus multis populi dirusque favor, qui cum flatu vela secundo rates implevit, vexitque procul, languidus idem deserit alto saevoque mari;“ si hinc Turcis inde Valacchis irrumpentibus non habebit a nobis mature justa auxilia, quae Transsylvanis etiam nationibus validum essent allatura ad innitendum, parietem, ansam scilicet audaciae. Nam et filios jam Valentini Turci, qui modo cum Heremita sentiebant, Reginae adhaesisse, et Valacchorum ac Turcarum vim non contemnendam ruere in Transsylvanos vulgatur. Quibus hospitibus saepe ego alias vidi, quantum animi habere soleant Transsylvani, idque vel tum maxime quum Mailadus cognatus tuus perfidia Moldavi in ea ipsa provincia circumventus est et Turcae traditus. Sed de his fortasse nimis multa. Turcae nostri limitis dicuntur sedulo congregari, adhuc tamen nihil movent; aliud putantur majus quiddam moliri, quam utZolnocchi erectionem impediant. Omnino parvo numero sunt in his finibus, eaque causa conatus differunt, donec augeantur subsidio, et consilio Caesaris sui edoceantur, quid agere debeant. Plura Paulus de his, de statu meo, deque beneficiorum meorum conditione referet, quod te optare non diffido. Vale. XXVI. Septembris MDL. Agriae.

LI.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho Antistiti suo S.

Sept. 28. Postquam a me de statu et de jucunditate genii Agriensis scire desideras, nihil sane jucundi est, quod ad te id temporis scribere possum. Minimam partem pristinae faciei non habet reliquam. Omnia sunt horrida, omnia squallida, omnia. moesta, omnia, quam erant, longe alia, omnia martialium hominum licentia deformata. Et ne de metu populorum quicquam dicam, ita tamen sese omnes demiserunt et destituere, ut qui vix crastinum sibi polliceantur. Quocunque obtutum vertis, quocunque ingrederis, injuriae, ruinae, miles, metus, rapinae, discrimina, desperatio occurrunt. In arce tectum palatii episcopalis, fenestrae quaedam, et una dumtaxat camera, quae augustior habetur, expleta est, toto operi plurima desunt, templo fere omnia, si tectum excepero, quod jam finitur. Reliqua ejus incrementa in propugnaculum conferuntur, quod e regione occidentis et capituli ex lapidibus campanilium erigitur, opus quidem firmum, insigne et tutelare futurum toti arci ex ea parte magis, quam dici possit. Absoluta est et culina, forma et magnitudine non incelebri, et domus quaedam pede plano posita non sine et genio commendabili et prospectu. Reliqua omnia occupant propugnacula, munitiones, machinae, instrumenta bellica, ruinarum cumuli, stabula,

militum casae et stationes, et id genus infinita. adeo ut huc si id temporis veneris, majori usui erit tibi cassis quam mitra, gladius quam pedo, thorax quam pallium, quam stola clypeus. Ages enim proprie castrensem, non Agriensem episcopum. Speranda tamen sunt cuncta meliora, si Zolnocchum tuebimur, et expeditionis hujus exitus votis respondebit. Ipse me hic tamdiu continebo quamdiu tibi aliud de rebus meis videbitur statuendum. Tametsi libentius eo loci esse vellem, quo tu esses, ut potius tibi, quam otio meo inservirem. Igitur tuum erit praecipere, meum jussa capessere. Vale. XXVIII. Septembris 1550. Agriae.

LII.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho Antistiti suo Sal.

Erecto jam Zolnoccho, rebusque omnibus necessariis instructo et comes Salmus et Andreas Bathoreus Agriam venerunt, traductis huc etiam gentibus, quae trans Tibiscum erant; puto, ut hic consulant quid agendum erit imposterum, quove bellum provendum. Turcae non omnino siluerunt. Proximi desperati Secienium usque excurrerant, quae est ad Stephani Lossoncii, oppidumque vi ingressi, abduxerunt homines L., unum occiderunt, pecora pauca reliquere. Arx etiam ipsa periclitata. Paucis diebus post invaserant et Sägh sed non tam felicem Fa-

ciscus Jacossius praesidiorum eius loci praeses congressus cum latronibus, obtinuit victoriam, ultaque Secienii injuria, occidit et vulneravit multos, cepit plures, nescitur tamen adhuc, an et damnum aeque recuperavit. Nunc jam videntur ferocire et majora minitari, quantum nocituri, non divino. Sed si nova vis non supervenerit, hos praedones limitaneos nostrae copiae non pavebunt. Ex Transsylvania adhuc turbulenta afferuntur. Et si quibusdam credi debeat, ajunt et Saxones et Seculos ad Reginae jam auspicia transisse, Seculos etiam mutuo conflixisse in comitiis, quos Reginae et Heremitae studia diviserunt, Petrovium ad Albam castra metasse, nechabere tria M. Rascianorum penes se, quamquam duo excederent, secumque esse Pupillum Joannis, matrem in urbe commorari. Heremitae vires longe majores esse, et posse eum cum Petrovio tuto manum conserere ac victoriam sperare, honore tantum et fide arceri, ne in dominam et filium domini insurrexisse diceretur. Nec alia vi pollere Petrovium quam spe et exspectatione Turcici patrocinii, quo provinciales territi coguntur etiam per fas et nefas ab Heremitae studiis dimoveri; quum tamen fama non silet, fidem ei omnes de se fecisse, remque propterea cum Moldavis ita transactam, ut ab irruptione illorum non sit impense metuendum. Turcas Petrovius et Valacchos Transalpinos nondum induxit, venturos tamen quum voluerit. Sed fertur non audere adhuc tantum scelus, timens penes putrida etiam sanis partibus, ut sunt mores et perfidia turcica, qui nobis non indulgent, neque commiserentur nostra causa, sed suae tantum servant nos opportunitati atque libidini, simulata pietate et dolosa amicitia. Futurum tamen quidquid est haud longa exspectatione

tenebimur. Utinam autem ea consequantur, quae vellemus; sed vereor ne si hac vice destituetis Heremitam, durior fiat imposterum, ut Joannes olim, quando ei auxilia, quae ex pacto pacis debebantur, Solymano Moldaviam subjugante non fuere missa. Nam quum et illud accepimus, quod oratores, quos in Turciam dimiserat, ex itinere nunciarint, ut esset bono animo, quandoquidem omnia illi laeta Transsylvaniae tuta apportarent, quid quaeso aliud augurandum est, quam quodpiam novum cum Turca foedus, novam necessitatem, qua in pristinam ejus gratiam restitui possit. Quod et Joannes fecit, quum transactam pacem cum rege nostro recusavit promulgare. Ea igitur quae cum Heremita agenda sunt, si agenda modo, mature agi suaderem, quia saepe dilata sublata sunt. Alioqui debebis mihi ignoscere, si quid videor in Areopago consulere, quod minus intelligam minusque deceat praesentem fortunam meam. Saepe tamen alias et in Hungaricis et in Transsylvanicis rebus vaticinia nostra exitus probavere, quum privatarum rerum studia, ubi prius est publicis consulendum, in multis consuevi arguere, nihili faciens odia, quae mihi amor veritatis peperisset. Vale. II. Octobris 1550. Agriae.

LIII.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

a. 2. Pridie kalendarum octobrium summo diluculo Stephanus Recinus nuncius tuus Agriam venit. Eodem die rediit et Comes, Zolnoccho praesidiis, munitionibus, commeatu caeterisque rebus necessariis instructo. Advenit secum Andreas quoque Bathoreus, ut una, ni fallor, consulant, quid jam imposterum sit agendum, quove hinc promovendum. Hoc ipso die litterae tuae distributae sunt, hisque intra biduum responsum est. Jam ad ea, quae scire desideras. Zolnocchum absolvimus intra XV. diem nullo hoste obsistente, relicti sunt ejus custodiae M. CCCC. bellatores, partim equites, partim pedites et nasadarum certus numerus. Joannes Balassa dudum ad eam praefecturam designatus eodem ductus erat, ut praeficeretur. Nescio tamen quid intercessit impedimenti. Rediit Agriam falsus voto, eique suffectus est Franciscus Zai, qui fungetur eo munere, quamdiu novum de hoc a Principe referetur mandatum. Ferunt, quosdam consuluisse, limitem illum egere duce majoris usus rerum bellicarum, quique jam veteranus esset, et quandoque aliis etiam finibus praefuisset. Andreas Bathoreus cum suis copiis ultra Tibiscum in Abád pago sine ulla cujuspiam vexatione excubavit, donec

exstrueretur Zolnocchum. Comes, ut ille qui summae rei summo cum imperio praesidet, perpetuo vigilat, in assiduis curis versatur, multus est ubique, consultat semper, sedulo operam dat, ut res bene geratur, et careant omni prorsus tumultu copiae, de quo hactenus vel minimo nihil est auditum. Qua ex re et laudem et favorem non parvum videtur sibi apud omnes comparasse, fecisseque spem in omnium animis, felicissimos fore hujus expeditionis exitus. Turcae usque in finem non siluerunt. Oppidum Zecienium VI. kal. Septembrium invaserant ferme quadringenti. Abegerunt supra XLV. homines, uno solo, quod ajunt, interfecto. Pecora pauca reliquere. Arx non mediocre adiit periculum. Non multo post Säghum quoque advenerant, sed adverso sidere. Franciscus Jacussius, praefectus praesidiorum ejus loci afflixit eos. Sic Zecieniensis injuria ulta. Damnum an aeque recuperatum, incertum, quamquam dicitur insignes captivos retulisse. Quid in reliquum tandem cogitat aut facturus est Comes, omnino ipse non intelligo, nisi si descensurus sit in castra, donec a Rege redeant veredarii, quod audisse visus sum, consilia enim miro studio atque consensu omnium supprimuntur. Nudius tamen tertius omnes copiae, quas trahit secum Bathoreus, Tibiscum trajecerunt. Quod indicio est, aliud quippiam futurum quam vulgo circumfertur. De quo non dubito, quin succisivis temporibus tam a Comite quam ab aliis, ad quos dedisti nuper litteras, certior fias. De Petrovio et Heremita varie omnes narrant, qui inde veniunt. Dum enim alii atque alii utrumque vicissim et efferunt et deprimunt, minus vere omnia. Nec apud alium censeam exstare veritatem, quam apud solum Comitem et consilium ejus. Nuper

tamen incidi in Michaelem Somborinum nobilem Transsylvanum, tibi (ut existimo) non ignotum, qui privatae rei causa intra X. dies et venerat et redierat. Is mihi affirmavit, Petrovium ad Albam Giulam castra posuisse, habere Rascianorum penes se II. M., Pupillum Joannis secum esse, et magna cura servari, ne ab Heremitanis suffuretur, Reginam vero Albae manere, Saxones ad eam defecisse, Kendinum et Bethleemum domi sedere, Seculos autem, dum conventum haberent Vasarhelii de concordia et deliberatione, utri parti omnes una subscribere debeant, quod ii Heremitam illi Reginam sequendo contendebant, mutuo conflixisse usque ad multorum hominum caedem et vulnera, face injecta inter eos ab Heremitae militibus, qui missi erant rebellibus a sententia avocandis. Adjecit etiam inducias inter Petrovium et Heremitam fuisse factas ad festum divi Michaelis, eoque interim comitia molitam Reginam, in quibus erat fidei Transsylvanos commonitura, quam olim sibi ac filio suo publicis juramentis obstrinxerant. Heremita vero interceptis his litteris, easdem circumferri prohibuisse, Megiessio deinde mox Tordam contendisse, et suas mature ad regni incolas dedisse. In quibus erat: Hostem et se et Transsylvanos domi habere, cujus temeritate et contentione multa tam in se quam in illos Regina moliretur, praesertim quum nova quaedam comitia indixerit, quae nihilo laetiora forent allatura publicis commodis, quam ea, quibus jam aliquoties in illa provincia periclitatum est inquietudine praefati hostis et reginae levitate. Et quum neminem alium Transsylvaniae praesidem agnosceret agnoscique velit, praeterquam se ipsum, jubere late omnibus sub poena capitali et amissione nobilitatis ac bono-

rum, ne quis ad Reginae conventum proficiscatur, ne ejus litteris locum det, nec mandatis obediat. Sed quicunque patriam salvam velint et unitatem amant, armati ad se Thordam maturent. Rogavi et de gentibus, quas haberet. Respondit: eum non admodum multos viros secum circumducere. Passim tamen per opportuna loca cohortes habere distributas, hisque in unum coactis agmen ad IIII. M. hominum posse accedere. De quibus si majora praedicarentur, fidem non habendam. Dixit praeterea, bifariam esse divisam Transsylvaniam. Quicquid urbe Colosvarina, Megiessina et Kiculiensi arce ad oppidum Dees et Samosum amnem, quem magnum appellamus, includitur, Heremitae paret, reliqua omnia Reginae jus amplectuntur. Arcem Almäs tenet Franciscus Croata miles clarus et generosis factis notus, nisi jam abdomine premeretur. Summus dux Petroviani exercitus, Nicolaus Crepovius, est Rascianus, homo dives, avarus, timidus et scurra. Valacchus Transalpinus cum Regina sentit. Moldavum Heremita, si Somborino credetur, in suas jam tricas solito ingenio et largitione pellexit, usurumque commentis apud Turcam, dicunt, quibus omnino domi in Heremitae gratiam haerere possit. Ad Petrovium nec Turcas nec Transalpinos venturos, nisi advocatos. Sic transactum cum passis. Renunciatum insuper ab oratoribus suis Heremitae, quos in Turciam miserat, quod jam iter ad redeundum inivissent, quod novum ciausum a caesare adducerent, afferentque tam ipsi, quam genti omnia fausta. Allatum postremo est, Gasparem Perussium gravissime in arce Cianadiensi annona laborare propter multitudinem oppidanorum, qui magno numero intra ejus arcis munitiones confluxerant, incenso a

Rascianis oppido, misisseque ad Andream Bathoreum pro subsidio, quandoquidem ne adhuc quidem oppugnari a Rascianis, desiisset. Andreas Bathoreus a Somlio non adest. Fertur esse apud Heremitam. Curam litterarum tuarum ad eum solita diligentia, qua utor in tuis rebus, ipse geram, dimisso Paulo, quo jussisti. Quas ad Emericum Homonensem dederas, remisi tibi. Nimis enim a nobis abiit, morte obita. Haec sunt quae de rebus novis habuimus hoc tempore. Quaecunque alia acciderint eaque cognovero magni interesse, ut quam celerrime ad te perferantur, in mortem et equi et servi mei, nulli parcendo pecuniae, curabo, ut ea festinantius scias, quam petas. Vale. II. Octobris die 1550. Agriae.

LIV.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

1. oct. 4. Comes tandem in castra copias deducere instituit, quibus campum oppidi Puzta Zikzö nuncupati, quod ab Agria VII. M. passuum abest, designavit. Datum est hoc vindemiae Agriensium, quae, nisi miles removebatur, tota in uvis consumebatur. Potissimum tamen doli hostium fuere suspecti, ne noctu vicis igne indito, per quos divisus agit exercitus, inopinata detrimenta secure quiescentibus intulissent. Idque eo maxime, quod per exploratores habetur, subsidia Turcis advenisse, bene auctos esse et molituros

in fines nostros brevi omnia crudelia. Erecturos etiam Zolnocchum aliud nostro oppositum, dimicaturosque donec aut vitas suis cum finibus amittant, aut nostris potiantur, deleto Zolnoccho et expugnata Agria. Queruntur nos violasse inducias, ferturque Kaszunus passa Budensis in Octavii pene Augusti morem ob amissas legiones incuria Quintilii Vari, discruciari, quod Zolnocchum ei praeripuerimus. Comes ad eum miserat ternos nuncios cum his mandatis: Nihil agere regem suum contra inducias, amicitiam cum eo et cum suo caesare firmam stare, finium tantum suorum curam habere, Zolnocchum, ut extremum prope ex ea parte ditionis suae terminum, firmare voluisse, offensionem in neminem meditari, sed commodo et securitati suae prospexisse. Renunciavit Turca ferociter: Posthac ad se ne vel nuncios, vel litteras mittat, satis liquere, quod moliretur, dolis se per blandimenta ultra non peteret, frueretur Zolnoccho, jactura fidei intercepto, hostem sese hosti esse, brevique ultorem affuturum. Demum et in regem ejaculatus vituperia, nuncios autem, qui ad eum missi fuerant, etsi dedita opera pagani homines missi sunt, contemplata Turcici furoris ac perfidiae saevitia, ut potius in humiliores eam expleret quam in insignes viros, si quid in jus gentium foret peccaturus, in captivitatemne redegerit, an confecerit illico infelices, etiam num ignoramus. Huc accedit, quod et nobilitatis tanta varietas repente sedibus suis excita, totque et tam sejunctim collocata atque disjecta stationibus, nec uno ordine facile regebatur, nec omnis commode tessera militari uti poterat. Quibus ex rebus et tumultus et periculum, et dedecus per nocturnas insidias timori habitum. Et quo haec omnia vi

tarentur incommoda magisque rite et pro disciplina militari res gereretur, quilibetque tam ducum, quam militum suis muneribus expeditius fungeretur, de castrorum metatione statutum. Quorum quidem progressu ac fama opinandum est, non mediocriter et hostes summisuros audaciam, et nostros omnia, quae vel ad sui conservationem, vel ad finium defensionem pertinebunt, vigilantius, et magis pro bellica ratione obituros. Verum haec non omnino sine solitis nostris ineptiis excepta sunt, propter quas saepe Hungaria vulnera et difficultates perpessa est. Nec enim praesentia mala refrico, quibus nemo non premitur, nemo non laborat, nemo non afficitur. Quintani nostri, ex nobilitate pro comitiorum Posoniensium decreto, quae VIII. id. Jan. habita sunt, collati, Pannoniae praesertim superioris, utpote minus communibus periculis exerciti, ad quos nondum turcica rabies penetravit, aegre et in castra migrandi persuasi sunt, coeli injurias refugientes, et ut adhuc nonnihil cum stipendiariis in armis perdurarent, adducti: objectabant jus veteris libertatis, qua non ultra XV. diem in bello esse tenerentur. Afferebant et alias causas: Vindemiam, arationem, jurisdictionem, cujus tunc temporis octava, ut nos dicimus, Posonii celebrabatur, et id genus plura, quum presertim litibus multi revocarentur. Persuasi tamen sunt et permolliti oratione Andreae Bathorei magis, quam cujuspiam alterius ex iis, qui cum comite summae rei praesunt. Placuit mihi clarissimi juvenis ingenium, gravitas, facundia. In quo facile Scipionem illum haberemus, qui in Hispania, et patris et patrui admodum juvenis fortissime necem vindicavit, nisi podagra laboraret. Nihil equidem libentius diu audivi, quam ejus orationem ad quintanos nostros, ea praesertim in parte, qua suc-

tuno insidiis, pauci oppido insultavere. Oppidani injuriam non ferentes, ratique praeter hos, a quibus ciebantur, non esse plures, irritati mutuo in hostes animos, erupere armati. Illi fugam simulantes, ad insidias usque deduxere insequentes, ibique miseri Barsenses excepti mala fortuna ad unum ceciderunt. Promota inde vis in oppidum, oppido quoque potiti parvo negotio, eoque in praedam verso, abductis impuberibus, pecoreque abacto universo, familiae quoque occisorum radicitus prope excisae. Praesenserat eam hostium incursionem Bartholomaeus Horvathinovius, dux Levensis praesidii, et praemonuerat Barsenses tempore, ut excubarent, oppidum non egrederentur, et tutarent sese eo modo, quo jam pridem eos edocuerat, quandoquidem illis, si quid gravius tunc temporis in eos ingruisset, adesse ipse non posset. Totum suum militem, parvo dimisso, ad exstructionem Zolnocchi Comitem abduxisse, nec suadere rationem, ut arce praesidio spoliata, hostem persequantur. Sparsus etiam apud nos rumor est, Stephanum Lossoncium Zondam cum CL equitibus petiisse, quaesitum occasionem vindicandae injuriae et damni Zecieniensis. In quem quum idem Turcae incurrissent, qui cum praeda regrediebantur Barso, fuisse non sine suorum caede et captivitate fugatum. Verum id fictum fuit. Rem neque attentavit, et heri rediens domo ad comitem, clarius ex eo cognitum. Ejusmodi nova indies jam suppeditabit Zolnocchum nobis. Utinam eis tandem excitaremur ad aliquam firmiorem rationem patriae consulendi. Quintanos nostros audio brevi missionem consequuturos (nequeunt enim diutius retineri). Mercenarii milites, qui remanebunt, vix sunt M. D., iique ubi dividentur per loca, quae tutanda erunt

aut restituentur in ea quibus subducti sunt, timendum est, ne hujus tanti motus opinionem sustinere possimus. Quum alioqui et duces nostri aegerrime ferant hoc otium et desidiam, qua sic detinentur feriati, nec in hostes tanta prae oculis illorum impune audentes grassari dimittantur. Comes vir prudens et belli non ignarus aeque id ipsum secum ingemiscit, jam ni fallor perspiciens, quonam in Turcas Marte, quove instituto opus esset, sed egregie paret Principi, qui reverentia induciarum temeritati hostium parcendum jubet, vultque de singulis rerum momentis subinde, edoceri, sicque inutiliter omnes actiones differuntur, donec ejus majestatis consilia referantur. Pendemus itaque, non belligeramus, solitoque ipse timore agor, ne idem finibus nostris eveniat, quod Sagunto olim de quo dictum est, Saguntum fuisse expugnatum, dum Carthagine consultatur. Jam enim ab erecto Zolnoccho IIII nostra loca Turcae incursarunt, neque credimus adhuc, induciarum numen violatum. Sed utinam montes nos non parturiamus. Joannes Balassa missus est tandem Zolnocchum fungeturque ea praefectura cum collega Francisco Zay. Heremita Reginam et Petrovium Albae 4. Septembris obsedit magno milite, nec tamen ulla vi ingeniorum oppugnat. Cupit eos cessare ab insania, seque nolle saevire dicit, deditionem tantum ultroneam postulare publico beneficio. Obsessis adhuc nulla summissa auxilia, annona etiam destituti, ne muniti quidem sunt sufficienter; qui si forte fortuna succubuerint, Iuppiter Optimus Maximus, quanta victoria potietur Heremita, quanto pudore Regina, ignominia Petrovius offundentur. Sed haec merebitur Petrovius ob animi vilitatem et avaritiam. Si vincet Heremita, nec mature statuet perficien-

dum, quod incepit, tunc demum judicate omnium mortalium nequissimum, quem hactenus fucus texit, dolus fovit, sola promovit largitio. Vale. VIII. Octobris 1550. Agriae.

LVII.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

Oct. 10. Turcae Zolnoccho magnopere offenduntur. Jussum erat Budensi passae Kaszuno, ut, si castellum illud nos essemus erecturi, ille summa celeritate opus praeriperet. Nec etiam a vi aperta si res postulasset, quicquid de induciis futurum esset, abstineret. Is injungit eam provinciam Albensi praesidi, qui quum nihil sibi de castellorum erectione mandatum esse diceret, Albae duntaxat custodienda moenia Caesar tradidisset, non obtemperavit. Reluctationem Albensis satrapae, Zegediensis temeritas aequavit. Captus is ejus gloriae cupiditate, petierat a Caesare, ut sibi ea cura mandaretur. Impetravit, profectionem edicit. facit apparatum tentatque interim per exploratores, an praestare possit, quod jactaverat; sed nequicquam, quia praepostere. Quum enim comperisset, molem sibi esse imparem, ipse quoque destitit. Sic res incuria omnium in plures dies extracta, rex vero noster, dum ea de re diutius contendunt Barbari, factus certior, hostem suum Solimanum omnino esse eo animo, ut opportunitati suae quam primum Zolnocchum occupe-

tur, materiamque jam omnem ad muniendum in promptu esse, et Kaszunum, relictis aliorum operis, totum in eam provinciam personaliter incubuisse, imperat comiti, ut sine mora coacto exercitu, Agriam contendat, et Zolnocchi castellum faciat, tanquam in suo. Nec Turcis ansam calumniandi praebeat. Nolle se ulla ratione quicquam induciis detrahere, sed in foedere constantissime permansurum. In hunc modum elusus Kaszunus magna dicitur inquietudine aestuare ob indignationem caesaris, cui significarat, jam se instituisse ejus auspiciis Zolnocchum. Sed deprehensus est in mendacio, eique jam a caesare missam esse atratam clamydem pro more turcico ferunt, mortis illius nunciam, nisi et Zolnocchum a nobis extorserit, et Agriam usque fines prorogarit. Quare si his nostris limitibus de sufficienti praesidio pro magnitudine periculi non prospicietur, quid hic tractus brevi percepturus est incommodorum, melius te novit nemo. Cura igitur, si est ubi, et apud quem, tu inquam, qui inter primos es optimates non postremus, ut firmior et melior ratio ineatur patriae vindicandae quam hactenus saepenumero factum est. Consistentes milites exigunt confinia non temporarios. Nos autem per intervalla torrentum more, et erumpimus et subsidemus, atque ita res hostes agunt, nos incipimus. De Petrovii atque Heremitae insania nihil est allatum recens, nisi quod in oppugnatione Cianadiensi Turcae quoque adjunxerunt sese Rascianis, quos non alios existimant esse, quam Zegedienses, Syrmienses et Belgradenses. Nam Budensibus, Albensibus et Strigoniensibus hic etiam curae satis est. Sed haec adhuc dubia, brevi tamen aliis nunciis certiora afferentur, quam quae nunc habemus. De Solimano dicitur, quod hoc motu nostro

perturbatur non minus, quam Persico, ob idque in Transsylvaniam nihil copiarum audere mittere Reginae auxilio, veritus insidias. Igitur in insequentem annum omnes dilatae irae. Nos certe, utcunque Turca cogitat, ea, quae ad manum sunt, sic decebit agere, ut futuris periculis occurratur, praesentes motus in concordiam adducantur. Vale. X. Octobris 1550. Agriae.

LVIII.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho S.

). oct. 11. Nos jam hic egregie armamur, et in armis his longe, puto, diutius erit nobis perseverandum, quam forte fortuna nemo initio existimasset. Quoniam Zolnocchum excitavit huic loco satis cumulate veteres sollicitudines, et attulit novas non pauciores, neque minores. Firmato castello milite et munitionibus, nunc commeatu expletur. In Transsylvania XXX. septimus jam dies est, quod Heremita Albam obsidet. Habet exercitum (ut publica voce audimus) XXIIII M. hominum; quamvis longe est secus, et in iis equitum sunt XVI M. peditum VIII. sed qui ejus aere merent IIII sunt dumtaxat equitum millia peditum mille. Reliquus numerus ex Provincialibus et nobilitate diversorum comitatuum, collaticius est. Diu obsessos non petiit ulla vi machinarum; ad ultroneam deditionem sollicitavit assidue, Petrovium, ut Tur-

cam et hostem publicum, pupillum. ut ejus gentis dominum, reddi sibi postulando. Regina, ut foemina, quae non capit hostis nomen, cum caeteris ut imbecilles, et indulgentia magis, quam severa pro belli jure animadversione digni, non tanti aestimati sunt, ut in eorum conatibus pondus haberi declararetur. Ad consensum tantum regni publicum et christianam societatem hortati, venia etiam ultro quotidie oblata, si ante vim sententiam mutavissent. Verum quoniam in obstinatione perdurant, bombardis quoque jam admonet et oppugnatione muros sollicitat. Nec prius ad hanc vim dicitur accedere voluisse, quam comperit certo et Reginam et Petrovium Turcas evocasse. Passa enim Budensis jam movit Pesto, et in Transsylvaniam pergit, sed non cum tantis copiis, quas Heremita deberet pertimescere, nisi inter eundum augebit. Dubium etiam est, quonam signa vertat. Nam haesit ferme in medio itineris, quod est inter Zegedinum et Zolnocchum, et Zegedinum versus erit ei declinandum, si in Transsylvaniam animus est, quod quidem firmiore fama fertur. Sed interim et hic suspectus est is ejus motus et haec mora, et hoc anceps iter, ne forte alio via demonstrata, erumpat in Zolnocchum. Seculi Heremitam non destituerunt. Saxonum quidam potiores Reginae adhaeserant, sed cognita plane ejus mente de inducendis Turcarum auxiliis una omnes cum nobilitate et Seculis redierunt ad Heremitam. Francisci Kendini dubius animus, ac (uti nuncii Heremitae afferebant) cum Petrovio sentit, quamvis cum Heremita simulet, hic vicissim secum; et quod enormius de tanto homine publica etiam fama vulgavit, ejus ambitionis scintilla tantum incendium excitavit. Sed verius de hoc postea. Comes summa

vigilantia et dexteritate rebus praest. Nihil certe praetermittit, si quid ego judicii habeam de alienis actionibus quod audiendum, videndum cognoscendum experiundumque et agendum est optimo maximo et prudentissimo belli ductori. Illud dumtaxat eum quoque perturbat, ut alios omnes, quod comitatus dimittuntur. Qui si omnino missionem tam cito impetrabunt, (ut eis negari nequit,) stipendiarii milites, qui remanebunt, vix sat erunt tanto limiti, hoste praesertim non mediocriter, ut affertur, aucto. Non enim multi supererunt. Turcae autem ad tantum motum qui a nobis factus est, serio videntur esse multiplicati, timendumque, ne tunc ipsi bellum ordiri incipiant, quum nos desierimus. Arx Cianadiensis adhuc resistit sed periculum est, ne succumbat, si Turcae obsidentibus accesserunt, quod ita esse nunciant. Haec a legatis Heremitae, qui hic fuere nudius tertius, magna ex parte cognita. Vale. XI. Octobris 1550. Agriae.

LIX.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

Mitto tibi Zolnocchum ad veram formam effigia- 1550 oct. 12.
tum. Utinam pro eo Transsylvaniam non amittamus. Heremita obsedit Albam IIII. die Septembris cum XXIIII M. hominum ut vulgari fama nunciatur, ut veriore vix cum 12. Inclusa est Regina, filius, Petrovius et Rascianorum circiter II M. Nec ulla vi ingeniorum diu urbem oppugnavit; circumsedit tantum, subinde Petrovium ut Turcam et hostem publicum, filium, ut Transsylvanorum dominum efflagitando, caeteris ut inutili et imbecillae turbae omnia tuta pollicens, Pupillo et Petrovio deditis. Verum iis a pertinacibus non obtentis jam et bombardas admovisse, et urbem oppugnare dicitur, quod non prius agere voluit, quam exploratum habuerit, spem obsessos suae salutis in Turcis posuisse, eosque sibi in auxilium evocatos, esse jam in itinere. Hodie novi oratores Heremitae ad Comitem venerunt. Andreas Bathoreus a Somlio et Georgius Croata Tininiensis, qui novarum rerum quid attulerint nondum compertum habeo, paventi tamen Varadino, et periclitanti Cianadino Comitem ad succurrendum hortatur. Postulat etiam sui curam geri non tamquam in praesentia aliquo periculo laboraret sed ne quid illi imposterum praeter exspe-

ctationem accideret. Futurorum enim est sollicitus, quoniam Budensis pasa jam movit e campo Rakos ubi castra habuerat et in Transsylvaniam obsessis auxilio contendit. Esto quod non omnino magnis cum copiis. Habet enim CCCCC-tos circiter equites supra II millia. Viritim tamen provocaturus est quicquid erit Rascianorum, ut a Regina est illis mandatum, jamque, ut fama fertur, non exiguo numero Chianadinum convenerunt. Accedet et Valachorum melior pars, et Turcarum tot ex proximis limitibus, quot licebit sine periculo praesidiorum adimere. Sollicitabatur Comes ne Kaszunus Zolnocchum invasisset, quoniam profectus e campo Rakos recta ad oppidum Nagy-Kewres pervenerat, unde non plura Zolnocchum milliaria restabant, quam tria. Verum revocatus consilio, quod non facile scitur, nisi si induciarum causa, relicto Zolnoccho repetiit Zegedinum, atque ibi substitit, dubium metune Transsylvanorum concursus an exspectatione majorum virium, quod minime latere Heremitam putandum est. Ideo sedulo satagit, ut tempestive futura jacula praevideantur. Sic Comes impraesentia liberatus est cura, et quintani facilius dimittentur. Quamquam tamen Comes, ne Transsylvaniae quidem deerit, si voluntas regis erit et ea cura illi mandabitur. Videtur enim indies, meo judicio, perspectius habere, quid facto opus sit in Hungaria liberanda. Fungitur sane ipse maxima diligentia suo munere, nos etiam alii arma gestamus et cum Zolnoccho omni fere nocte minime laeta somniamus, dubii interdum vel de magnis rebus, nedum de hoc statu, qui est ultimus et miserrimus, praesertim si sic ut hucusque. Omnino autem nihil facimus, quod majorum pace dictum velim, dum tam probe inducias, jam ab

hoste toties violatas, nostro malo observamus. Rex suo in solo unum erexit castellum, ut in suo Turcae plura; eisque licet jam saepe saepius et dictum et declaratum est, caesari eorum injuriam non fieri, nec vim in eos erectione Zolnocchi intendi, qui limitibus ejus praesunt, nosque inducias servaturos, modo hae servarentur et ab illis: ipsi tamen his obauditis et plane spretis, jam IIII. loca nostra sub erectione Zolnocchi praeda et vastitate affecerunt, neque commovemur. Verum haec fortasse minus vulnerarent, ut exilium pagorum afflictio; at illa illa maxime est pertimescenda plaga, quam induciarum reverentia comminatur. Passa Kaszunus, fretus fidei et integritatis regis nostri fiducia, qua scit servaturum inducias, tuto in Transsylvaniam signa convertit, nihil finibus suis metuens, quos induciarum sacramento tutos fore sibi pollicetur. Si igitur et nos in opinione servandarum induciarum jam suscepta et vulgata perseverabimus et Turca secure in Transsylvaniae fortunam debacchabitur nobis intuentibus, Deus bone, quam pudendae, quam damnosae nobis futurae sunt hae induciae, quarum religione jam dudum ab hostibus violata fratres nostros atque affinem Hungariae provinciam subjugari patiemur. Sed hoc viderint, qui frena moderantur, Tu vale et feliciter vivas. XII. Octobris MDL. Agriae.

LX.

Oppolitanus Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Oppolitano S.

Oct. 14. Nullas me ex eo tempore dedisse ad te litteras, quod nos disjunxit, fateor equidem ipsemet ultro et veniam peto, si quid culpae ex hoc, tuo judicio, incurrissem. Quanquam quid huc aut de culpa aut de venia? si officio nec oblivione nec incuria defuerim, sed sola infirmitate, illa, inquam, viennensi infirmitate, cui non fuit satis, istic me per totum Quintilem quotidianis febrium ignibus pejus omni Aetna torruisse, nisi et Agriam prosequuta, per totum Sextilem quoque novo adjuta coelo, mihi etiam alias multum insolito, ita torquere et debilitare voluerit, ut prope enecarit, quo longe sane in exitu graviorem initio cognoverim, mecumque nec adhuc rediit in gratiam, quum reliquis malis etiam intestinorum tormina adjecerit, denuoque mihi manuum nervos laxare et dissolvere intendit, quemadmodum anno adhinc VI. dissolverat, quum Transsylvania decesseram. Obstiterunt huic muneri tumultus etiam bellici, caussa Zolnocchi excitati, quibus nunc haec loca tam misere conflictantur, quam qui de ultimis rebus periclitentur. Unde ne nobis quidem qui in litterarum studiis omnem aetatem deterimus, veniunt in mentem litterae, quum assidue Mars est in oculis. Nec mirari debes.

Nam iis hostibus die noctuque territamur, qui non libertati et vitae solum, sed religioni etiam nostrae insidiantur; iis demum praesidiis tutamur, quibus et dissipamur et depascimur. Ignosce igitur et compatere meis periculis. Caeterum quod omnino prior voluisti ad scribendum provocari, haustus forsan Satillae gremio, non indignor tibi, quum jure possem, si promissa tua recenserem. Sed jam responde provocatus, scribasque de omnibus, quae istic aguntur, et ultra. Me, si mei juris fuero et hos tumultus magis augebit Enyo, brevi tuae restituam consuetudini. Verum interim exigo tuas litteras et efflagito, nisi flagitio damnari velis. Vale. XIIII. Octobris 1550. Agriae.

LXI.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

Decimo kal. Novembrium accepi litteras tuas, 1550. oct. 26.
ex quibus quod intellexi, meas quoque utrasque epistolas tibi fuisse redditas, quas postremo famulis tuis dederam, non parva exsolutus sum sollicitudine. Paulo post has dedi et tertiam per hominem Andreae Bathorei a Somlio, qui Posonium usque missus, ad te quoque excursurus erat, si res, quas gerit, postulassent. Scire itaque cupio, an et haec tibi reddita sit, qua incluseram sororis tuae et ipsius Andreae litteras, ex quibus mihi omnino persuasi, te de Mailado tuo cognato aliquid accepturum, quo in tuis de ejus

statu cogitationibus respires. De Transsylvanis motibus id habemus. Inducias mutuo nuper pepigerant ad festum divi Martini pacis tractandae gratia, eaeque inter eos intercesserant conditiones: Ut Heremita subsit et morem gerat Reginae omnibus in rebus ad ejus dignitatem et dominationem pertinentibus. Ut Turcis pendat, quod postularunt. Ut cum Petrovio redeat in gratiam, agantque uno consensu et concordi studio ac fide omnia, quae Pupilli salutem et beneficium concernant, armaque deponat et exercitum dimittat. Regina et Petrovius Turcas e Transsylvania redire faciant, curentque Solymanum provinciae, si id erit ex usu et publico commodo, reconciliandum. Misso itaque nuncio, qui eos nomine Reginae et Petrovii amandaret ac referret Heremitam ad officium rediisse, jus dominii et authoritatem pristinam Reginae restitutam, pacataque omnia esse in Transsylvania propter quae Caesaris opem imploraverat, — ingratam habuere legationem. Caeterum, insessis Lyppa, Orodio, Symando, montis Macri radicibus et plerisque aliis in ea regni parte locis, in quae 14. die Septembris advenerant, renunciarunt: se non ita facile redituros, ut Regina atque Petrovius cogitarent. Si ipsi stulti, inepti et leves essent, caesarem suum suosque purpuratos sanos esse nec puerorum more ludere. Sibi autem parendum esse principi suo, resque fortiter peragenda, cujus causa in eam provinciam advenissent. Si praeterea erit omnino redeundum, caesaris mandatum exspectaturos, interim tamen persanda sibi a Regina et Petrovio esse tanta illorum pericula, tot labores, tot impensae, et insuper remunerandum beneficium, quod in eos erant locaturi. Et nisi reddiderint satisfactos, praedas vastita-

temque ubique suo more edituros. Petunt autem, ut pro more suo dicunt, singulam sablam (gladii id turcici praecipuum genus est), aureos nummos XXXII* et securum receptum. Huic summae Heremita non subscripsit, ut iniquae et gravi; sed obtulit donativum non contemnendum, si modo exitum maturaverint. De securitate etiam reditus facta fides, si a populatione abstinebunt. Episcopus Vaciensis Sbardelatus missus est per nobilitatem hortatu Comitis, et consilii ejus ad Regem de publicis rebus per veredarios Augustam. Ego rem familiarem curo. Vina et frumenta erunt mihi, quae indiem sufficient, pecuniae per clepsydram veniunt, recedunt plena manu. Quicquid enim nobis est redituum, partem rapinae optimatum sibi vendicant, multa milites dissipant, plura hostilis metus et vicinitas adimit. Vale. XXVI. Octobris. 1550. Agriae.

---

* Kimaradt: M.

LXII.

Federigo Badoario velenczei követnek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Federico Baduario Oratori Veneto S.

oct. 26. Nihil sane unquam indignius a me commissum puto, Federice humanissime, quam quod nullas ad te tam diu litteras dederim, quas quidem crebrius, et pene quotidiano studio debebam dare propter singularem tuam erga me benevolentiam, et eam consuetudinis tuae familiaritatem, cujus quod mihi tam cito, tam largam ac liberam feceras potestatem, facile apparebat, in eorum me relatum esse apud te numerum, quos peculiariter amare consueveras. Igitur etsi sciam, nullum mihi argumentum esse, quo juste meum tibi silentium excusare possem, quod profecto (ut vel ipsemet in mea prorsus infirma et nec producenda causa feram sententiam) non solum objurgatione verborum, aut severiore epistola reprehendendum est, sed et sensibiliter, quod ex amore dico, quo te complector, castigandum. Tamen ne humanitati et facilitati tuae gradum ad bene merendum intercipiam, qui longe majores culpas aliquando soleas amicis tuis condonare, faciam luctantium more, qui saepenumero jam victi et prostrati quaerunt sibi pudoris suffugia vel in errore manuum vel in lapsu pedum, et id genus in rebus aliis, quo statim deditionem non faciant, omnia fortiora de se in secunda lucta pollicen-

tes. Non me fugit, quanta tibi ad Augustana nuper comitia proficiscenti de officio scribendarum ad te litterarum receperam, quantum et fidem feceram, quod ipse quoque familiari quodam negotio expedito, quam celerrime essem ad eadem comitia festinaturus. Quod negotium ne te omnino celem, pecunia mihi e sacerdotiis meis exspectabatur, sine qua, scis, quod incommode omnis dignitas, omnis existimatio, omnis denique status ubivis locorum sustentetur, nedum Augustae in tantorum conventu et celebritate principum, ubi etiamnum merae nunciantur devorari non impendi pecuniae. Hac igitur exspectatione sollicitus, dum quotidie profectionem meam meditor, nec interim quicquam affertur Agria, et officio scribendi defui, et in multos dies frustratus amicorum pollicitis cum quibus egeram de pecunia, Augustanum quoque intermisi iter. Sic mecum ipse gravissime perturbatus raptim me Agriam contuli, sperans ita rebus meis prospecturum, apologi illius exemplo de Cassita, ut bene omnibus necessariis provisus, quae tum forensis usus tum aulae status postulabat, eodem me, quo institueram, retulissem. Sed et hic exceptus belli difficultatibus dum Zolnocchum Turcis opponimus, jamque et redituum nostrorum fructus non colligimus, sed aeque cum nostris militibus ipsi quoque diripimus, quae cura multis aliis proponenda esse videbatur, tantum abest, ut vel in mea domo, quieverim, vel faciendae rei partem aliquam promoverim, ut millies huc venisse poenituerim, detestatus et castra, et castrorum causas. At, dices, interim cur vel in cursu aliquid non scripseris, sive nunciaris, ut te sciremus saltem vivere; nec enim omnino et otium tibi et materiam defuisse credimus, amicitiis vero vel ip-

sis nutibus solet satis fieri, si desunt interdum reliqua. Non materia mihi quidem defuit, non otium, non voluntas propensissima, tuique memor semper fui. Sed quoniam et de Zolnocchiensi expeditione res quasi sub pallio gerebatur, nihil statim cognoscebamus, cavente optimo principe modis omnibus, nequid ea in re perficienda accideret incommodi; et de Transsylvanicis motibus, qui interim erant suscitati, mira varietate referebatur ita, ut quolibet die alia atque alia vulgo spargerentur, non sum ausus ad te quicquam ex trivio scribere, calamumque hactenus eo animo pressi, ut totius rei eventu habito, pleno tibi paulo post commentario satisfacerem. Jam si quid est in his, quo me ab indignatione tua securum posse esse arbitraris, declares tuis litteris, velim; sin minus, ex nunc haud gravate veniam peto, et si forte minus impetro, feram tamen quicquid statues, aequo animo, mihique, magnanime Federice, et iratus et bene affectus semper amandus, semper colendus, semper omni honore et reverentia singulari eris prosequendus. Contemplando enim in te non humanas solum dotes, quibus es excellenter cumulatus, sed divina prope omnia, et raram institutionem, ad omnia maxima, pia praesertim et moderata comparatam, periculum mihi de benevolentia tua non putavi esse pertimescendum. Sed excusationi satis est datum, quam admittas ut ab amicis soles benigne simul et humaniter. Vale. XXVI. Octobris 1550, Agriae.

LXIII.

Oláh Miklós Verancsics Antalnak.

Nicolaus Olahus Antonio Wrancio suo S.

Binas tuas litteras accepi ante aliquot dies intra Septembrium et Octobrium kalendarum tempus ad me datas. Habeo tibi magnas gratias, quod non praetermiseris me de his rebus facere certiorem, quas ab aliis minus perspicue et copiose cognoveramus. Negotium lectoratus Strigoniensis, spero quod brevi pro voto tuo expediam, habes enim principem tibi benignissimum, me paterne affectum, ejusque donationis litteras, quum Agria Viennam redieris invenies apud Bonnam meum sororium. Proinde mittam hoc triduo istuc Matthaeum Zerdahelinum secretarium meum in quibusdam rebus meis peculiaribus, cui te in omnibus collegam assignavi, jussique, ut nihil prorsus agat sine te et consilio tuo, quemadmodum ex eodem Matthaeo et ex litteris meis, quas ei ad te dedi, intelliges. Tu itaque interim, dum Matthaeus advenit, tuas res familiares istic componas, quo postea confectis meis negotiis, ad me remeare possis. Vale. 23. Octobris 1550. Augustae. 1550 oct. 11

LIV.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho Sal.

nov. 10. Litteras tuas XXIII. Octobris datas, IIII. Novembris accepi, quae quidem me magna laetitia et voluptate affecerunt, idque non tam ut nunciae accessionis novi et opulenti beneficii, quam quod meis te obsequiis uti jam velle video; quamquam et dona et beneficia tua, quibus me prius etiam quam pene cognoveris, et ornare et locupletare coeperis, ita complector et excipio, ut nihil neque gratius, neque desideratius. Deus immortalis hanc tibi erga me benevolentiam simul et beneficentiam omni largitate et ea gratia referat, quae tibi quam gratissima et quam amplissima provenire possit; ego vero enitar omni diligentia, ut gratitudini erga tantum, tamque munificum benefactorem meum nunquam desim. Ad mandata autem quae das, quod attinet. Etsi consumptis jam et plane exantlatis omnibus his, quibus retroactae vitae meae anni per tantam varietatem fatorum cucurrerunt, statueram proximis kalendis Jani primitias meas celebrare, ut sequutus felicia tua in hoc sacrorum genere auspicia, is demum ipse quoque esse incepissem, qui dudum esse debebam, nec imposterum ordini meo et spiritui sancto refragarer, qui me ab initio mystem divinorum esse voluerint: tamen post-

quam et ex litteris tuis, et ex Matthaeo tuo cognovi, quae me id temporis velles in tuis rebus non exilibus, distuli meam hanc cogitationem, et ad injunctam a te provinciam appuli animum, et omnem industriam. De beneficiis tuis illud dixerim, ut mihi illic studeas benefacere, ubi tecum semper esse possim, esto quod Strigonii simus, quis enim hoc non optet tibi? quia hic certe multum etiam imposterum laborabitur, sive id de Turcis, sive de praesidiis nostris rapacissimis velimus intelligere. Nova, quae ex Transsylvania habemus, triduo post scribam copiose. Nam multa uno tempore sunt allata. His autem maturandum fuit, ut quam primum de voluntate mea in tuis rebus tibi constaret. Vale. X. Novembris 1550. Agriae.

LXV.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho S.

Proximo septembri mense Thomas Varcotius[1550. nov. 15.] permissis Turcis incolumes Lyppam pertingere, et illinc etiam in Transsylvaniam promovere, dubium, quo consilio, praesertim quum et transitum illis obsedisset, et copias haberet longe majores, quam ipsi essent, Cianadinum obsidione Rascianorum liberavit, multa in ea gente et praeda et caede edita, et inde latius propagata victoria, castellis quoque quibusdam Petrovianis potitus. Inter quae potiora sunt: Nagy-

lak, Ciallia, Mako, Egeresth et Orozlanos; hisque in locis castris positis, et possessis castellis dicitur se servare majoribus rebus. Ita certe, si e Transsylvania Turcas redeuntes denuo se videre simulabit. Haec dum aguntur foris per Varcotium, Heremita in Transsylvania deceptus concordiae fiducia, quam cum Regina et Petrovio confecerat, adiit grave periculum, quod tamen evasit. Quum enim omnibus in his obtemperaturum sese Reginae fide obstrinxisset, propter quae in illum commota esse videbatur, promisisset insuper omnia impensa de suo Turcis reponere, et pro more donativum mittere, si modo et ipsa eos sine ulla dilatione regno amandandos curaret: tantum abest, ut et ipsa promissis suis stare voluerit, et Heremitae diu poenitudine et deditione contenta fuerit, ut III. die a concordia ipsum libellum concordiae, illi remiserit, adjecto: respuere se ejus obsequia, partamque secum paulo ante concordiam nolle habere ratam. Sedulo inde sub induciarum tempore sollicitato Turca clandestinis nunciis, ut Kaszuno majores copiae summitterentur, cogerenturque etiam Valacchi novis mandatis in Transsylvaniam properare, et cum Turcis signa conjungere, hisque pro voto impetratis et mox a facta concordia cognitis: mulier pro sexu constantiae immemor, animum in occasionem inclinavit, pollicitaqne sibi victoriae fiducia, prosequi inveteratum odium etiam cum periculo et infamia maluit levitatis, quam in pace, quae illi, ut affertur, honestissima et commodissima offerebatur, permanere. Sic omnibus rebus perturbatis subita mutatione muliebri, omnes populos ejus provinciae ab se alienavit, Heremitam vero in coeptis etiam securiorem fecit. Uno enim tempore accepto a Regina concordiae libello auditoque

hinc Turcarum, illinc Valacchorum inopinato ingressu, commotus et in furorem quendam incensus, ut qui jam conquieverat in fiducia futurae pacis ex induciis paulo ante Albae transactis, et pergebat ea curare, quae sedandi regni usus exigebat, repente Thordam profectus, convocavit conventum, de reginae inconstantia conqueritur, opinione periculi omnes imbuit, eundumque obviam Turcis, denuo popularibus armis excitatis, persuadet. Ibique omnium animis in Reginam aeque ac in Turcas incensis sibi vendicat, et ad novam expeditionem conflandam inducit. Igitur emisso per provinciam edicto, cum sanguineo veru, ut apud gentem nostram in subitis et gravibus rebus fieri consuevit, denuo omnes populos in arma excitat et jubet Vasarhelium convenire, quo ipse quoque Thorda abierat, indeque paucorum dierum spatio coacto populo et milite mercenario, summa celeritate venit Saxosabesum, statuitque Moldavis prius occurrere eo consilio, ut prohiberet, ne cum Turcis conjungerentur, ea etiam spe, ut si hos mature repulisset, et Transalpini et Turcae ab ulteriore progressu arcerentur. Nec cessit ei tanti consilii tantaeque spei exitus infeliciter. Ingressa erant Moldavorum XIIII. M. per viam Oytoz in Seculiam. Illinc sumpto itinere per Burciae campos, penes Brassoviam, Alutam amnem et oppidum Prasmarinum, inde per Segesvarinorum et Meggiesiensium agrum, relicto in sinistra parte Fogarasio et Cibinio ad Saxosabesum urbem magna planitie circumfusam, Albaeque et Vincio conterminam cum Turcis et Transalpinis conjungi animus erat. Heremita ad Vasarhelium oppidum, metropolim Seculorum, cum suis copiis consederat, loco sane patenti, et ad rem bene gerendam valde oppor-

tuno, sive acie foret decertandum sive obsistendum Barbaris, utravis via irrupissent. Nam in ea Transsylvaniae plaga duae potissimum semitae sunt ex Moldavia in Transsylvaniam: altera Oytoz quae Brassoviae imminet, altera Radnabania, quae Bistriciae; illaque sola currulis est et nonnihil lata, haec angustissima et sylvarum densitate impedita, vixque equiti pervia. Igitur ubi primum constitit Heremitae, Moldavos esse in provincia, extemplo in eos VI. M. equitum misit et praecepit congredi. Verum territi Valacchi incursu Heremitanorum repente terga verterunt, fusique statim sua ignavia, sine et sanguine et negotio rejecti sunt in suos fines. Eorum casu Transalpini quoque qui jam per Turrim Rubeam Cibinio adjacentem juxta Alutam flumen irrumpebant, repressi; injectus et Turcis metus. Ii enim ad pagum Ilye, paulo infra montem Aranyos nuncupatum in dextera Marisi amnis situm, Devensi arce in altera ripa, duobus circiter milliaribus a tergo dimissa substiterunt, opperientes Valacchorum adventum, ubi in hodiernum diem haerere perhibentur, satis jam de reditu solliciti, quod et Varcotius eis receptum cum IX. ferme M. hominum intercluserit, et Heremitam firmatis praesidio finibus Seculorum cum ingenti turba provincialium a fronte venire intelligunt. O occasionem complectendam, o diu fortasse imposterum talem non eventuram, si hanc emiserimus, quum et reditus difficultate laboret hostis et magnam virium partem Christianis debeat, quos attraxit, secum domi relinquere non ausus, ne quid molirentur in occasione. Vereor adhuc tamen jam violatarum induciarum religionem. Et utinam earum reverentia non obsimus Transsylvaniae, qua amissa ne nomen ipsum quidem

aut ipsa umbra Hungariae remanebit. Recte Valacchi itaque, meritoque maxime laudandi, qui tam constanter vel pecunia vel pietate Christiani nominis cum Heremita consenserunt, (quod fama fertur) ut ei ultro primam de se victoriae partem concesserint, fugam simulati; sed nos non aeque commendandi, si et iis et nobis ipsis defuerimus. Regina in arcem Dyod concessit cum Petrovio, nimirum jam sola cum solo. Quae profectio fugae mihi videtur esse similis, eaque omnino comprobabitur si inde ad Gialuanam arcem descenderit. De Petrovio, multa insana, vitam ejus solitudinem et gemitus et suspiria esse ajunt. Visus est non semel in proximum immigrasse e curia redeundo, suum existimans, et in colloquiis saepe subito quodam stupore conticescere, intueri tamen in homines, ut in contemplatione solent a spiritu rapti. Deus et iis mentem restituat, et Transsylvaniae opem afferat. Hic sunt quieta omnia, credo causa absentiae Turcae. A praesidiis tantum nostris expilamur et subigimur. Vale. 15. Novembris 1550. Agriae.

LXVI.

Oppolitanusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Johanni Oppolitano S.

nov. Proximae litterae tuae ad me quanto fuere longiores, tanto venerunt gratiores, et tibi habeo ingentes gratias, quod tantam consuetudinis nostrae intermissionem, mutuarumque litterarum cessationem tam longa tamque suavi epistola resarciveris. Ea quidem mihi tantum et tui videndi et ad te redeundi ardoris attulit, ut illam ipsam epistolam saepius perlegerim, diuque meo, tanquam si tecum essem, in sinu gestarim. Ad eam si breviore tibi respondeo, ignoscas velim, considerato, quo sim loco. Porro merito tu quidem revocas me et hortaris urbem colere, sic enim est, ut scribis et me a pagano victu nemo est credo, nec unquam fuit alienior, nemo etiam erit imposterum, sit licet vel a Jove oriundus. Ut enim nefariam militum licentiam non attingam, quae hic nobis prope hostiliter dominatur, aedes mihi obtigerunt ita desolatae, hiantes, nudae, sordidae, et oppletae fimo equino, ut ab eo tempore, quo veni Agriam, nihil fecerim aliud, quam quod his purgandis, reparandis, et in aliquem usum restituendis vacarim, quo me jam ab imminentis hyemis injuriis commode habere atque tueri possent. Merito itaque mihi Oppolitane, compateris, et vices meas doles, quod et a te et ab urbana celebri-

tate absim. At sua cuique Sparta ornanda est, quaecunque sorte obtigit, temporique, juxta sententiam prudentum semper inserviendum. Te tamen ne omnino non aliqua ex parte in spe confirmem reditus mei, scito, quod brevi veniam Viennam, si modo id evenerit, quod ad me antistes meus scribit. Tu quod te legibus tradideris, et ad oratorum scholas transieris, Helicone intermisso, probo, quod in tuis rebus maxime. Arbitror enim te sat jam Satillae lusisse, tibique nunc jam demum ista aetate ad altiora eaque certe seria studia conscendendum est, debebisque imposterum juvare mortales quos hucusque decantasti. Vale. 15. Novembris 1550. Agriae.

LXVII.

Verancsicsnak Oppolitanus János

Joannes Oppolitanus Antonio Wrancio S.

Tuum silentium meo silentio multare decrevi, 1550. oct. 15
non ut ira permotus esse videar, qua debeo, sed misericordia, quae tibi debetur. Vive. XV. Octobris 1550. Viennae.

ferunt transfugae, et Petrovius apud Temesvarum solita sua dejectus avaritia adhuc cunctatur, contrahere exercitum, quem promiserat. Sic his de causis Regina inops virium atque consilii, conjecta in metum, deserit Albam Juliam, ut urbem imbecillam, parvo cum praesidio, et concedit Saxosabesum, dato duci mandato, ut urbem dedat Heremitae, si tu eri nequiverit. Inde quotidianis nunciis necquacquam adveniente tandem sibi suppetias sollicitato Petrovio, venit Heremita, Albam obsedit, et deditione obtinuit. Tum Regina, tardante hunc in modum Turcarum auxilio, ignaviterque domi desidente Petrovio et Heremitae nimis ex voto fortuna prosperante, compulsa rerum suarum desperatione, multorum, qui favebant Heremitae vexata et circumventa suasionibus, tanquam agnito suo errore reverti vellet ad officium, deliberat cum Heremita facere concordiam. Facile et Petrovio persuasum de concordia, qui jam etiam ipse metum de perfidia Turcarum sibi confinxerat, ne quid argenti ad Reginae tutelam exponere cogeretur, advocatus Albam Reginae litteris, omni opinione celerius cum familiari prope equitatu advenit, ibique novam in societatem reconciliati, cuncta Reginae Heremita pollicente et concedente, quaecumque petebantur, ut in suspicionem illam apud Turcam magis conjiceret, ejusque negotia gravius intricaret, demum quoniam de impetu hostium in dies magis ac magis fama crebrescebat, Regina, misso alio ad Turcas nuncio (quod ex pacto transactae pacis facere cogebatur) oblatoque donativo non contemnendo, ne*).... viderentur, hortata est, ut reverterentur, quandoqui-

*) Három lekopott szó.

dem reduxisset ad officium et fidem Heremitam, nihilque in posterum de illius integritate tam erga se quam erga Solimanum eorum principem foret dubitandum. Nec jam armis esse corrigendum vel ipsum Heremitam, vel eos provinciales, qui ejus insaniam sequuti fuerant; omnia in illa provincia esse complanata et pacata, Solimanum vero regnis potiri non optare, qui carerent incolis; et satis poenarum seditiosis et pravis fieri, si cum pudore et damno revocassent, quae egissent perperam, — cum Petrovio ad arcem Dyod proficiscitur, fugam illinc ambo ulteriorem meditantes, si Turcae non rediissent casuque aliquo victores penitius in Transsylvaniam promovissent. Heremita quoque deducto ab Alba exercitu Turcis obviam, (uti supra diximus) in Saxosabessianum agrum eosdem repulsurus, si occurrissent. Igitur, ut divina quoque sententia constaret, quid authores hujus tanti facinoris mererentur, si minister poenas mature daret, tam impium scelesto ministerium funestissimum cessit. Ubi enim perlatum est ad Turcas, Reginam atque Petrovium cum Heremita in unitatem rediisse, idque non prius, quam se in fines Transsylvaniae perduxissent, suspicati dolo secum Reginam ac Petrovium agere, (mirum enim videbatur, quod sic praeter omnem exspectationem, et amicitiam cum hoste inivissent, quem opprimendum tanto studio a Sulimano contenderant, seque cum periculo eduxerant, et nunc demum prope ab ipsa arcentur victoria, quum se redire jubent), correpto Joanne Zalancio et quaestioni subdito, diu torserunt, doli confessionem exigentes. Verum quum nihil expressissent, utpote ab homine illis innocente, et hujus rei prorsus ignaro, vinclis inditis, fustibus caecidere. Postremo, nisi e captivitate

duobus filiis se se redimebat, abducebatur vinctus in servitutem. Jam de Regina et Petrovio nihil insigne ultra, ut de iis, qui de malefacti conscientia erubescunt, nec tuto lucem intuentur; Heremita vero felix satis successibus, sublimis fertur, quamquam ipse maluissem si Turcas non emississet, sed cum eis, postquam exercitu pollebat, conflixisset, essetque per me vel Alexandro gloriosior, vel Augusto felicior. In Agriensibus rebus novi nihil est, nisi jam Turcarum ex Transsylvania Budam reditus injecerit finibus his novae quippiam sollicitudinis. Comes Salmus infirmus fuit per dies aliquot, non omnino graviter, lecto tamen se se continet quietis causa. Stephani Lossoncii et Sigismundi Balassae compositio non est consequuta, obstinatione utriusque, dum neuter alteri quicquam existimationis suae concedit. Bene vale. XX. Novembris 1550.

LXX.

Gregorianczi Pál zágrábi püspök Verancsics Antalnak.

Paulus Gregoriancius episcopus Zagrabiensis Antonio Wrancio S.

Adeo, Antoni, fili amantissime, grata fuit mihi 1550. nov. 7
tua gratulatio, qua me ex Italia redeuntem per epistolam excepisti, ut si nulla unquam antea fuisset tua mihi vel audita humanitas, vel perspecta erga me benevolentia, hoc certe ipso tuo officio me nisi in tui amorem pellexisses, essem profecto saxeus. Tibi itaque pro isto in me singulari amore et nunc et antea optime cognito habeo gratias, ac peto, ut in me amando perseveres. Ego quidem si quid vicissim tua causa praestare potero, quo et dignitati et commodo tuo consulatur, nulla erit tanta difficultas, quae me a tuis rebus et accessionibus detinere vel deterrere poterit. Te autem filium propterea, jucundissime Antoni, nominavi, quod et aetati tuae et charitati nostrae mutuae non omnino id verbum dispar esse videatur, et quod in mea beneficia, quae habeam Agriae, me optime contento, velut in paternam haereditatem successisti. Ubi precor tibi a Deo Optimo Maximo eam praeberi rerum felicitatem, ut ad longe majora ex his mediocribus sacerdotiis liceat tibi conscendere. Meam ipse legationem Deo duce peregi Romae et fauste et feliciter totam. Litteras vero has*), quas ad

*) Így, hamarkodó kézzel, litterae quae helyett.

te cum meis mitto, datae sunt mihi Mantuae. Vale. VII. Novembris 1550. Posonii.

LXXI.

Gregorianczi Pálnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Paulo Gregoriancio episcopo Zagrabiensi.

nov. 29. O gratam perpetuoque mihi conservandam et exosculandam epistolam tuam, Paule antistes, omni veneratione dignissime, qua non solum successione Agriensium sacerdotiorum filium me tibi esse declarasti, quod et casus sibi vendicare et divina providentia potuisset, sed etiam adoptione quadam spontaneae voluntatis, meo prorsus perexiguo ductus officio, eadem epistola tua, veluti publico quodam testimonio, confirmasti. Quod quidem ut amori tuo erga me non obscuro tribui debet, ita etiam bonitati admirabili maxime etiam ascribendum duco, quum ei tu te in patrem obtuleris, qui filius tuus esse non merebatur, sed hoc facis exemplo servatoris nostri, qui prior et eligit nos et suscipit in filiorum adoptionem, quam vel expendere possimus tam praeclarum genus in quod inseramur. Itaque jam te parentem meum confiteor, jam colo, jam suspicio, et praesenti epistola omnibus pronuncio, ac do principium meis erga te filialibus officiis. Quare accipe nova, quae hoc tempore habemus ex Transsylvania. Heremita vincit jam omnia adversa in illa provincia. Milites ejus et Moldavos et Transalpinos Valacchos, qui jam diversa regni parte in fines nostros irruperant, non sine gravi eorum occidione, in sua claustra rejecerunt, Turcas vero, qui

Petrovii et Valacchorum adventus fiducia in Devensem agrum ex pago Illye per Marisum transierant, pauloque ultra progressi, Albam cogitantes, quo se Reginae adjungerent, inter Devam, et oppidum Zaasvaros nuncupatum consederant, ipsemet Heremita, qui ea parte Transsylvaniae supra Brassoviam, qua Moldavi per viam Oythoz in Seculiam descenderant, praesidio firmata, Albam cum multitudine Provincialium advenit, eaque urbe capta, transactaque cum Regina concordia, obviam Turcis processit, eosdemque coëgit primo adventu subsistere, et de reditu, fugae similiore constituere, jusso inde et Varcotio Varadiensis praesidii duce, ut eosdem a tergo vi quanta maxima possit, urgeat, totus in eo esse nunciatur, ut hostes intercludere et circumvenire possit. Nec desperatur de victoria, quoniam ad VII. M. equitum, ut verior fama fert non accedunt, Valacchis vero denuo non intrantibus, fugientur etiam non impulsi. Caeterum si in fugam quoque fortiter hoste excepto adigentur, acque speranda sunt omnia felicia. Is enim illorum locorum situs est, mihi saepissime peragratus, per quae fuga illis erit ineunda, sive per angustias Hazachiani districtus, quae vas kapu, hoc est, ferrea porta appellantur, ducentes ad oppida Karansabesum et Lugassium, Themeso amni adjacentia, sive secundum ripam dextram fluminis Marisi, qua venerant, revertentur, ut angustius atque iniquius nihil esse potest. Nisi si se commiserint sylvis Morsennae oppidi, quae sunt sane vastissimae, et latissime patent. Quum alioqui et in his nihilo levius laborabunt et periclitabuntur, modo Heremita, de cujus ego integritate semper sinistre divinavi, rem bene ac fideliter gerere velit nec fuci quippiam secum meditetur,

Porro mille in locis, positis hostibus ex sylvestri materia obicibus, nusquam eis non occurerre poterunt agrestium hominum manus, si jussae fuerint. Verum faxit Altissimus, ut et Turcae temeritatis suae poenas non effugiant, et ii a quibus in Christianos educti sunt, saniora consilia conplectantur. Regina cum suo Petrovio destituta pene omni ex parte studiis provincialium in arcem Dyod quae quinque M. passuum distat ab Alba, recepit se, et moereri nunciatur, sero fortasse faciens poenitentiam de Turcarum ope advocata. Quid plura? Primis litteris, quas dehinc dabo, omnium turbarum transsylvanarum arbitror me ad te catastrophen perscripturum, quia jam, nisi me fallit de transsylvanis hominibus, et de Heremita judicium, longa ejus hominis et nationum illius consuetudine acquisitum, videor mihi videre, Turcas incolumes evadere, nec attingi gladio Heremitae. Ferunt enim in exercitu ejus fieri cuncta langvide, dilabi omnes copias sine ulla missione, et sat fuisse debellasse Reginam, atque Petrovium, dudum sua ignavia et avaritia prostratum. Turcae vero audacter vastant, et populantur omnia, et regrediuntur nemine fere lacessente, sic demum, pater, timeo, ne in fine rerum omnium fallat Regem Heremita, fallat reginam Isabellam et Pupillum sibi creditum, adnitaturque omni conatu, ut in transsylvana dominatione sine collega atque censore confirmetur, servata Turcae clandestina amicitia. Verum longe adhuc secus, quam opinamur, et de Heremita judicium et de iis hostibus praesentibus poterit evenire. Tamen ex angustiis transsylvanis non erant in patentes Hungariae campos Turcae emittendi. Vale. XXII. Novembris 1550. Agriae.

LXXII.

Gregorianez Pálnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Paulo Gregoriancio episcopo Zagrabiensi S.

Veniens nuper a te Matthaeus Zerdahelinus, 1550. nov. 28; ille, inquam, Matthaeus noster humanissimus, tui ita studiosus et amans mei, ut admirari ac fidem facere facile possim, eloqui vero minime, retulit mihi maxima quaedam, et vera sane paterni tui erga me amimi signa, ex quibus magnam cepi voluptatem, judicavique sine omni plane ambiguitate, quanti me faceres, et quo affectu complectereris, qui sic ornamentis et commodis meis ultro operam dares. Cura siquidem ista tua et studium promotionis meae ad episcopalem apicem tanti habetur apud me, quanti apud verum filium debet, quum alioqui vix eam animo etiam capio, nedum ad habendas et referendas gratias sufficere confidam. Vincor igitur, vincor, Pater, tua benevolentia, atque isto tuo incomparabilis meriti officio, qui me prius etiam quam bene cognoveris, quum vix ter certe videris, jam et beneficiis augere festinas. De quo quid dicam aut quid praedicare debeam, certe aliud nihil, quam ut perpetuo bonitatem ac dilectionem istam suspiciam, colamque. Fortunae vero meae plurimum et profuse gratuler, quae post tot naufragiorum volumina tuto portu excepta, non de

pristino splendore solum, sed etiam de cumulatiore fit secura. Nec audeo plura loqui, ut homo cujus fortuna rimam fecit. Verum quicquid mecum paterne egeris, non cum alieno egeris, sed cum filio, qui digna trutina semper, quoad vivet, tanti parentis amorem, et patrocinium aestimabit. Caeterum de dignitate episcopali non sum sollicitus, cujus quidem functionem mirifice reformido propter praesentis, aevi infelicitatem, quo in antichristos incidimus, a veritate excidimus, et hominibus placere aeque studemus, atque cogimur. Tu tamen fac mecum et pro tua conscientia, quae te falli non sinit, et pro amore quo me prosequeris, ut lubet. Si enim et legem adimplere, et pietati satisfacere studes, nec proximo, nec filio deesse poteris. Cave tamen, ne plus amori hac in parte indulgeas, quam ducaris conscientia. Haec enim nobis vera suadet, ut propinqua spiritus, et interioris vitae nostrae certus testis; ille plerumque falli solet, nempe cui externa dominantur, et cum mille affectibus miscet vices. Jam si nobiscum pie ejusmodi reputare voluerimus, Deo certe, Pater, hanc sollicitudinem permittemus, qui quum et nostri curam gerit, ut quorum etiam capilli capitis numerati sunt in coelo, et ecclesiam suam nunquam destituit, non est dubitandum quin sit eos reperturus, et vocaturus pastores ad custodiam gregis sui, quos dignos esse cognoverit, licet ii vel lateant, vel refugiant, vel longe alia meditentur. Non enim Aaron ambibat, Mosis fratris sui in sacerdotio et in procuratione populi Dei consortium, non Petrus, non Andreas piscatores, non persequutor Christi Paulus, caeterique fratres domini apostolatum affectabant, quando vocabantur; de Saule vero et Davide, quid dicemus, quando et ille in-

LXXIII.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino S.

1. 11. Turcae jam trajecerunt Tibiscum salvo toto exercitu, praeter quosdam paucos, qui in excursionibus ceciderunt, digressique apud Zegedinum omnes in sua redierunt. Convenerant autem Bosnenses, Syrmienses, Belgradenses, Hercegovinenses, Znonikienses, Posegani, Quinqu-ecclesienses, Albenses et Hatvanenses. Kaszunus ipse cum parte Budensis et Pestani praesidii mansit Zegedini. Nec scitur causa. In Nadlaccko et Cialia sua reliquere praesidia. Cianadinum, quod maxime futurum suspicabatur et rumor late diffuderat, non attigerunt, intenti suo celeriori receptui. Tibiscum ad vicum Zent Miklós nuncupatum III. circiter milliaribus infra Lippam navibus transierunt, non ausi, sese Lippensium fidei committere, quos ipsi ante et dolo et vitentaverant. Orodium inter alia loca, quae afflixere, maxima ruina, et occidione affectum. Haydones, qui M. CCCC ante ad huc, quam Varcotius expediisset Varadienses copias, Orodium sese tumultuarie contulerant, relicto in agris pecore, inde facto impetu in Bosnensem passam Nadumam nomine, qui cum II. circiter M. Turcarum Kaszuno in subsidium veniebat et ad pagum Zewdy penes Marisum 5. M. passuum ab Orodio situm conse-

derat. tam acriter cum eo a summo mane ad horas vesperarum pugnasse pro castris nunciantur, ut castris perturbatis pedem referre coëgerint. Potiti itaque castris et impedimentis omnibus in propinqua villa quieti sese dederant praedam dividentes, et fruentes fortuna tam propitia, agitantusque consilia de hoste iterum in insequentem diem invadendo. Turca die insequenti non exspectato, receptis animis, tanta vi in pastoriciam et rudem turbam, nulla ratione militari utentem inexpectati fecere impressionem, ut recuperatis rebus omnibus, Orodium usque caedentes eos, tanquam pecora insequuti sint, et nisi obvia Orodiensium ope excipiebantur paucissimos pecus suum reduces habuisset. Qui desiderati sunt CC. circiter numerantur, vulnera plures accepere. Eo furore ultionis acti Turcae ulterius iram tulere, putabant enim Symandum, quod Orodio vicinum est, profugisse haidones. Ingressi itaque oppidum, trepida plebes in templum quod repentinis casibus munitum habebant, confluunt. Subeunt hostes, oppugnant miseros, jubent portas patefieri, solos expetunt hajdones, coeteris fidem de securitate salutis faciunt. Creditum tandem coacte barbaris, quia imbecillae munitioni non fidebant. Portis igitur ultro patefactis reperti haidones pauci, iique ibidem statim percussi. Cum oppidanis mitissime actum propter priora officia. Soli impuberes ablati, quos casus abeuntibus obtulerat. At hajdones quos Orodientes summa pietate protexerant triduum Orodii commorati, quod ligandis vulneribus dederant quarto post gratias in discessu suo amicis et hospitibus relaturi, totum oppidum in praedam vertere. Hadumus interim sequi*) prohibitus, non [illegible]

*) Olvashatlan szó.

Orodio consedit, opperiens occasionem ulciscendi Orodiensium incuriam, qua sibi hajdones eripuerant. Sub haec advenit Orodium cum praesidio Zolnocchino Joannes Balassa, ibique aliquamdiu facta mora, quaerens rationem, qua Hadumum posset opprimere; sed quum nulla occurreret, quod impar hostibus habebatur, cessit conatu, et superveniente cum Varadiensium copiis Varkotio, una in Cianadiensem obsidionem signa convertunt, ubi misera Rasciano-rum plebe immani crudelitate confecta, castra etiam aliquot Petrovianis adimunt. Nihil postea ab utroque insigne factum, quia Varkotius cum popularium et agrestium hominum colluvie non ausus Hadumum aggredi ad Crysium Album reduxit in castra copias; Zolnocchum Balassa rediit; praeda, quam utique retulit, non fuit turcica sed christiana. Hadumus per id tempus in castris sese continuit, nec Lippam post Kaszunum transire potuit. Sed paulo post haec Kaszuno a Transsylvanis regresso, Hadumus, Orodiensium injuriae non immemor, jungit se Kaszuno, profectique una, cum exercitu Orodienses invadunt. Oppidani, qui contendere cum tanto hoste non poterant, quod nec vallo nec moenibus tuebantur, numeroque etiam pauci erant, alii alio diffugiunt; familiae basilica, quae ibi ingens est, regis Belae Coeci ultione nominatissima, captivae recluduntur. Turcae mox primo impetu igne oppidum aggrediuntur, quo una cum templo conflagrato et in cineres plane converso, quicquid mortalium invenere tam in templo quam in oppido necaverunt, solis parsum est impuberibus, qui in servitutem adacti sunt. Qui vero eam cladem evaserunt ad nos usque confugerunt. Praeda hajdonum III. M. aureorum aestimata. Turcas caedes, conflagratio et

impuberum captivitas exauctoravit. Hadumus passa adeo pastorum baculis pulsatus est, ut foeminae nomen imposterum apud suos invenerit; Hadum nempe apud Turcas eunucus appellatur.

Quid cum Moldavis peregerit Heremita, nondum habemus. Hoc solum, quod Helias, gentis ejus vaivoda jussus a Regina eo itinere, quo venit, regno excedere, captivis redditis, quandoquidem nihil jam hostile in Transsylvania pateretur. Tumidus adolescens his primis fortunae auspiciis recusavit parere, dicens se parentis institutum servaturum et Radnensium fodinarum via reversurum, qua pater quoque ejus nuper, postrema in Transsylvaniam irruptione a capto Mailado redierat. Heremita itidem nihil vi, nihil ferro fertur agere, sed hortamentis atque pecunia, quod dicitur et cum Turcis agere, curat emittendum; multorumque opinio est, omnem hanc victoriam pecunia illi non sanguine constitisse, ingenioque eum atque industria magis quam manu laborasse. Sed haec postea melius prodentur. Pathocius non sine diligentia magnae cujusdam rationis causa diutius asservabitur. Zalancini alter filius profugit e captivitate, ipse domi prae dolore ex ignominia sui casus fertur in tabem esse corruptum, languereque gravissima aegritudine. De causa quoque tam repente factae pacis inter Reginam et Heremitam haec vulgantur. Turca quidam perfugio ad Petrovium transierat, is inter caetera illud quoque retulit: dixisse Kaszunum, si victoriam de Transsylvanis obtinuisset, Moldavis se Reginam esse daturum in Poloniam abducendam, filium Transalpinis Constantinopolim deferendum; ipse, obtruncato Petrovio, praeses in Transsylvania remansuram sede apud Cibinienses caesari Solymano conciliata

Hoc itaque metu atque perfidia illudentis barbari permoti, ii de quibus fabula narrabatur, animum ad pacem composuere, eamque sine mora perfecere. Sic utrique odio caesaris Turcarum contra se excitato, velint nolint, uti ipse conjicio, ad regem nostrum co, gentur confugere. Sed nescio quam opportune, quam suo commodo, quamque futuri grati, quia necessitate non amore id acturos certum est; quamquam de optimo principe omnia clementiae et pietatis plena etiam hostes ejus sibi possunt polliceri. Sed haec proximum tempus indicabit, quum porpius adhuc aduri incipient Turcae confiniarii. Vale. Agriae XI. Decembris 1550.

LXXIV.

Gregorianczi Pálnak Veranesics Antal.

Antonius Wrancius Paulo Gregorianczio episcopo Zagrabiensi Salutem.

Laetus ad te scribo laetum nuncium. Sic enim placuit exordiri epistolam, ne te ambigua exspectatione tenerem donec narratio ad rem perveniret. Beglerbegus, soluta obsidione, a Themesvaro, quemadmodum proximis litteris meis cognovisti, ad arcem usque Bechew retrocesserat. Sperans autem Lyppam se posse retinere, Uleimannum praesidem Poseganum, virum strenuum, cum tribus millibus Turcarum, qui ex toto exercitu delecti fuerant, ad praesidium ejus reliquerat. Nostri quoque jam conjunctis Hungaris et Transsylvanis copiis, die 11. mensis hujus Lyppam pervenerant. Castaldus nulla mora gerendis rebus interjecta, metatis castris opportuno loco, situm urbis adhuc eo ipso die perlustrat atque cognoscit. Insequenti propius muros gentes et bombardas admovet. Tertio, declarato ordine oppugnationis, urbem bombardis petit. Disposuerat etiam, qui pro usu oppugnationis urbem diversis instrumentis alii succiderent, alii suffoderent, et cavarent cuniculos. Sed minus haec fuere necessaria quum ipsi muri septem pedum crassitudinem non excederent, essentque tum [illegible] tum structura debiles; facile solae bombardae faciebant aditum, quantum res ipsa vi[illegible]

lare. Afflicta urbe bombardis ab hora diei prima ad usque quartam, Castaldus cognito prius, uti est vir in re militari hoc nostro saeculo inter militares duces judicio omnium publico, facile unus, qui multos in ea professione peritissimos viros creditur antecellere, intra quantum spatium temporis effecturae essent bombardae quod ad irrumpendum satis esset, quave inclusi ad reparandum casum murorum forent facultate, decreverat sub noctem, die jam exeunte, aut omnino postridie lucano tempore impetum in urbem fieri; idque quum una cum signo, quod erat rei gerendae militibus daturus, cunctis palam enunciasset, milites accensi cupiditate manus cum hoste conserendi, signo non exspectato, temere in muros impetum fecere, quod erroris culpa non caruit, eaque in Hungaros ab exteris torquebatur, nec fortasse immerito, quum nostra gens, ut scis, non diu hostem contemplari solet, ubi primum aspexerit, quin in eum extemplo rapiatur. At error hic desiit in exitum satis felicem. Facta enim magno animo in urbem impressione, occurrunt hostes nihilo minore spiritu, fitque in ruinis acerrimum certamen, tantisque utrinque animis tantoque fragore quatuor horas pugnatum esse ajunt, ut viderentur justis aciebus conflixisse; et adhuc aequo Marte pugna utrobique jam ex toto sanguinolenta procedebat, exitusque non tam inter utrosque ambiguus quam desperatus nostrorum fore videbatur. Tunc Castaldus revocatis in castra vulneratis, ne jam fatigato hosti et ex parte diminuto quietem et reficiendi animos videretur dedisse spatium, non desistit urgere victoriam. Sed extemplo submisso novo, et recenti milite, qui alioqui ultro hostem appetebat, tanta denuo vis est illata hostibus, Varadiensi cardinali suam et

Vexilliferi quoque nostri, magnis vulneribus acceptis, omnia signa amiserant, sed postea redintegrato certamine ex summissione novi militis, de quo supra memoravimus, denuo fuerunt recuperata. De his quae in hac oppugnatione gesserint Hungari, nihil adhuc peculiariter habeo nunciatum. Haec tamen victoria tametsi non venit incruenta (quum nulla adeo sit virtus ingens, quae possit esse sine pari periculo, fortesque viri plerumque quo celerius eo certe gloriosius cadunt) fuit tamen adeo necessaria atque opportuna, ut omnem ex ea victoriam, Deo juvante, metiamur. Beglerbegus audita oppugnatione Lyppae, miserat Uleimano in subsidium II. m. equitum; iis Castaldus CCCC. Cataphractos Silesitanos obviam destinaverat, sed nostris non exspectatis in sua castra Turcae redire, qui a nostris VIII. milliaribus distabant. Nunc jam ipsemet Beglerbegus cum reliquo exercitu dicitur iis venire suppetias, qui in arce tenentur obsessi, unde facile futurum fieri putant, ut justis ad Lyppam aciebus congrediantur, quandoquidem et nostri, qui 66. Mhominum complent, ardentissimo desiderio proelium expetunt, et relatum sit, dixisse barbarum, tanto se cum damno atque dedecore non reversurum, etiam si mori debebit. Reliqua belli hujus propediem ad te confecta scribam, quae, ut exoptata eveniant, communibus votis coelestium opem imploremus, Vale. Viennae 18 Novembris 1551.

LXXV.

Báthori Endre erdélyi vajdának Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Andreae Bathoreo voivodae Transsylvaniae Sal.

Nondum mihi quidem ab redituum tuorum pro- 1552 April. 1
curatoribus persolutae sunt quartales decumae anni MDL. quae mihi ratione archidiaconatus Zabolcensis cui praesum, quotannis ex toto Nagycalensi districtu soleant pervenire. Id quod scire te minime dubito, quum tuo nomine collectae sint et in tua repostae horrea. Pro harum decumarum pretio etsi memoratos procuratores tuos tam litteris quam creberrimis nunciis antea sollicitaverim, adhuc tamen nihil perfeci, nec vel nummum obtinui. Semper enim suam hanc tenaciam excusarunt absentia tua, cujus quoniam ipse quoque non ignarus eram, destiti postea, nec molestus illis esse volui, tui duntaxat causa, quem sciebam finitimo bello ad Lyppam et Themesvarum contra Turcas occupari. Eadem modestia usus sum et Posonii in conventu proximo, in quo et impensis plurimis gravabare et ingentibus curis distinebare publicis. Nunc postquam te domi esse et carere nonnihil bellicis cogitationibus intelligam, quoniam par est, ut pro aequitate unicuique quod suum est, reddatur, non existimavi, me tibi injuriam facturum, si te hujusmodi debiti diligentius admonerem. Quare rogo te, ut tuo

mineris, quantum mihi debeas ratione harum decumarum, mihique tandem per tuos satisfieri jubere velis, et mecum ita inposterum quoque de hisdem decumis juxta publica scita regni constituas, ut pro obtinendo carum pretio ultra statum diem non laborem. Caeterum quicquid de vetere hoc debito statueris, committo tuae magnitudini et benevolentiae qua me complecteris. Porro si integrum pretium reddere nolueris, quod centum ducatorum summam excedit, eam saltem non graveris partem reddere, qua et tu minus gravabere et ipse sentiam atque agnoscam, quod me amas et quod alieno non delectaris, ut plerique multi. Nec hic tamen tecum liberalem hominem ago, ne scarum musca piscari videar, verum ingenue dico, quod hac re tam exili non essem tibi molestus, si quo vel paulo opulentiore gauderem sacerdotio; sed quoniam tenuissimum est, ut pro modo meo, quo inter mediocres traduco vitam, et assidue cogar interim in aulica esse voragine, necessitate impellor equidem, ut etiam minima curem, meque ingenii atque industriae artibus magis quam justorum redituum censibus sustentem. Quo tu quidem vir opulentus et potens magis adduci debes, ut me tam a tua avaritia, qua nunquam laborasti, quam ab aliorum rapina, quae jam prope evertit Hungariam, tueri velis. Nec de hoc plura, quum plus te dare deceat, quam me petere. Vale. Viennae. 15. Aprilis 1552.

LXXVI.

Oláh Miklós egri püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Olaho Episcopo Agriensi S.

Quod nondum redeo rure in aulam teque tot red- 1562. maj 16.
eundi teneo comperendinationibus, in causa est non tam studium rusticandi, quod quidem alioqui jucundissimum est, meque ab ineunte aetate mirifice semper delectavit, videturque etiam huic aetati luculenter arridere, quae jam XLVIII. anno ad divinarum rerum vitaeque immortalis contemplationem,*) quam certe aeris exiguitas. Hoc enim tempore ita sum destitutus pecuniis, ut ea facultas minime adest, quae nitori ac sumptui aulico pro conditione mea sufficere deberet. Quod fatendum, aut erit mihi pudori, aut tu secus accipies juxta putabo, quia sic se res isthaec habet. Ac dico clarius, quod nisi in Pornoniano rusticationem diligenter frequentaro, nec aula commode mihi excoletur, et timendum etiam erit ne in Codri fabulam adigar cultu et luxu aulico. Sors enim prius paranda est, aula post consectanda. Quamquam satis jam injuriarum pertuli et gratiarum egi, domique demum vellem consenescere, non in aula, in qua quidem mecum non sic agitur, ut cum iis, de quibus est parocmia: qui eget, in turba versetur. Mendicorum haec est et parasitarum conditio. Nos in aula erogamus non corrogamus, caeterum et nostro foco et nostro domicaenio gaudemus, vehimurque ea rheda.

*) Egykét szó a tollban maradt.

domestica cura ac censu fovetur. Unde proximis quoque tribus mensibus, quos exegi Viennae et Posonii comitiorum tempore, insumsi CCLX ducales nummos, ex quibus ne oboli quidem fructus in arcam mihi rediit. Vide, quaeso, jacturam, ac tibi persuadeas, velim, quod ejusmodi summam si singuli tres menses hac ratione mihi haurire debebunt, brevi equidem exhauriar ad quadrantem, et frustra tandem etiam Pornoianum colam. Neque enim aequatur felicitate coeli Alcinoi pomariis. Unico vere atque unica aestate contentum est. At dicet forsan aulicus, alieno aeri assuetus, mutuum contrahe. A contractis? Ego vero tentavi multos, sed his in locis nihil est, mihi crede, minus cogitandum, quam de mutuo contrahendo, adeo hoc tempore omnium hominum manus restrictae sunt metu futurorum ob suspicionem belli turcici. Marmoreas sane vel ileceas dixeris. Habes de meo aere et de difficultate pecuniae comparandae. Accipe jam, quot me manent impendia. Vallo imprimis et propugnaculo muniendum est mihi rebusque defensivis et praesidio militari, vigilumque custodiis instruendum Pornonium. Equitatus deinde ipso numero colonorum ad primam expeditionem, ut in comitiis decretum est, meo ipsius aere apparandus. Quotidiani item sumptus provida quadam et nimis ingeniosa industria acquirendi, quibus haec cuncta perficere, apparare, meque etiam ipsum ac familiam sustentare possim, quandoquidem, ut scis, unos *) adhuc proventus ex Pornoniano meo, quod paulo ante sextum mensem mihi est collatum, perceperim; quum varia etiam huc accedant etiam alia debita, Viennae ad necessarios usus contracta, ad quae

*) Úgy látszik tollhiba „nullos“ helyett.

persolvenda assidua vexatione agor a creditoribus. Taceo de CXXVIII nummis ducalibus, quos Petro Cucelio antecessori meo, tuo vero ab orandis canonicis horis ministro ad primum Calend. Quintil. debeo numerare. Cui quidem nisi ad diem satisfecero, ad Garamantes erit mihi recedendum, adeo infantiles furias levissimi hominis reformido. Verum quantum velint urgeant me creditores, ejulent, querantur, diem Petrus dicat, Pornonium plura exigat, et Turcarum minae cervicibus immineant, ego quidem certe nullo alio pacto credo me tantis debitis atque impensis suffecturum, quam si fortuna quapiam in Euclionis plautini ollam incidero, aut domi rusticando, parsimonia enitar pecuniarum aliquid cumu'are, quum alioqui haec mea profecto a te absentia insuavissima sane et molesta mihi est, dum omnibus horis mecum trepidem. ne incurram in tuam malevolentiam, tanquam quorumdam aliorum tuorum ingenio uti vellem. quo me per has occasiones subducere vellem tuis obsequiis. Quod in me quidem nunquam est casurum, donec alter nostrum decesserit, utar licet et fortuna et libertate regia. At ne quid nimis agam cum tua erga me indulgentia, quae mihi deesse nunquam est solita, beneficentia vero et patrocinium semper adest. tuae me summitto voluntati et committo judicio, maneboque in Pornoniano meo et tuo, quamdiu indulseris; redibo quando jusseris; et ubi me esse volueris, praesto ibi adero. Vale. XVI. maji 1552. Ex Pornoniano

*) Az 1553. 1554. 1555. 1556 és 1557-ből, mint Verancsics első konstantinápolyi követségének éveiből fennmaradt levelek jelen gyüjtemény III. és IV-dik kötetét képezik.

LXXVII.

Egy lengyel püspökhöz Verancsics Antal.

Reverendissime in Christo pater et domine mihi observandissime. Salutem et officiorum meorum recommendationem.

57.nov. 20. Existimo jam tandem advenisse tempus, quo ego vestrae reverendissimae dominationi restitutus, ipsa vero mihi, denuo literariam inter nos consuetudinem renovemus, postquam legatione Turcica ipse absolutus, vel potius custodia Aegypti liberatus eo rediérim, ubi et meus, et amicorum meorum esse possim. Daturus igitur principium huic meo erga dominationem vestram reverendissimam summi et studii, et amoris officio, breves has ad eandem litteras dare volui ut, magnifici domini Lassottae nostri, viri humani et non solum vetere notitia mihi perspecti, sed etiam charitate conjuncti (ut Poloni omnes esse solent) occasionem nactus, eandem et de salvo atque incolumi meo reditu, quem ei fore gratissimum non diffido, quod me jam inde ab initio non secus amavit, ac semper apud sacratissimum regem meum tum verbo, tum opere promovit, facerem certiorem, et usum praefatae consuetudinis nostrae litterariae, diu sane injuria temporum longinquisque et publicis non exiguae molis occupationibus intermissae, jamque prope consopitae, excitarem, pristinumque in cursum revocarem, cupidissimus vicissim ex suis literis cognoscere, quod recte ipsa quoque dominatio vestra reveren-

dissima et valeat, et fruatur rebus suis. eidem interim propensissima offerendo mea officia et quicquid ex me ad ejusdem honorem, cultum et observantiam possit proficisci; nihil gratius habiturus, quam si me solito affectu complectetur, meaque in his utetur opera, quibus re ipsa declarare possim, quanti eandem faciam quantumque ejusdem cupiam benevolentia potiri. Nec in praesentia plura, nisi ut precata eidem a Deo Optimo Maximo salute et omnium rerum suarum felicibus successibus, rogem postremo, ut reverendissimos et reverendos dominos et veteres amicos meos, dominum Hosium, Prerembzky, Porembszky, Gewrszky et Cromerum meo nomine salvos esse jubere non gravetur. Felix dominatio vestra reverendissima valeat. Viennae XX. Novembris 1557.

LXXVIII.

Kaszun budai beglerbégnek Verancsics Antal.

Antonius Verancius episcopus Agriensis passae Caszuno Budensi beglerbego S.

Ea quae per Petrum Croatam serenissimi regis mei proximum ab te tabellarium missum mihi et Francisco Zay collegae meo nuper nunciasti, intellexi, ad eaque ut responsum tibi faciam paulo prolixius, ansa abs te mihi praebita, scito non tibi causam his de rebus indignandi expostulandique, de quibus ad nos 1558. jan. 2.

nunciaris, quum majestas regis mei proximis litteris suis ad te datis per memoratum suum tabellarium abunde scripserit, quonam pacto tam de pecore istinc abacto, quam de hominibus aeque nostris ac vestris ab initio induciarum non ita pridem tecum factarum, et ab eo tempore quo ego cum collega meo Francisco Zay apud te fuimus redeuntes Constantinopoli in captivitatem per utrorumque nostrum finitimos abducti sint, agi oporteat. Tu tamen quid de hoc animi habueris? Num eo modo praefatorum captivorum ab utraque parte liberationem dimissionemque transigi velit, an quopiam alio, nihil prorsus rescripsit, quem omnino animum suum hac de re quamprimum significare majestati ejus debuerat. Quo nimirum modo haec ipsa tota res sine controversia celerius haud dubio ad finem perduci potuisset.

De qua quidem controversia sive re nunc etiam ego ad te quid possim scribere, nihil aliud video quam quod adhuc rex meus ea est voluntate ut utrinque designentur homines idonei mittanturque in medium quempiam locum inter Strigonium et Comaromium situm, atque ibi habita cognitione tam captivorum utrorumque finium, quam quibus in locis et quo tempore capti fuerint, aequa et amicabilis eorum fieret restitutio. Isque modus ad hanc praesentem controversiam inter nos, et vos componendam visus est sane peropportunus, et peraptissimus regi meo. Tu tantum per tuas literas mature declares, an tibi placeat et quando eum aggredi velis.

Ad alia quod attinet. Praefecti sane tui ob subitarias et furtivas quaspiam hujusmodi excursiones, et depraedationes vagorum hominum, quorum utrique fines satis multos habeant, quoniam neque imperiis qui-

dem principum facile reprimi atque exstirpari possint, quod etiam passae vestri nobis aliquando dixerant, non deberent statim ditiones regis mei invadere, et evastare, jusque sibi, haec in hunc modum perpetrandi pro suo arbitratu vindicare, quum induciarum aequitas pari ratione utramque partem. inter quas confectae sunt, concernat, similesque controversias, quae de parvis rebus incidunt, nec armorum vi, nec animorum furore consuetum est complanare, sed transactione amicabili et sine omni contentionum strepitu per homines probos, et ad id idoneos, ut jam supra memini.

Ubi vero nunciasti, praefectos tuos te non posse in officio continere, et inhibere ab excursionibus, nisi restituetur tibi abactum a nostris pecus, admonens et me et collegam meum eorum scilicet verborum, quae Budae habueramus tecum de judiciorum observatione; subjungisque violationem quoque earundem induciarum, si praefecti tui in quaspiam excursiones eruperint, non a vostris, sed a nostris partibus ortum et causas habituras: sic videris passa, mihi agere, ut ille, qui quum jam inflixit homini plagam, eum demum ad cavendum monet, satis sane sero, moremque hujusmodi tam crebro cum omnibus vicinis vestris usurpatis (quod me, qui vobiscum non ita pridem satis multum et panis et salis consumpserim, nec dicere aegre patieris, nec scire denegabis), ut jam mos iste vester tolerari, et per confoederatos ac vicinos vestros vix vobis credi potest. Ubi enim finitimos in amicitiam, et in foedera vestra perduxistis, securosque ab hostilitate vestra verbotenus sinceritate reddidistis: mox omni opinione celerius vel ex minimis rerum deductis causis maximas criminationes instituitis, de quarum postmodum

complanatione, dum totum reliquum ejusdem icti jam vobiscum foederis tempus discursatione inter principes oratorum inaniter consumitur, vos finitimi omnia vastatis, et diripitis, quaecunque aditu vestro pertingere potestis. Qua quidem praxi atque artificio Tuygon passa, et Ali passa, et qui eos praecesserint, summo studio, atque conatu usi, egregie praestiterunt, ut ego et collega meus Franciscus Zay, qui hujusmodi turbarum et controversiarum causa totum Constantinopoli apud tuum principem Zuleymanum desudavimus quadriennium, facile de his institutis, et praxibus vestris ubique testificari possimus, vobis alioqui hoc interim omnibus locis, quae nunc sub indiciis verbo tui principis scripto confectis, et confirmatis, nulla justa honestaque causa occupatis, possidentibus; adeo vobis et justitiam et injustitiam inservire cogitis, jusque omne commodis vestris accommodatis.

Quod autem ais de induciarum violatione, eam utri parti ascribas, si forte fortuna intervenerit, liberum tibi est dicere quicquid velis. Scio enim pacem et quietem finitimis vestris nunquam placuisse, semperque in occasiones disturbiorum esse intentos, quae nos etiam diutius Constantinopoli tenuerunt. Meministi tamen totam aestatem superiorem serenissimo regi meo a vesiriis passis potentia principis vestri bellum fuisse minitatum, eaque causa non solum in Croatia, in Slavonia et in pluribus aliis locis per Hungariam factae sunt a finitimis vestris depraedationes, verum tu cum subjectis tibi zanzgiacchis prodieras in castra, in quibus nos exceperas, et regina quoque Isabella tria jam circiter Transylvanorum millia armaverat et in superiores regni partes contra regem

meum jusserat contendere, quod vel ab ipsomet Francisco Bebecho coram nobis tibi referente audivimus, quando abs te VII millia equitum auxilio memoratae reginae, immo et suo contra filium suum Georgium, postulabat. Quos ob vestros et ob reginae vestrae apparatus majestas quoque regis mei finitimarum ditionum suarum salutis sollicita delectorum militum curam gessit, et eos eo misit, quo usus et pericula postulabant. Non autem ut vim vicinis suis pacem colentibus inferre cogitaret, sua alioqui tutaret, et vim illatam ab se summoveret. Quod etsi princeps tuus probe intelligeret, non tamen, ut vos facitis finitimi, praecipitabat in injurias. Edoctus enim in dies a nobis oratoribus de veris causis, quae vos eum celabatis, et quorum eratis authores atque artifices, prudenter expendebat artes vestras, et id, quod nemini tutela sui esset interdicta. Unde nec a pacis semel sibi jam praeposita voluntate recessurus, nos ad regem nostrum ejus causa perbenigne voluit expedire, dato etiam ad te mandato, quod Bebeko Budae coram nobis ostendebas, ut praefectos tuos arma deponere, et pacem cum rege meo servare faceret. Quae quum sedulo cuncta verbis litterisque tuis ad regem meum missis exequutum te fuisse declarasses, hujusmodique et tui principis voluntatem et tuum animum a nobis quoque affatim cognovisset, subito omnes gentes suas ex finibus tam eas quas habebat apud Jaurinum, quam in Superiore Pannonia contra rebellium turbulentias, removit, et in hyberna transtulit.

Quid vicissim a vestra parte sit hac in re pro aequitate et integritate induciarum tuisque tam promissis speciosis exequutum, aliud sane non est hucusque visum, quam, quod sola castra tua fuerint dis-

soluta, zangziacchosque tuos ad stationes suas remiseris, ut, ni fallor, in finitimos suos quilibet eorum pro virili sua, moreque suo gentilitio incipiat tumultuari. Quia conspicati exercitus nostros ex finibus recessisse, regemque nostrum, et tibi et principi tuo firmiter credidisse, latissime non quilibet seorsum singillatim, sed una plures pluribus locis effusi sunt in excursiones. Alii enim profecti in Superiorem Pannoniam gentibus reginae auxilio, totam vallem Muraniensem, et oram Sayo amnis quae loca ad hoc usque tempus nullam hostilitatem Turcarum senserant, nunc ita ferro atque igne evastarunt, ut, facta hominum pecorumque maxima et caede et praeda, nihil prorsus sine clade reliquerint, inibique etiam nunc crudelissime grassari nunciantur. Quod gentes nostrae mandato regis sui attendentes ex hybernis tantummodo respiciunt, prohibiti omnino induciarum sacra violare.

At aeque etiam in Croatia vestri apud Ztegnicznacum, et Topuzcam arces inter Mrysniczam, et Coranam amnes adeo magnam fecerunt depopulationem, ut certe belli manifesti tempore majorem nequivissent. Praeterea, quot etiam alia loca depraedata sunt hoc ipso tempore in Slavonia et in Hungaria nimirum jam a nostro reditu, firmatis tecum induciis, quia majestas regis mei proximis literis suis perscripsit ad te satis copiose, nolo tibi recensere. Tu tamen ubi id tantum de grassationibus tuorum zangziacchorum regi meo rescribas, quod sis eos puniturus, credo equidem, sed, ut existimo, non alia poena, quam duorum aut trium afferum. Nec interim cessabunt quotidie excurrere et passim cuncta obvia diripere, sic, ut facile cuivis appareat quomodo et

tu inducias et mandata tui principis observas, et zangziacchos tuos observare facias. Quum ea sola profecto causa ad budensem beglerbegatum sciamus te esse restitutum, uti ab ipsis passis, vesiriis nobis est affirmatum, quod te princeps tuus pro viro moderato, aequitatis studioso, et idoneo ad pacem cum rege meo conservandam, habuerit. Qua quidem opinione quum et tu regem meum speciosis literis tuis, et nos oratores verbis locupletibus imbuerimus, facies valde alienum et a fama et a nomine tuo, si rebus, atque effectibus huic tantae existimationi tuae non responderis.

Ego vero de his ad te quod latius perscripserim, feci ex officio meo, uti pacis cum collega meo Francisco Zay paulo ante legatus, et praesentium induciarum author, et cogente insuper me, una ex parte te, ex alia rege meo clementissimo, qui hujusmodi zangziacchorum tuorum excursionibus minime exspectatis, saepius sane coarguit et succenset nobis identidem requirendo, qualemnam vel pacis spem, vel inducias a tuo principe et abs te retulissemus. Eaque propter indignari mihi non debebis, liberius agenti tecum, quin potius modum convenit te non gravate ex his accipere, quonam pacto easdem inducias imposterum per tuos zangziacchos observari facies. Et is modus talis est. Nam si quae inter nos et vos subitaria furta et non meditatae praeparataeque vel hominum vel pecorum, rerumve aliarum depraedationes inciderint: non statim ipsimet zangziacchi tui insolenter sibi administrent justitiam, arbitrenturque licere subita et furenti insurrectione confoederatos invadere atque eorum bona populari. Quod quidem immanium et violentorum hominum esse solet, non humanitate

aequitateque utentium; verum per cognitionem, uti jam ante dixi, commissariorum, qui utrinque ex viris probis semper, quum usus postulaverit contraversiarum hujusmodi, poterunt in finibus inveniri ac designari, ad easdem contraversias componendas; sic enim et grassatores nostri a rege suo, et a te vestri facillime inhibebuntur, ne latrocinia exerceant; et ipsae induciae sanctius servabuntur.

Mirari autem non potui satis quando audivi, te non posse, quod nunciasti mihi, zangziacchos tuos in officio continere, et a faciendis excursionibus prohibere. Si enim bene tunc eos continebas, et tu multibus comprimebas, quando adhucgentes nostrae in finibus armatae excubabant, et induciarum initia tractabantur, nec adhuc tabellarius noster ad principem tuum transmissus fuerat, cum his quae rem de pace concernebant: cur id etiam modo facere nequeas, non video, nec facile credo. Quia pristina tibi authoritas non est diminuta, et Turcas dominis suis omnium gentium quae in mundo sunt inveni ego obedientissimos.

Te itaque, Kaszune passa, insigniter vel tua causa oro, ne velis inposterum hac excusatione uti, quia authoritatem tuam deprimet, et zangziacchos tuos ad majorem in dies licentiam animabis, eaque fortasse impedimenta reliquae paci afferes et suppeditabis, quae postea attulisse noluisses, quum res secus quam sperasses evenisset. Ego alioqui cum collega meo Francisco Zay, qui nunc hinc abest, non desisto interim apud serenissimum regem nostrum summa diligentia, summisque viribus agere omnia, quaecunque ad bonam et veram pacem inter nostrum regem et tuum principem componendam pertinere judicamus; tu tantummodo zangziacchos tuos fortissime, ut, si ve-

lis, potes, regas gubernesque, et potius paci consulas quam bello, a qua pace princeps etiam vester ac passae vestri vesirii non sunt animo alieni, quod nos satis comperimus; omnesque hoc interim finitimorum controversias, quascunque incidere contigerit, cures humanitate et sedate per idoneos viros, juxta quae jam dicta sunt, cum rege meo componendas, quem vicissim tecum id facturum, usurumque summa sinceritate pollicemur. Vale. Viennae. Secunda Januarii 1558.

LXXI

Oláh Miklós esztergomi érseknek Verancsics Antal.

Antonius Verancius Agriensis reverendissimo domino domino Nicolao Olaho Strigoniensi salutem.

Recentes veredarii regii Cassovia litteras attu- 1558. Jan. 10.
lerunt, quibus nunciant castellum Zeőleős acerrime oppugnatum fortissime fuisse a praesidio suo defensum et adhuc esse incolume. Nostras copias quatuor milliaribus abesse ab hostibus, remque utrorumque ad conflictum prospectare, nec certamen eosdem hostes refugere, nostros etiam magno animo affectare, eaque causa passim propius illos accedere, et praeliaturos haud dubie, si se exspectare voluerint. Ceterum quum una hostium manus animos fortasse nostrorum exploratura, reliquas copias praecessisset, graveac-

cepit detrimentum. Nostri etiam de illorum excursu mature facti certiores obviam eis submisere, improvisoque in illos facto impetu, etiam fugavere, caesisque et captis in fuga non exiguo numero Melchiorem quoque Balassam vulgatum est in potestatem devenisse, quamquam non omnino confirmatum. Desideratus est ex nostris ad Munkach Michael Perenny, ex hostibus vero ad Zeoleos Georgius Tarzay, ambo, ut refertur, ictu machinae bombardicae et recenti temulentia acti dum oppugnatione castelli caepta temere discurrunt, inter primos, Turcas autem numero vix septingentos apud Bala Zent Miklos esse, eosque dies ac noctes sollicitari a regina, ut suis auxilio proficisci velint; sed obaudisse primum aliquamdiu, postremo obsides ab ea postulasse, quo secure proficisci possint; quibus quum fuissent missi duo quidam milites gregarii, eos habuere contemptui, reginaeque responderunt, hoc non esse tanti, ut vel unam ovem capitibus eorum freti, periculo exponere dignarentur. Verum si eis miserit Georgium Bathory, Joannem Terek, Melchiorem Balassam et Thomam Varkoch, in ejus castra sine mora profecturos. Quod qualiter debeat intelligi, nemo, meo judicio, tam potest esse caecus, qui nesciat; nisi si ii, qui data opera sapere nolint. His tamen litteris illud etiam ascriptum est, quod et Turcae dissolvi jam incepissent, et rebellium copiae novo delectu augerentur ex Transsylvania, quamquam neutrum certo nuncio. Et credibilius est potius utrosque augeri quam minui, nobis praesertim inermibus, et cum jactura induciis fidentibus male hostium fide servatis. Quum interim et Georgius Bebek non obscure videtur opinionem illustris et magnifici domini palatini comprobasse, quam in-

terdum superioribus diebus de levitate illius usurpabat, nimirum quod haud ita multo post novam esset recantaturus palinodiam.

Accersitus enim a Telechessi, contra vim rebellium contendente, nec ipsemet ad eum profectus est, nec misit suos milites. Et quia ad hoc castellum quoque in tertio a Cassovia milliario aggressus est erigere, meae quoque nihilo secius subscribit conjecturae, quem quidem ego semper ab initio clam cum patre sensisse crediderim, communibus bonis ac fortunis consulturus; eapropter, utinam post quempiam dolum malum hujusmodi, vitium etiam in gentes nostras, aut in aliquod municipium nostrum non adjiciat. Hoc alioqui hujus victoriae principio satis nos puto contentos esse posse, modo exitu quoque optato frui et gaudere possimus, nec, ut saepe accidit alias, summa rerum fraudemur, et initia duntaxat nobis cedant, fine hostes potiantur. Deus tamen meliora; et ego quidquid deinceps quoque supervenerit, significare non praetermittam. Deus Altissimus dominationem vestram reverendissimam incolumem ac felicem servet. Viennae 10. Januarii 1558.

LXXX.

A királynak Verancsics Antal és társai.

Sacratissima et serenissima majestas regia, domine domine nobis clementissime.

13.febr.21. Heri quum huc venisset magnificus dominus Georgius Bebek, et adesset hic etiam magnificus dominus Jacobus Zekely cum praeceptoriis litteris vestrae majestatis ad eundem dominum Bebek datis de restitutione oppidi Zikzo generosae dominae Catherinae Zekely, relictae quondam magnifici domini Michaelis Perenny facienda, egimus cum eodem domino Bebek diligenter et usi omnibus opportunis rationibus, ut eum induceremus ad acquiescendum voluntati ac mandato vestrae majestatis. Aliud nihil obtinuimus, quam quod vicissim instantissime nos petierit, vellemus apud majestatem vestram intercedere, ut respectu personae ejus et fidelium servitiorum suorum dignaretur eum in tutela portionis oppidi Zikzo, quae filios Francisci Perennii, nepotes suos concernat, gratiose conservare usque ad eorum legitimam aetatem, et non alium; quum dicat, eos paternam culpam non attingere, et maximae ignominiae futurum, si dicta nepotum suorum tutela alieno cuipiam committeretur; quumque addat etiam, non parum servivisse se majestati vestrae in fidem et partes ejus concedendo, summaque perseverantia reliquum quoque tempus vitae suae sit in majestatis vestrae fidelitate acturus, ea se ait

fiducia memoratam portionem oppidi Zikzó in suas manus accepisse, qua non dubitavit praefatam tutelam nepotum suorum impetraturum. Nec id optare se alia causa, quam ne alieni dictorum suorum nepotum hereditatem distrahant, neve loca illarum partium a Turcis infestentur, uti jam accincti fuerant ipsum Zikzo invadere audita morte Michaelis Perenny, qua etiam de causa, ipsis oppidanis exigentibus, castellum ibidem erigere inceperat. Quod quia mox accepto vestrae majestatis mandato sustulerit, supplicat ut ei saltem tutelam dimidiati oppidi memorati, nomine supradicto gratiose velit concedere, et tametsi jam antea etiam supplicaverit pro ista gratia, non obstante quod adhuc tot mandatis vestrae majestatis parere ob fiduciam, quam dicit se habere in vestrae majestatis benignitate et clementia, distulerit, denuo voluit experiri, num hoc ipsum gratiae ab ejusdem majestatis vestrae clementia poterit obtinere; quod si obtinuerit, promeriturum se se fidelibus suis servitiis pollicetur; sin minus, justitita mediante tentabit jure suo eidem vestrae majestati demonstrato ac declarato. Aegerrime enim fert, si id ei gratiae denegabitur, quum dicat se non ignorare quanti momenti et sit, et haberi debeat ejus apud majestatem vestram fidelitas; eamque quanto et quam accurato studio, quotque rationibus partim extollat coram nobis, partim eidem vestrae majestati addicat ac dedicet, eloqui sane vix possumus. Nosque quum videamus hinc temporis conditionem, hinc statum horum finium plurimis periculis obnoxium, pro eodem domino Georgio Bebek intercedere apud majestatem vestram, ejus ipsius rogatu adducti sumus, supplicamusque humillime, dignetur benignius secum de

hoc statuere, quam hucusque statuerat, praesertim quum affirmet jurejurando, se alteram portionem praefati oppidi libere et pacifice memoratae dominae viduae, relictae quondam domini Michaelis Perenny, possidendam permissurum, altera suae tutelae ad tempus concredita. Ad quod quum vestrae majestati non sunt modi defuturi, ut videlicet dominus etiam Bebek contentetur, postquam tot locis in his partibus laboretur, nec uno tempore illis commode ordinaria majestatis via succurri possit: putamus, dandum esse aliquid adversis temporibus. Nihil alioqui agere pro fidelitate nostra intendimus, quod vel consilio majestatis vestrae voluntatique adversetur, vel ejusdem rebus obesse possit. Ubi autem de mandato vestrae majestatis ad occupandum dictum oppidum mihi Johanni Pethew dato fecimus mentionem, si ultro acquiescere voluntati vestrae majestatis recusasset, respondit, eum id quidem facile perfecturum, quoties voluisset, quum ipse ad obsistendum non esset gladium suum districturus, iri tamen non mediocriter offensum, ut cui de gratia vestrae majestatis erga se minueretur fiducia. Nec ab eo aliud consequi tantisper potuimus, dum ab eadem vestra majestate alia redierit deliberatio. Quare, clementissime rex, quid sit ad postremum de hoc decernendum, solius sapientissimum vestrae majestatis consilium novit; existimamus tamen nos, non alienum fore a commodis Vestrae majestatis hujus temporis, si idem dominus Bebek exaudiretur, ne his fidelitatis suae apud majestatem vestram primordiis ejusdem sibi gratiam, vel in re non admodum magna et alioqui etiam temporaria defuisse queri quandoque possit, debiliteturque in fiducia (uti sunt hac tempestate hominum mores), quam se in ma-

jestate vestra collocasse dicit. Nam ad nos interim quod attinebit, eum in obsequiis majestatis vestrae, quanta maxima dexteritate poterimus, retinere enitemur. Deus optimus maximus sacratissimam majestatem vestram una cum serenissimis liberis suis dominis nostris clementissimis incolumem et felicissimam conservet. Cassovia XXI. Februarii 1558.

LXXXI.

Ugyanannak ugyanazok.

Sacratissima et serenissima majestas regia, domine domine nobis clementissime

Ne alteri quoque parti [illegible]
et fidelissimam operam [illegible]
arbitratu et conatu [illegible]
spinosi ingenii conficere [illegible]
domino Jacobo Zekely dedimus [illegible]
litteras, cujus generosae dominae [illegible]
nifici domini Michaelis Perennii, [illegible]
possit hoc in praesenti negotio subveni[illegible]
rum partium, et incommodis ac molestiis ve[illegible]
tatis, si hic dominus Bebek coacte coeperit [illegible]
Zikzo removeri, certe non videmus, nisi si [illegible]
tempus dilata, opportunior et vestrae maj[illegible]
delibus suis facultas exspectabitur; quum [illegible]
nes eo videntur prolapsi esse temeritatis [illegible]
ut jam ad agendum bona rectaque cogi [illegible]

Donec autem hoc funestum tempus duraverit, quid cum quoque, et majestatem vestram, et fideles suos ministros agere conveniet, majestatis vestrae est et judicii, et voluntatis; quum nos interim omnem operam et industriam nostram adhibituri simus, ut, quaecunque per nos hic aguntur, ab omnibus incommodis et molestiis vestrae majestati pro viribus nostris caveamus. Quam Deus optimus maximus incolumem ac felicissimam conservet. Cassoviae XXI. Februarii 1558.

LXXXII.

Torda Zsigmondnak Verancsics Antal.

Antonius Verancius episcopus Agriensis Sigismundo Torda salutem.

?.febr.??. Nescio equidem unde suspicionem meam, Sigismunde charissime, de absentia tua in meo istuc adventu habueris suspectam, quum certe nulla laborarim, nec quisquam dubitare debeat in assiduo te esse motu, quicunque munus tuum noverit in republica. Et si forte manifestius doluerim, quod tum abfueris, quum ipse aderam: amori potius tribuas, quo te non mediocri prosequor, quam suspicioni, de quo scribis. Aeque enim videre te desideravi, ac sane et nunc desidero, atque tu me. Idque si utrique nostrum dedisset fortuna, quod optaveramus, non solum de legatione mea, quae multa habuit digna auditu, et

de rebus ad historiam eorum pertinentibus, quae a Moesia Superiore usque ad Propontidem, et a Bosphoro Thracio in Cappadociam usque per Pontum, Bithyniam et Galatiam et Phrygiae partem viderim et perlustrarim, conferre tecum potuisse; verum etiam de compluribus aliis, de quibus tu quoque non minus lucem tuorum studiorum voluptatemque percepisses, quam ipse perceperim. Quod, quia sic in fatis fuit, ut utrique nostrum in praesentia negaretur, rem omnem in Deum referamus, et illud tempus his ipsis votis nostris aequo animo exspectemus, quod idem Deus nondum *concesserit*. De aliis hoc habeto: me hodie Agriam versus bonis angelis Cassovia solvisse. Quo si te aliqua publica causa excurrere contigerit, vel etiam mei privatum studium aut tua, necessitas induxerint, Agria mea sic utere, ac tua licebit. Nec de me quicquam superaddo, nisi quod me Verancium sis habiturus Verancius. Vale, ac felix esto. Cassoviae XXII. Februarii 1558.

LXXXIII.

Maximilián királynak Verancsics.

Ad sacratissimum regem Maximilianum.

Clementissime rex. Quum egregius dominus Franciscus Pesthiensis de mandato magnificorum dominorum commissariorum, quibus cura finitorum locorum incumbit, Agriam me deduxit, et in possessionem episcopatus juxta morem in talibus consuetum instituit: majestatem vestram scire humillime cupio, eum sese mecum perofficiose, ac summa humanitate gessisse, etsi omnia' tamquam ad majestatis vestrae dignitatem, et arcis hujus ac meum commodum, quietemque, si qua modo quies in his finibus esse possit, pertinuerunt, exequutus sit, ut debuit. Quare, etsi illum virtus et probitas et fides sua erga majestates vestras affatim commendent, non deero tamen ipse etiam eundem vestrae majestati peculiariter commendare, et supplicare, ut eum dignetur habere commendatiorem, quo in dies melius ac melius eidem inservire connitatur; quum hujusmodi fructus clementium et benignorum principum gratiae a bonis et fidelibus servitoribus referre soleant.

Proinde clementer meminerit majestas vestra, quod iter Agriam suscepturus petiveram ab eadem majestate vestra Stephanum Zolthay in comitem, qui me huc deducere debuisset; nunc perspecta viri integritate morum et in re militari industria, sagacitate-

suis existeret; aut si id minus vellet, ipsum castellum cum suis bonis ei homini ad manus restituat atque assignet, quem illi majestates vestrae ostendissent; nulla enim ratione easdem velle, ut ejusdem castelli locus maneat sine custodia atque praesidio. Et ne forte existimasset majestates vestras idem castellum hoc praetextu, dedita aliqua opera, ab eo alienandi quaerere: dedi illi consilium, ut ipse potius memoratum castellum retineret, quam cuipiam alieno cederet, et curaret majestatibus vestris gratificari hujusmodi officio, quod ei et honori et commodo esset successurum.

Non defui plura quoque similia illi suggerere, ut eum omnibus modis inducerem ad illud castellum retinendum et conservandum, considerandumque, quonam pacto et gratiae principum acquiruntur, et patriae tum saluti, tum utilitati cura impenditur. Renunciavit per eosdem homines, sibi meum consilium placuisse, eoque etiam in posterum omnibus suis in rebus usurum, quod agnovisset me sincere secum agere; quin etiam quod me in patrem esset deinceps habiturus, velletque mea in omnibus his uti opera, favore et patrocinio, quaecunque apud majestates vestras negotia sibi emersissent; quod demum hominem quoque hujus ipsius rei gratia ad majestatem vestram esset quamprimum destinaturus, quo de ratione intertentionis ejusdem castelli secum transigatur. Quum autem ejusdem castelli dicit esse bona perexigua, nec ea sufficere ad illud conservandum sine aliquo publico vel regni, vel majestatum vestrarum subsidio, quorum bonorum regestum ab eo habitum his inclusi: fortasse non esset alienum, si majestates vestrae ie ei subsidii ad memorata bona facere dignarentur, quod cuipiam

alieno homini novo, militique gregario faciendum decernerent, si sic accidisset, ut a domino Balassa reciperetur, alioqui de hoc majestatum vestrarum exspectandum est judicium ac deliberatio. Et licet significaverat mihi, quod quando secus fieri nequiret, quam ut cum castello bona etiam ejus restitueret, eadem bona dimidiatim esset dimissurus, altera parte castello conservando attributa, altera pupillo educando apud se retenta: respondi, non id eum decere, sic cum majestatibus vestris agere, quum pauculis etiam bonis hujusmodi bifariam in hunc modum divisis, parum essent utrobique futura utilia et citius desolarentur, quum praefectus castelli, parcendo interim parti suae, pupilli partem atterere non esset cessaturus, quod exemplis non caret; et esse ac futuram majestatum vestrarum voluntatem, ut aut ipse hoc castellum conservaret, postquam difficilius bonis se ejus spoliari patitur, aut cum castello bona etiam universa restituat; aequitatem hoc postulare, ut castellum suis bonis foveretur, cujuscunque manibus fuisset concreditum. Summa itaque hacc est, quod quantum per internuncios de voluntate ejusdem domini cognoscere potuerim, libenter idem castellum retinebit, si vel mediocre aliquod subsidium illi e publico concedatur. Et quia omnino hac de re et conventione missurus est hominem suum ad majestatem vestram, uti mihi est pollicitus, petiit a me 20 aut 25 peditum auxilium ad [illegible] qui memoratum castellum interim retinere debeant donec secum vel in hanc, vel in illam partem [illegible] gatur: ego, etsi sciverim eum non indigere tam [illegible] is sumptibus, quum ipse vix adhuc numum ex [illegible] patu perceperim, petitioni tamen ejus nolui [illegible] hominem in officio majestatum vestrarum [illegible]

Negatis itaque illi peditibus meis peculiaribus, ne si quid interim castello periculi accideret culpa peditum, ea in meos transferretur, ipseque poenas luerem; stipendium de meo 20 peditum obtuli, quos tamen ille conscribat, et suo nomine in idem castellum mittat, regatque, ut voluerit. Quicquid jam de hoc erit statuendum, in majestatum vestrarum est potestate, cura tamen habenda est maxima, ut mature ejusdem castelli constituatur ratio, quia rebus regni, quoad eorum locorum beneficium, oportunissimo loco omnes affirmant esse situm.

Addo in fine de singulari quodam certamine, quod hic apud Agriam hesterno die miles quidam noster cum Turca quodam hathvaniensi habere debuerat, quod quidem ego ne fieret prohibere omnino institueram, ut rem et commercio hostium infido et tam propinquo plenam periculi, utilitatisque regni publicae nullius. Verum quia ejus constitutio antequam huc ego advenissem eo jam militum ardore, studioque honoris defendendi processerat, ut et loco et die dicta, ac significata hosti certaminis res immutari nullo pacto sine infamia potuerit, coactus itaque militibus assentiri, una res consilium et vota mea juvit, quod quem nostri locum Turcis sub ipsa fere arce constituerant, ad eum accedere noluerunt, nec ad eum nostri, ad quem Turcae voluerant. Sic heri profectis nostris pulcherrimo sane apparatu tam equitum, quam peditum ad mille ferme armatorum numero, per integrum ferme diem in futuri duelli loco Turcas exspectarunt, sed frustra, quia nec venere, nec significavere quicquam, et hac ratione liberati ab hac molestia, edixi omnibus militibus, ne in posterum quicquam vel agant, vel aggrediantur de hujusmodi certaminibus, prohibitu-

deliberatione et facto quam celerrimo, quod jam initia curandorum redituum instent prae foribus: quid aut animi aut facultatis ad hoc sis habiturus, facias me certiorem omni festinatione festinantius. Hominum enim hujusmodi tantam penuriam ubique video, quocunque intendam animum, ut in ipsa multitudine juxta factum cynici Diogenis vix invenio virum, quem arripiam optabilem; et tametsi non eum tantummodo quaeram, qui ad hoc officium esset industrius, et bonus calculator, quali utique non admodum careremus, verum tamen pro ejusmodi laboramus, qui frugi utilitatibus nostris foret, quique ea nobis esset apicula, quae nostri viridarii flores nobis exugeret, et nostra curaret alvearia. Tute nosti cetera. Vale. Datae Agriae. 27. Martii 1558. U. I. Certus autem de honesto tuo salario juxta morem usitatum, animum tuum quam celerrime litteris tuis ad me perscribas. Quum interim in hoc sum, ut ad te per hominem proprium ea transmittam, quae exspectas tu, et res meae postulant. Tuus Agriensis.

LXXXVI.

Verancsics Antalnak Torda István.

Reverendissime domine, patrone omni officio et observantia colende, salutem et promti servitii commendationem. Redditae mihi sunt heri literae reverendissimae dominationis vestrae, in quibus eadem se excusat, quominus mihi decimam aliquam conferre possit, primum, quod omnes fere decimae jam sint aliis collatae; deinde quod non paucae sint in manu mea cum collega meo Francisco Pestiensi, unde non debeam petere id quod habeam. De prima causa doleo profecto meam infelicitatem, qui solus decimis Agriensibus excidi; quod vero ad alteram attinet, meus mos nunquam fuit, ut decimas ad usum regium, id est ad publicas necessitates sequestratas, mihi ipsi usurparem aut in privatum commodum verterem. Donec ego decimas regias tractavi, sincere et inculpate tractavi. Nunc eas alius tractat. Ego neminem culpo, loquor de me ipso; sed ejusmodi peculatum dignum esse statuo extremo supplicio. Si aliquis hoc de me reverendissimae dominationi vestrae exposuit, lapsus est bonus vir, ne quid dicam gravius. Nunc ita est ratio decimarum regiarum, ut ego eas nec curem, nec administrem, nisi quantum consilio providere possum, ne detrimentum sacra regia majestas capiat. Quicquid autem dominus Franciscus Pestiensis, cui ea provincia incumbit, a reverendissima dominatione vestra conduxit: mihi cum eo nulla intercedit conspiratio lu- 1556. mart. 8.

cri ex regiis decimis aucupandi, ac tale flagitium procul a me abesse volo. Si quas autem decimas sibi privatim conduxit, eas mecum non participat, neque ego opto particeps earum fieri; vellem tamen si reverendissima dominatio vestra mihi significaret, quas ei decimas in rationem regiam locaverit. Me vero, obsecro, dominatio vestra reverendissima ex meo ingenio, quod dominationi vestrae reverendissimae cognitum et perspectum esse scio, non ex aliorum iniquis sermonibus aestimare velit. Sunt enim homines levissimi, qui ex innata sibi malitia virorum bonorum detrimentis gaudent, a quibus nihil unquam eis accidit adversi. Quomodo autem cum reverendissima dominatione vestra dominus Pestiensis convenerit, ego nescio, ac nollem ea mihi ascriberet, si quae in ea conclusione reverendissimae dominationi vestrae ingrata posuit. Mihi, reversus, dixit: Ruscam a reverendissima dominatione vestra domino Paulo Zarcandio esse locatum. Quod si pars aliqua earum decimarum, quae ad Cassoviam et Saros sunt conductae, mihi cederet, nulla esset causa, cur ego a reverendissima dominatione vestra quicquam peterem. Sed absit a me nefas, quod nec in aliis ferendum judico. Ingenue ad reverendissimam dominationem vestram scripsi, sicut fert mea natura; et petii ingenue, ut aliqua decima reverendissima dominatio vestra egestatem domus meae levaret, non ea astutia, ut undique in me lucra confluant. Neque enim magna affecto, sed pro mea tenuitate parvis sum contentus. Nunc quoque peto a dominatione vestra reverendissima, tanquam a patrono meo singulari, si adhuc locus aliquis petitioni superest, ut mihi quoque veterano servitori suo exigua aliqua decima providere dominatio vestra reverendissima velit.

Reverendissima dominatio vestra novit, quae nondum sint locatae, ego nullam nominare possum. Si decimam Zykzo integram non potest conferre, saltem partem ejus dimidiam vel tertiam reverendissima dominatio vestra concederet pro rata parte pretii. Quod ita peto, si est facultas rei et si sine molestia dominationis vestrae reverendissimae fieri potest. Si non adparet ratio, qua meae quoque necessitati reverendissima dominatio vestra queat succurrere, feram aequo animo sortem meam infaustam, et vestrae reverendissimae dominationis veterem erga me benevolentiam boni consulam. Certum tamen et sibi persuasum habeat dominatio vestra reverendissima, hoc excepto, si quid mihi dominatio vestra reverendissima de sua in me gratia deciderit, decimam hoc anno in domum meam nullam ingressuram.

Nudius tertius accepi litteras spectabilis et magnifici domini Stephani Dobonis, hodie vero a reverendissimo domino archiepiscopo litteras mihi veredarius reddidit; scribunt ambo sacram majestatem regiam ad paschae ferias Viennam redituram. Quod restat, dominationem vestram reverendissimam valere quam bellissime, et rebus Agriensibus diu feliciter praeesse ex animo opto. Eperies XXVIII. Martii, anno 1558. Reverendissimae dominationis vestrae perpetuus servitor Sigismundus Torda.

LXXXVII.

Magócsi Gáspárnak Verancsics Antal.

Ad Gasparem Magochy.

8. apr. 18 Binas nuper litteras dominationis vestrae egregiae a magistro Gregorio Zygediensi, canonico nostro accepimus, et ea quae tam his litteris suis ad nos perscripsit, quam quae prius per fratrem Ambrosium, postea per hunc ipsum Gregorium oretenus nobis referenda nunciavit, intelleximus. Ad omnia itaque singillatim, et suo ordine responsuri, quem ad modum proxime nos facturos recepimus. Non parva nos habuit admiratio desiderii vestrae egregiae dominationis, quod habere se de successore in Giulensi ista sua praefectura obtinendo nobis ostendit; qua quidem praefectura, quum tanto tempore ipse summa integritate, summaque virtute ac laude gesserit militari, raesertim tot vallata hinc factiosorum intemperiis, illinc Turcarum hostilitatibus, nemine interim adhuc reperto, qui eandem istinc vel exigere, vel amovere, quod sciremus, contenderit, admirari sane videmur non immerito, quod ipsamet dominatio vestra egregia sponte sua sese eadem velit abdicare praefectura. Quae quidem, si genus suum esset in istius regni partibus exterum, equidem non invite crederemus tam diuturnam Gyulae suam mansionem taedium molestiamque illi attulisse; quum tamen in hisdem partibus sit indigena antiquissimus, stemmateque polleat primario,

cur patriam et genitale solum suum coepit fastidire et curam ejus alieno cuipiam velit permittere; at quum fortasse non desunt, qui hiant, non satis plane perspicimus, minusque adhuc induci potuimus, uti ad caesaream et regiam majestatem dominum ac principem communem nostrum clementissimum pro ista petitione sua scribere festinaremus. Idque duplici causa. Altera, quod hoc officium non putavimus ad verum amicum pertinere, dubii an amico nostro utile atque honorificum esset futurum. Altera, ut huic deliberationi mora aliqua interponeretur, donec aliud quodpiam solidius et utilius hac de voluntate sua caperet consilium, si forte istud, in quo nunc persistit, vel ab aemulis illi aliquibus fuisset maligne subditum, aut aliqua alia ratione non satis firme illud suscepisset; uti magnis etiam viris et majoribus nobis, gravi quidquam cum poenitudine evenire consuevit exitu rerum suarum non proviso. Aeque enim consilia ac judicia humana facile falli solent, et praesertim ea, quae non admittunt aliena, calculumque amicorum non explorent; quum a natura ipsa insitum sit hominibus, res alienas acutius et diligentius rimari ac perspicere, quam curare et introspicere suas. Propterea dominationem vestram egregiam rogamus, ut si forte fortuna eam de his liberius et familiarius commonemus, ne velit vitio nobis vertere, quia quum ei fraterno afficiamur affectu, cupiamusque multo majorem et honoratiorem fieri, nollemus ut hoc suum subitarium fortasse desiderium praecipitaret, a quo alioqui si decedere mutareque sententiam noluerit, mature cupimus edoceri, parati eidem et in hoc et in aliis rebus summo studio gratificari, quas ejusdem commodo praestare poterimus, cupientes domina-

tionem vestram egregiam non in ista solum, in qua nunc est, fortuna conservari, sed etiam ampliorem eidem dari, uti viro, qui jam cum summis proceribus afflictae et prope eversae patriae nostrae adjumento esse possit. Haec ad ea, quae oretenus nobis dominatio vestra egregia nunciaverat, respondimus. Ad ea vero, quae de litteris regiis ad illam datis interceptisque a factiosorum satellitibus scripsit, non habemus omnino, quid dicamus, quum nihil de eis antea intellexerimus; caesareae tamen ac regiae majestati domino nostro clementissimo per primos tabellarios, ut nos est hortata, scribemus, eamque admonebimus, ut si quid in eis fuerit ardui cujuspiam negotii, eas clementer aliis reficere non dedignetur.

Quod de Transsylvanorum proximis comitiis nihil amicus ille suus fuerit ausus scribere vel nunciare, credendum est; redacti enim miseri illi populi sub jugum turcicum partim sua propria voluntate parum sano consilio, partim quorundam desperatione et cupiditate, non est mirandum, si et securitatem et libertatem amiserunt, quam quidem sub imperio turcico nulli unquam omnium mortalium, qui in eorum potestatem devenerunt, diu salvam atque incolumem obtinuere. Id quod nos cum magnifico domino Francisco Zay legatione nostra apud eum principem proxima satis sane didicimus; tametsi tota jam etiam Hungaria probe cognoverit, suis propriis malis et experimentis edocta, potissimum vero Budensi excidio, quae civitas non sane alia causa, quam praetextu falsae et insidiosae charitatis, qua princeps ille simulavit se posteritati Johannis regis affici. *)

*) Kimaradt: „avulsa est“ vagy hasonló jelentésü ige.

Nec dubitandum est, quod nisi, eadem posteritas et qui illi adhaerent, fucum hunc primo quoque tempore animadverterint, providerint, et mature suis rebus consuluerint, brevi profecto in se et ipsamet, et ipsi Transsylvani experientur, nec id quidem seeus, quam jacturam Budae. Videant igitur omnes, consulimus, quorum cum fortunarum et libertatum, tum otii et salutis res agitur. Quia si jam reginae atque ejus filio punitionem sub virga ferrea sine respectu Turca minetur publicitus, nisi fecerit ejus imperata: quid quaeso, actutum Transsylvanis non imponet servitutis? idque si sit per unum apparitorem chyausum, quid non ita multo post a zangziachis et passis non sustinebunt, quum illorum cervicibus imminebunt portis provinciae eorum occupatis, uti jam ternas occupaverunt: Lyppae, Transalpinae, Moldaviae. Quare exclamemus ambo: o infelices et sine consilio! Utut tamen ipsi soli voluerunt, sic habeant. Caeterum quod de aliis, quae modo fiunt, in eadem Transsylvania scribit, ea omnia et plura non ita pridem aliunde etiam intellexeramus, quod videlicet Francisco Bebeccho capitaneatum et omnes reliquos titulos, quos in eum congesserant, abrogassent, quodque eos Melchiori Balassae conferre voluerint, ipse vero eos assumere noluerit. Quum ne Joannes quoque Terek comitiis interfuerit, ob satis enormes quasdam causas a Bebeccho in eum et in Melchiorem Balassam machinatas eo quod cum socero suo libenter eodem coelo ac solo tectoque frui audeat. Quapropter postquam sic inter sese columnae posteritatis Joannis coeperint dissentire et deflagrare mutuis odiis: palam est, eas diu non staturas, nec futurum aliud, quam ut consilia quoque et conatus eorum in perniciem patriae suscepti saniorem cursum ineant et defrauda-

ta illa plebecula resipiscat, verumque ac legìtimum regem suum agnoscat, atque ad eum revertatur, ne prorsus evertatur.

Jam vero de nugis gallicis nobis sane non ignotis, quas Christophorum Bathory a Somlyo scribit dominatio vestra egregia ab eo rege attulisse, non est quod aut ipsa magnifaciat admireturque, aut nos rescribamus, nisi et vel ex hoc regis illius hostilem in Christianorum statum agnoscat voluntatem, et perniciosa studia. Qui provinciae transsylvanae jam prope circumventae et hiatu hostis haustae, viduae quoque unius ac pupilli perangusta fortuna subnixi periculo, cupiditatibus suis adjumenta quaerat, jamque in talem eos choream induxerit, cujus finis et ipsis et multis sane aliis luctuosus erit. Idque non a nobis solum habeat dominatio vestra egregia pro vaticinio, sed pro re jam non obscure cognita, coeptaque ad effectum duci, ejusmodique a nobis, quod tam aperte referantur, velimus, nemo offendatur, nam et nos aliquid fuimus in hoc ipso labyrintho et in hac tragoedia; saepissime isthaec omnia et palam et occulte, ut non caecus, videns, vaticinati sumus, quae jam illis partim evenerunt, partim non remote immineant, caventes commodis et incolumitati publicae; sed minus nobis creditum est, quod etiam tunc simili aegritudine mentes quorundam laborabant. Nunquam tamen gravius aut ipsi Transylvani, aut ipsorum domini, quos intempestive, ultimoque suo ac sane nostro etiam excidio cervicibus suis imposuerunt, lapsi sunt, quam hoc tempore; nec jam aliud in re perpetrata restat dicere, quam ut oretur Altissimus, velit concedere, ut et ii et illi errore periculoque suo prospere agnito et probe perspecto, corrigant, quod errarunt, et declinent periculum, quod

construxere sibi. Caeterum repetito Christianorum consortio, fidem etiam optimi regis et jam etiam divina gratia caesaris sinum, a quo exciderant, repetant.

De zangziacchis, qui dicebantur concurrisse Quinqueecclesias ad prohibendam arcis Babolcha instaurationem, verum id quidem fuit, sed nec illud quoque falsum est, quod digressi fuerint. Quamquam ne nos quidem adhuc certo cognoverimus, quare sententiam mutaverint, nisi quid aliud occulte moliantur, quapropter omnes nostri finitimi debebunt eo vigilantius ad eorum motus prospectare et attendere, quo sedatius atque otiosius sese gerant; tali enim tempore dolose quopiam impetu contra nos fabricato, ut insperatius, ita et fortius consueverunt erumpere. Qua ratione et causa aestivi quoque illorum apparatus metuendi erunt vel nobis Agriensibus vel Zygetho, qui tamen si omnino vani non fuerint Julio mense plane constabunt nobis, idque potissimum ex janizerum portae caesaris apparatu; de quo dominatio vestra egregia per exploratores suos curet sedulo informari, si videlicet iisdem janizeris fuisset imperatum equos sibi comparare, quia summarum expeditionum temporibus singuli, vel ad summum bini singulum equum ferendis sarcinis et interdum reficiendae lassitudini habere solent.

Post has binas vestrae dominationis egregiae litteras redditae sunt nobis aliae binae, quarum alterae praefatum magistrum Gregorium commendarunt, alterae Michaëlis Serienii casum declararunt. Quoniam autem antea etiam commendaverat nobis alium quoque ordinis nostri hominem Petrum Thorday Varadinensem canonicum, et ejus possessionem

Boch, libenter et securitatem Petro a militibus nostris, et Gregorio favorem ex nobis gratia vestrae egregiae dominationis obtulimus, eoque erunt nobis deinceps commendatiores, quod vestra egregia dominatio non omnino videtur jam aspernari et rejicere nostros catholicos. Quod postremo Michaelis quoque nostri Serienii res ademptas recuperare nititur, gavisi sumus, et rogamus, ut serio ei adesse velit quantum per eam fieri poterit; est enim et juvenis, et miles bonus, nobisque cumprimis charus; eaque causa nos quoque diebus proximis quosdam ex nostris gentibus trans Tibiscum miseramus, sed nemine invento grassatorum Thomae Varkoch et Clementis Artandi, quos venari jusseramus, cum armento Francisci Nemethi redierunt. Qui Franciscus misso nuper ad magnificum Johannem Pethew capitaneum Cassoviensem superiorum induciarum, quae cum eo habebantur, foedere, aggressus erat his in locis contra fideles regiae majestatis hostilia, et praesertim in Cassovienses; contra quem deductis gentibus Telechesianis superiorum partium idem Emericus Telechessi et Joannes Pethew cum quodam duce alemano equitum cataphractorum et peditum ad Tokay usque signa pertulerant impetu sane valido, ut nimirum primario credebamus tam inquietum hominem subito oppressuros. Sed eo arce sua, ut vulpe vetere, et nostrarum festinationum subitarum non ignara, haudquaquam prodeunte, ipsi quoque nostri pedem retulere, et nunc circum Boldokew, Zantho et Gincium castra habent. Quid acturi et conaturi praeterea, nescimus aliud, quam quod novas gentes a sua majestate supravenire audimus, incerto tamen authore. De quibus quicquid postea certius cognoverimus,

ad dominationem vestram egregiam scribemus. Habet verbosas litteras, sed tamen amicas. Deus optimus maximus vestram egregiam dominationem felicem servet. Agriae 18. Aprilis. 1558.

LXXXVIII.

Testvérének, Verancsics Antalnak Verancsics Mihály.

Salutem et felicitatem.

Hodie cum essem in prandio apud magnificum[1558. apr. 29] dominum oratorem Venetum, dedit mihi hasce litteras ad dominationem vestram reverendissimam sonantes, puto eas esse Dumnensis illius, quantum ex sigillo percipere potui. Porro ipse dominus orator se et officia sua plurimum commendat ei, et nescio quid mihi de romana legatione attigit, quod quidem et ab aliis quibusdam in aula audio dici aliquando.

Hoc anno fiunt ubique maximi apparatus. Turca emittit 130 triremium classem; Venetus 80; rex Philippus naves rotundas armatas 60, praeterea contra Gallum numerosissimum exercitum. Idem Gallus contra tam equitatu quam peditatu ferme par viribus accedit. Inter alia fertur in Francia tam magnam multitudinem Lutheranorum inundasse, ut jam frustra jure animadverti in eos conentur, unde regi fit majus ferme negotium quam ab esterno (igy) hoste. Exspectantur oratores congratulatorii ab omnibus

christianis principibus: serenissimus autem rex Maximilianus perendie proficiscetur ad aquas calidas non longe ab hinc, ubi circiter unum mensem moraturus dicitur.

Si dominatio vestra reverendissima ad hanc imperialem vocationem ventura huc est, praemittat aliquem ex suis cum instructione, ut praeparentur necessaria tam pro jumentis quam hominibus, nam de hospitio secura est. Si quid interim colligerim dignum scitu, dabitur opera, ut habeat. Salutet meo nomine omnem familiam suam una salute. Ex Vienna 29. Aprilis 1558. Michaël Verancius frater et servitor.

LXXXIX.

Oláh Miklós esztergomi érseknek Verancsics Antal.

Reverendissimo et illustrissimo domino meo domino Strigoniensi, legato nato, primati regni Hungariae etc. domino et patrono mihi colendissimo.

Reverendissime ac illustrissime domine, domine mihi colendissime, salutem, et servitiorum meorum commendationem. Ad 27. diem Aprilis binae litterae dominationis vestrae reverendissimae mihi sunt redditae, satis sane sero, quod aliae 19. Febrnarii, aliae 22. Martii scriptae fuerint, magna perferentium negligentia. Verum vestrae reverendissimae dominationi habeo maximas gratias de novitatibus tam ex Turcia, quam ex Germania allatis; et laudetur Altissimus, qui exspectationi nostrae de promota sacratissima majestate regia domino nostro clementissimo ad imperium christianum tam benigne, tamque favorabiliter responderit. Nam ad laetitiam quod attinet, majorem certe in tota vita nec elapsis annis unquam sum expertus, nec futuris experiar; nec enim parva est felicitas, si et nobis ambitionem nostram fateri permissum sit, esse jam caesaris consiliarium. Sit igitur haec electio et acclamatio felix ac fausta, rebusque nostris sic afflictis et prope jam accisis illi restaurationi ac saluti, ad quam diu suspiramus et respicimus. De Turcae vero intemperiis non est quod miremur, semper enim sibi est similis. Et quandoquidem dudum tyranni animum et mores et conatus ha- 1559. máj. 5.

beamus cognitos: via et modus, et ratio quaeratur, ut, si eum vi superare nequeamus, quietum saltem quopiam artificio teneamus, et a prosequenda secum contentione abstineamus. Quamquam (quod saepe alias et scripserim et loquutus fuerim) nullo unquam officio in officio retinebitur, nisi arma et vires nostras exstare, serioque excubare viderit. Et haec quantum ad vestrae reverendissimae dominationis litteras; quantum autem ad ea, quae hinc ipse dudum debuissem, eadem vestra reverendissima dominatio veniam mihi dare dignabitur, si ne nunc quidem pro arbitratu meo vel exilem schedam commode possim exarare, adeo multiplicium negotiorum curis prope interceptus quodam modo obtinear, ut nesciam, si huc ad episcopum an ad bellicum quempiam ducem, qui ne miles quidem unquam fuerim, an ad magistrum causarum gerendum venerim, qui et ab alienis litibus discutiendis semper abhorruerim et suppresserim meas. Brevi tamen ubi novi officiales mei suis in locis constiterint, et negotiorum hujusmodi partem ad sese receperint, spero me liberiorem futurum, et ad solitam officii hujus mihi sedulitatem rediturum. Caeterum quod attinet ad decimam Zeplak, eam dominationi vestrae reverendissimae misi cum his expeditam; habuit sane multos procos, praesertim vero ad Saros Cassoviamque designatarum administratores, et quosdam ex vicinis nobilibus; omnibus tamen negata est. Audio eam anno proximo XX vasa vini habuisse, praeter triticum, multo magis opimum quam pro arendae suae summa. Quod eo volui ascribere, ut dominatio vestra reverendissima diligenter ejus curam haberi mandet, ne ab officialibus distrahatur. Non poterit credere, quam multi pro ea laborarint, quum sit satis exigua,

futura tamen semper dominationis vestrae reverendissimae cum omnibus reliquis ad Agriam, quae etiam ejus est, pertinentibus. Plura mihi essent ad vestram reverendissimam dominationem scribenda, potissimum autem de episcopatus hujus mei mea portione, quae quidem mihi, nulla hactenus pecunia reposita subnixo, esu et potu sane ipso in hac militari palaestra et finitimo exercitio (ne nunc attingam reliquum, quod certe totum stipendiis gentium datur) consumetur. Ea tamen ad opportunitatem suam differo, vestra reverendissima dominatione obnixe rogata, ut mei apud gratiam suae caesareae et regiae majestatis paterne saepius et per omnes occasiones velit meminisse; quia haec provincia magna est, et milites assidue queruntur de praeteritis stipendiis non illis persolutis; quia autem nec proventus episcopatus hujus opinioni suae respondeant, nec est mihi peculium peculiare, quantas perfero quotidie molestias, dominatio vestra reverendissima videat, quam Deus opt. max. felicem servet. Agriae 5. Maji 1558. Vestrae illustrissimae et reverendissimae dominationis servitor addictissimus.

XC.

Verancsics Antalnak, testvére Mihály.

Reverendissimo domino domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi, perpetuo comiti Hevesiensi, s. caesareae majestatis consiliario etc. domino observandissimo.

Új.25. Salutem et felicitatem. — Dominationem vestram reverendissimam et exspectant omnes hic, et simul admirantur neque litteras neque nuncios de reditu suo aut diuturniori mora ab ea transmitti. Ego autem etiam rarius quam soleam, domo egredior; quid enim interrogantibus de ejus mora responderem nil habeo; certe, et pudet et taedet. Tamen si factor hic essem tantum, aequum esset ut domini mei litteras frequentiores haberem,ut tantum sciretur me suum esse hominem. Vereor ne locum det proverbio: honores mutant etc. Nam ex Constantinopoli frequentiores recepi, nondum enim equitibus et peditibus stipabatur. Nos, quia nostro gradu continemur, contemnimur. Extra jocum, mirantur omnes de ejus taciturnitate. Hic amissa Tata, quies ut antea. solus scit princeps quid agendum fuerit. Sua majestas etsi non sine sua tertiana sit, tamen a periculo longe abest; dominus palatinus cum ad extrema pericula devenisset, utcunque convaluit, et semisanus certe invalido corpore huc se contulit; sic enim res postulant. Rex Maximilianus adhuc fruitur balneis in Bolchyr una cum serenissima regina. De reverendissima dominatione vestra jam aliquoties caesarea majestas interrogavit, quod retulit mi-

hi reverendissimus Strigoniensis, me autem idem, ego me nil scire retuli. Sed, ut fertur, non dabitur dominationi vestrae revendissimae quietis locus, et ad meridiem, puto, paratur legatio. Nos omnes hic bene valemus qui reliqui sumus. E Dalmatia nil habeo. Oratores duo veneti exspectantur, Capellus quidam et Navagerius, qui fuerunt capita decem. Classis turcica petit Melitam magna vi, quam tamen reperient bene munitam neapolitanis militibus. Gallus et rex Philippus in castris sunt. Fruges Venetiis minuerunt pretium. Opto dominationem vestram reverendissimam bene valere. Omnes suos meo nomine salutare faciat. Viennae, 25. Maji 1558. Michaël Verancius frater et servitor.

XCI.

Verancsics Antalnak, testvéröcsese Mihály.

Reverendissimo ac illustrissimo domino Antonio Verantio, episcopo Agriensi, perpetuo comiti Hevesiensi, consiliario caesareae majestatis, domino observandissimo.

Salutem et felicitatem. Cum Vienna discessissem 1558.aug.22.
prima die Augusti, ejusdem mensis die 14. Venetias attigi incolumis cum omni comitiva et jumentis. Eadem die intellexi parentem nostrum cum omnibus aliis sanum et sospitem, tamen ex recenti vulnere moestiorem; quem spero volente Domino, adventu meo miti-

gaturum suam tristitiam. Accepit etiam consors mea ex unici fratris morte non vulgare damnum; sed et ego, nam eum loco fratris habui; de ejus familia aeque ac mea cura erit agenda, omnes enim parvuli sunt; mater vero juvenis et inconstans ac inutilis. Hic Venetiis Zacharias et Leonardus Scavonelli bene valent, meque domi eorum exceperunt amicissime et honorificentissime, omniaque pro voto dominationis vestrae reverendissimae promto animo effectum (igy) dederunt. Ceterum Zacharias petiit, ut eandem certiorem facerem de ejus servitute, quam in dies exhibet huic majestati caesareae in mittendis litteris et accipiendis ex Constantinopoli; nam cum inde veniunt, per ipsum redduntur agentibus suae majestatis; similiter cum eo mittendae sunt, medio ejus fit, ut habeant recapitum; ita ut ejus servitus neque agnoscitur, et illi utilitatem accipiunt omnem proprio nomine. Rogat itaque dominationem vestram reverendissimam, ut ejus servitutem commendet caesareae majestati, ut sua majestas sui memoriam habeat et servitiorum ejus. Quod plus est, neque scribere ad dominationem vestram reverendissimam per eorum nuncios audet, nam litterae aperiuntur ejus, et accepto succo ex illis pro suis mittunt. Sed ego commisi, ut medio Hieronymi Jacni deinceps mittat litteras suas. Quod attinet ad vestimenta parentis, libentissimo animo fidejussionem suscepit; accepimus autem panni optimi ulnas 38, akatii ulnas 16, damasci ulnas 12, veluri ulnas 4. Summa tota quam debemus facit ducatos currentes 114, n. 9. Opera Jovii quae reperi latina mitto, historiarum scilicet duo volumina; Leonis X-mi pontificis maximi vitam; illustrium virorum antiquorum et modernorum item vitae 12. vicecomitum Mediolanensium. Mitto etiam bre-

viarium romanum, quo majoris impressionis non reperi. Ceterum missale strigoniense nullibi reperitur, et qui reliqui fuerant nuper in Germaniam allati sunt; scutellae argenteae quidem reperientur aliquae, non tamen novae, neque ejus formae, cujus dominatio vestra reverendissima indiget; tamen mihi videtur, quod melioris argenti hic fiunt, et leviori pretio. Ita namque cum artifice calculum subduximus, ut ex 72 maviis fient majores scutellae 12; mediocres 12 ex maveis 48; minores 12 ex maveis 30; disci 12 ex maveis 24; tota summa facit mavias 174. Singulae autem maviae constant ducat. 6. p. 23., de liga, ut vocant. Cum manifactura vero singulae maviae constabunt duc. 7. z. p. 1. Promisit autem, quotiescunque datum fuerit illi negotium ut fiant, perficiet totum opus in spatio mensium trium. De ocularibus, cum advenissem, retulit Zacharias, quod nullus artificum repertus sit, qui eo modo, quem optat dominatio vestra reverendissima, sciat ea facere. Ego tamen cum Francisco Caligorio quendam reperi, qui promisit facere experientiam; si fient, ut bona sint, mittentur brevi ad eam. —

Pictorem cum maxima difficultate reperimus; omnes affirmant plus in tanto temporis spatio, quo isthuc irent, domi se lucraturos; tamen unus juvenis obtulit se pro fl. 25, et omnibus expensis, ita ut ferme alii 25 exponentur. Sed quid hoc? modo fiat quod volumus.

Reverendo domino Nicolao de Dominis decano Tervesii reddidi ejus litteras, quas accepit gratissimo animo, et obtulit se ad vota sua omnia, dixitque se daturum copiosum responsum; litteras tamen ad me nondum misit, sed jussi Hieronymo, ut in reditu divertat ad eum, et accipiat litteras. Ac-

cessi magnificum dominum Marcum Antonium de Musa, qui heri profectus est Veronam pro capitaneo. Salutem a dominatione vestra reverendissima accepit gratissimo animo, et inquisivit de fortuna et valetudine ejus copiose et studiose, deinde jussit, ut nomine peterem a dominatione vestra reverendissima opus ejus historiarum de rebus Hungaricis, promisitque se solum tantummodo visurum et lecturum, nemine participe facto; quare autem id optet, mihi non aperuit. Quod reliquum est, dominatio vestra reverendissima habet hic famam satis illustrem, meque hic viderunt quasi testem ejus magnitudinis splendide cum hac comitiva. Tamen mihi constitit, ita ut ferme exhaustus hinc abibo. De ejus legatione futura plena est civitas, et multi exoptant, praesertim amici. Ego hinc hoc triduo discedam in Dalmatiam, unde copiosiores litteras a me exspectet. Oratores hujus dominii ad caesaream majestatem heri hinc moverunt. Quod reliquum est, bene valeat et feliciter agat. Ex Venetiis 22. die Augusti 1558. Michael Verancius frater et servitor.

XCII.

Busbek Augeriusnak Verancsics Antal.

Ad magnificum Augerium a Busbek.

Hyeme superiori quum essem Agriae, quaternas[1558. sept. 1.] litteras a magnifica dominatione tua satis quidem eas sero, sed tamen perjucundas et summe gratas acceperam, ex quibus unae erant ad me et ad collegam nostrum magnificum dominum Franciscum Zay communiter datae, reliquae ad me solum; eoque adhuc tempore diligenter ad omnes responderam via turcica et ragusini cujusdam mercatoris Budae mercaturam exercentis opera. Quod his ob eam causam visum est mihi esse attingendum, ne idem responsum denuo repeterem, utque tua magnifica dominatio intelligeret illius temporis rescribendi officium non fuisse praetermissum. Nunc idem prosequuturus officium haec primum ad eam scribo. Majestatem caesaream dominum nostrum clementissimum optime jam ab aegritudine proxima convaluisse, et conventibus omnium regnorum ac provinciarum suarum pecuniae cogendae gratia operam dare, hisque diebus peracto Viennae conventu austriaco, ad reliquos provinciarum Norici celebrandos serenissimum regem Bohemiae Maximilianum filium charissimum die 25. hujus*) mensis misisse, re-

*) Értsd: praeteriti; mert a jelen levél sept. 1-én kelt.

gressoque Viennam, memoratis conventibus feliciter confectis, Maximiliano ipsam quoque majestatem caesaream (uti nunc habemus) in Germaniam ad res imperii sui stabiliendas et curandas belli rationes in eum eventum, si pace ista Turcae frustraretur. Nec dubitandum est majestatem ejus tantum ad insequentem annum et pecuniarum et copiarum paraturam, ut imparatam inermemque hostes non sint inventuri, si bello sibi tentandum esse statuerint. Contulit enim ei Austria duos ferme auri milliones ad sexennium, et quibuscunque nationis ejus res familiaris fuerit amplior, viritim omnes unum equitem cathaphractum de suo ad emergentes usus nutriet. Quid ad hac reliqua majestatis suae regna et provinciae et universi status ac principatus Imperii conferent et pecuniarum et gentium, per sese magnifica dominatio vestra facile conjiciet, scietque haud dubie id etiam ab aliis, quum hoc imperatore hac tempestate nihil eidem imperio acciderit optatius, testantibus id assiduis, et magnis legationibus, quibus illinc majestas eius sacratissima omnibus ferme diebus visitur. Et tametsi adhuc sint aliqui, qui insanis Galli studiis teneantur, sperandum tamen est, brevi ea relicturos, ubi bonitatem, et providentiam suae caesareae majestatis propius gustare coeperint. De Philippo autem rege amplissimo quid quaerit? Mira principis fortuna, industria, consilium, et tantum in re militari judicium ac vigilantia, ut facile pater in filio agnoscatur. Mense siquidem Julio ad XV millia Gallorum apud Gravelingam exercitus ejus XI millium armatorum in finibus Flandriae et Picardiae post amissum Thiunville municipium tanta virtute confecit, ut LXXX duntaxat milites. quod miraculi vice scriptum est ex Flandria, cladem vix ef-

fugere potuerint, captis ad haec omnium ordinum ductoribus et ipso summo totius exercitus duce domino de Thermes, sic antea Momoransio ac ejus filio, et de quibus suo tempore scripseram. Nunc domino de Thermes cum tot aliis claris ejus regni magnatibus in potestatem habito, et Petro Strozzio ictu bombardae apud Tyunville municipium sublato, omnibus fere summis et ducibus et viris, solo quodam ex Gvisana familia rebus insistente, et gentis existimationem sustentante, totus creditur Gallias viduasse. Paulo post mari quoque paucissimorum dierum interjecto spatio duplici potitus est victoria, et prima de X ac IX navibus in freto anglico, quae Caletum, Bolognam, et ad alia ejus orae maritimae loca munitiones, commeatus, et militum supplementum vehebant. Classis enim anglica dum in eo mari excubat et observat hostium excursus, forte in memoratas incurrit naves, pugnaque cum his conserta, uni effugium non concessit, cursu hinc destinato versus aquitanicum oceanum, aliud quodpiam fortunae quaerens beneficium, praesertim quod a paulo ante victis cognoverat. plures post se cum hisdem commeatibus, munitionibus, ac praesidiis naves mitti, quumque jam Britanniae citerioris promontorium, quod Gobense cosmographi vocant, superassent tempestate excipitur, vique ejus validiore compulsa, qua diutius jactata dubio exitu fuerat, in portum Rocciellae civitatis apud Sanctones supra Garumnam amnem subducit se, ibique praeter omnem opinionem LX hostium navibus deprehensis, eas invadit subito impetu, pugnatque, et potitur victis. Inde cognito, quod non ita multo longe ab eo portu III millia Gallorum essent, qui cum hiisdem commeatibus et munitionibus in Picardiam praesidio mittebantur,

hos quoque pari celeritate, cohortibus classiariorum expositis, oppressos improviso, et affectos gravissima caede ; incolumis tandem cum captivis, et navibus, et magno virorum numero, copiaque commeatuum rediit in sua maria. Philippus jam his tam insignibus victoriis adeo feliciter fortiterque ultus jacturam Thyunvillae municipii, Peronam urbem cum XLV millibus peditum, et XV millibus equitum partim cataphractorum partim levius in vestrum belgicum morem armatorum petit, nullibi non paratus, non maxime cupidus praelii. Deus altissimus adsit dexter ejus et consiliis et conatibus, omnesque religionis nostrae principatus, qui odiorum ambitionumque suarum causa societatem armaque cum Turcis non vereantur in Christianos jungere, conterat atque confundat. At Gallus quoque non multum a Philippo remotus, impar tamen Philippi viribus, quinque leucis pedem referendo, et pugnam declinando omnia post se exurit, ne suppetant Philippi copiis necessaria; praesidiisque ex Insubribus in Gallias accersitis, quibus est agros et aperta regionis ejus defensurus, totum hunc exercitum, quem modo in Philippum habet, per adjacentes urbes periculo dispositurum nunciant, neutro eorum in castris suis existente, quamquam utroque ea ubi a IIII ubi a V milliaribus subsequente, quo subitis rebus postulantibus, subito possit consulere. Quae vero inter eos per totum adhuc hunc Septembrem et fortassis etiam per Octobrem exspectentur, si modo tantos exercitus tam diuturno tempore poterunt sustentare, mira arbitrantur fore, estque mortalium nemo, qui Deum non precetur, ut in aliquam firmam et veram pacem hoc eorum bellum deducatur. Quia profecto non solum vestrum Belgium,

et vicinae illi provinciae, sed etiam universa regna christiana eo laborant misereque affliguntur. De pontifice summo vellem, si possem, gratiora, sed molestum habemus. Caesareae majestatis electioni adversatur, quod ei suum quoque calculum et authoritatem accessisse voluisset, si quid modo non subsit aliud, quod conjici sicco etiam calamo facile potest. Eadem tamen majestas caesarea haudquaquam insperatae hujus et intempestivae novitatis jaculo mota, uti semper fuit in hujusmodi perturbationibus constantissima, et animo vere caesareo, hoc est invicto, fert rem sapienter et summa moderatione, legatum ejus sanctitatis operiens, quem jam destinavit unum e cardinalibus, quemadmodum proxime per oratores nostros dominum Martinum Gusmanum et Petrum Paulinum significavit. Exterorum res sic se habent in praesentia. Nostrae, ut ad id tempus, adhuc eundem cursum tenent. Omni enim ex parte premimur, impetimur, populamur, et inducarium ac pacis tempore, quo reliqui Turcarum confoederati soleant esse otiosi ac securi, nos et jacturas majores facimus, et perimus, necdum tamen ad gladios recurrimus, tamque hosti fallaci credere, ejusque amicitiam tam inaniter sollicitare desinimus. De quo, Augeri, collega dignissime et vir amplissime, quam multa tuae magnificae dominationi commemorare possem, si litteris, quas istuc interdum damus, tam disertis, tam securis esse liceret, scio non ambiget, et pro me interim Tatta loquatur, quae a nostris finitimis negligentissime custodita, ea jam diligentia hostium emunitur, ut nos ad reliquae suae viciniae custodiendae solertiam sero excitasse videatur, ne dicam succendisse etiam ad obsistendum tandem tam propinquo periculo,

Quae de reliquo regni statu scire cupierit, affatim didicit omnia a nunciis Baldo et Martino, quos majestas sua caesarea proxime ad magnificam dominationem tuam misit. Quae quo nomine, quo praeconio, quibusque meritis versetur apud communes principes et totam aulam, utar e quidem paucissimis; vix tamen ulli oratorum, qui ante et nos et eam titulo isto Turcae hinc triverunt limina praestantiore fama viguerunt. Nec requirat cactera. Verum incepta tantum virtute atque industria (quod egregie facit) munus tam praeclarum enixe urgeat, dum ad metam illud deducet, parumque interim vel difficultate ejus vel periculis moveatur. Habebit sane caesarem, quum sospes domum istinc redierit, et Trajano meliorem et munificentiorem Julio. Tertium, quod fortasse mallet, Deus ei optimus maximus curabit aeque, ut curavit nobis. In eum tantum spes omnes collocentur. Nec plura modo, nisi ut valetudini suae conservandae incumbat; opera et amicitia mea pro suo arbitratu utatur, quod maxime etiam desidero, et amicos nostros reverendum patrem Joannem Baptistam Zeffum, Lucianum Cabogum, Hieronymum Zacharettum, Licinium, Abrahamum, Muratum, et caeteros omnes meo nomine salvos esse jubere non gravabitur; sitque diu felix atque incolumis. Viennae, prima Septembris 1558.

XCIII.

Illicinus Péternek Veranesics Antal.

Ad Petrum Illicinum doctorem, praepositum S. Thomae et canonicum ecclesiae Strigoniensis.

Reverendissime domine tanquam frater hono- 1558.sept.10
rande. Ille, qui mittendus est, nobis electis Romam, intra unam hebdomadam solvet. Ei litteras dominationis tuae dedi, ubi accepi commendatione plurima adhibita, estque functurus fideli officio, quantum est pollicitus. De sermonibus dominationis tuae ad ecclesias nostras, quod scribit, intellexi. Quorum lectioni quidquid mihi temporis a publicis tribuitur negotiis, sedulo impendo, et si rogas de his quid sentiam, quamquam non is sum Aristarchus, cujus lima lucubrationibus dominationis tuae addi debeat, summe tamen placent mihi, nec displicuit etiam dominationis ejus epistola, quae plura praestitit in decursu, quam fronte promiserat, ita ut prolixitas etiam ejus multum satisfecerit: tantummodo eum Maecenatem sortiretur, qui eos prelis ac luci traderet. Ego nisi finium cura laborarem, qui me exhauriunt ad unicum assem, id tuae dominationi opus non denegarem, alioqui quicquid per alios, qui me magis crassi sunt, ut Mydae, ad hoc hortando, petendo, rogandoque impetrare ejus gratia potero, operam meam polliceor, nisi tamen reverendissimus dominus meus, imo nostrum netum omnium parens Strigoniensis eorundem sermonum imprimendorum assumserit impensas, non video, quis

assumet, adeo algemus reliqui. De consilio ex hoc regno abeundi, quod animo volutat, si quid ei beneficiorum et dignioris conditionis non adjicietur, nollem quippiam dicere, quod reprehendi posset. Meo tamen judicio meliora et sperare et commutare id sententiae debebit. An in Italia celerius et facilius beneficia acquirantur quam hic? perinde ac ipse ignorarem, quibus modis in Italiae curiis laboretur. Deus bone! quanta ibidem agmina candidatorum, quantae venatorum copiae? non dico isthoc, quasi virtutes dominationis tuae non mereantur omnia summa, verum hic pene unus es, et si qui accedunt alii, hos quoque antecellis, et primas mereris cathedras. In Italia quotus quaeso esses? ubi multi et doctissimi in postremis haerent, et senescunt latitantes, dum ne antistitibus quoque tempestive providetur. Tua itaque dominatio reverenda viderit diligenter, ne quid committat praecipitantius, quod postea consequeretur poenitudo. Cui quidem quum ab initio necessitudinis nostrae semper amice faverim, nequeo eidem non consulere libere, dum versatur in periculo, minus passioue quapiam prospeculo, alioqui et illud cavendum erit, ne, si ab ista exciderit sponte sua fortuna, eam denuo repetere cogatur et frustretur inani palinodia, quum in alium fuerit collatum, quod exuerat, et exempla hujus naufragii complura aevo nostro vidimus. Quo magis mallem dominationem tuam alienis fieri doctiorem, quam suis alios. Sed haec a me sic, velim, accipiat, ut ab amico singulari et raro. Valeat, et me, ut facit amet. Viennae X. Septembris 1558. Dominationis vestrae reverendae tanquam frater et amicus bonus Agriensis.

XCIV.

IV. Pál római pápának Verancsics Antal.

Ad papam Paulum IIII.

Beatissime pater. Post humillima ac devota san- 1558. sept. 12.
ctitatis vestrae pedum oscula beatorum. Quoniam divinae majestatis providentiae, cujus nutu ac dispensatione omnia coelestia terrenaque gubernantur, visum est, ut ego subjectus et devotus sanctitatis vestrae orator licet indignus ad episcopatum ecclesiae Agriensis his temporibus electione et nominatione sacratissimae Romanorum caesareae majestatis, tanquam et in quantum Hungariae regis, vocatus sim, quemadmodum ex litteris majestatis suae clare sanctitas vestra intelliget, eaque causa provolutus omni cum debita veneratione ad beatos sanctitatis vestrae pedes, humillime supplico, dignetur mihi confirmationis et consecrationis suae sanctam atque apostolicam benedictionem clementer impertiri, deque ipso episcopatu Agriensi gratuita ac pia bonitate et munificentia sua benigniter absque ulla annatae solutione providere. Quod quidem, beatissime pater, non eo postulo atque imploro, quia aut sanctae matris ecclesiae, et apostolicae sedis ordinationi velim refragari, aut subterfugere ne tantum tamque excellens munus sanctitatis vestrae gratitudine aliqua juxta morem majorum, et laudabilem et consvetum agnoscam, sed propter turbulentissimum et afflictissimum regni hu-

jus statum, quo, toto jam ferme hoc ipso regno, hinc in Turcarum, hinc in rebellium suae caesareae majestatis rapinas et potestatem redacto, sic omnes episcopatus ejusdem regni distracti sunt et evastati, ut, dissipatis et amissis omnibus eorum proventibus, solis jam dumtaxat titulis, ac nominibus, et cura functionum retinentur, idque ob christianae religionis nostrae zelum, ne in mediis hostibus constitutae genti nostrae reliquiae Christi, et catholicae romanae ecclesiae destituantur pabulo fidei. Et tametsi inter alios memoratos episcopatus, qui ex proventu antiquorum reditum vix vicesimam partem obtineant, unicus meus agriensis sit, cui superest adhuc aliquid: hoc tamen, quod dixi, aliquid, vix pro quinta parte habetur nunc ex eo, quod quinquies tantum habebatur priscis et bonis temporibus. Verum et haec ipsa portio quum partim per Turcas et rebelles distrahatur, partim ad munitiones, aedificia, officialium solutiones, et ad ejusdem arcis Agriensis conservandae praesidium impendatur, quod assidue in ea majus quam mille armatorum retinetur: quantum de reliquo ad episcopi, familiaeque suae sustentationem cedere debeat, ex his cognosci perspicue licet; contiguoque ejusdem Agriae postulante periculo, haudquaquam minores impensae ad eam conservandam tuendamque fieri possunt. Quia a tribus illi partibus in quinto et sexto milliario Turcae, rebelles vero tam propinqui incumbunt a parte quarta, ut pro portis eos fere quotidie habeat, et caesareae majestatis fideles ea illorum hostilitate infestante, qua ne vel turcica majore. His itaque, beatissime pater, aerumnis, spoliis, calamitatibus et miseriis nostris sane plus quam miserrimis perspectis, humillime atque obnixe supplico,

dignetur sanctitas vestra pro sua singulari in oppressos christianos, et in sanctae matris ecclesiae catholicos atque obedientes filios pietate, velit mihi humillime supplicanti praefatae confirmationis et consecrationis suae benedictionem absque alicujus annatae solutione clementer conferre. Quod eidem sanctitati vestrae quum sit futurum apud homines gloriosum, tum apud Deum optimum maximum fiet acceptissimum. Ego vero pia ac paterna ista sanctitatis vestrae benedictionis liberalitate adjutus commodius et pastorale hoc munus meum in ecclesia Dei exercebo, et custodiae dominici gregis, quae mihi a sanctitate vestra gratiose committetur, attentius advigilabo, votis, nomini et mandatis ejusdem semper addictissimus. Quam Deus altissimus sacrosanctae isti apostolicae, et sanctitatis vestrae sedi, ac ecclesiae catholicae quieti, conservationique sanam felicemque cum optatis rerum omnium suarum incrementis ad multos annos tueatur ac servet. Datum Viennae Austriae XII. die Septembris MDLVIII.

XCV.

Nádasdy Tamás nádornak Verancsics Antal.

Ad magnificium dominum comitem palatinum Thomam Nadasd.

1. sept. 19 Nova, quae his diebus habuimus, plura sunt, e varia. Johannes marchio Brandenburgensis venera huc die III. mensis hujus cum filio marchionis Henric a Braunswik. Decima fidem majestati caesareae so lemni juramento praestitit, et eodem a sua majesta te, insequenti vero ab archiduce Carolo exceptu prandio, ad serenissimum regem Bohemiae profectu est, inde ad caesaream majestatem denuo reversurus Quartadecima veneti quoque oratores appulerunt Johannes Capellius et Bernardus Naugerius, viri cla ri, et in sua republica primarii, comitatique et fa mulitio multo et nobilitate non pauca; caeterum cras audientiam habituri. Ex Flandria diu jam nihil erat auditum, variaeque omnium animos opiniones agita verant, quid in causa foret, quod a Philippo rege sta tis suis diebus non venirent tabellarii; nudius tandem tertius constitit, unum per iter fuisse interemptum, idque jam quum in ditionem majestatis caesareae pervenisset, hincque factum est, quod per hos dies proximos scire nequivimus, quid inter illos exercitus ageretur. At heri appulit salvus alius, qui quaenam at tulerit, non sum adhuc plane assequutus, quod ea si lentio quodam videntur praeteriri. Quae tamen edita sunt in publicum hujusmodi sunt: Vires utriusque exercitus validas esse, distareque ab invicem

nonnisi unico nostro milliario, ac prorsus ignorari de futuro praelio, sedulo tamen ab utroque captari opportunitates, et nostrum vix a pugna contineri, novis stipendiis, quae accepit recens, incitatum, nec interim multorum cessat suspicio, esse aliud quippiam sub hoc cortice, quod nesciri, ac taceri malint; sed et Deus donet et nos speremus meliora. Nec sunt de externis alia. Nostrae merae sunt tragoediae. In Transsylvania Franciscus Bebek et Franciscus Kendi cum fratre suo Antonio, rebellionis suae nefariae, et tot aliorum scelerum, die Septembris prima ultimas patriae, quam in servitutem et ad extrema rerum suarum perduxerunt, dedere poenas. Miserat regina oratores suos in Turciam, petitum, addi finibus Transsylvaniae si non cetera, quae annis superioribus adempta sunt, at saltem Lyppam, cum ea portione terrae, quae a Lippa ad arcem Hunyad porrigitur, idque Galli suasu, spe concepta de illius patrocinio, quod ei per proximum legatum fecisse dicebatur. Vicissim duo quoque Francisci cum Antonio, triumviratus pestilentissimus, eodem suos destinant oratores, iisque dant contraria et plena accusationum mandata. Reginam denuo exitum ex Transsylvania meditari, et ad Germanos defecturum, ubi primum Lyppa et postulatis finibus potiretur; eaque causa petitionibus ejus passas nequaquam locum debere dare. Periclitari tunc magnopere oratores reginae et de illorum captivitate passas consultare, vixque jam etiam manus ab eis abstinere. Quum hoc interim, quoniam et casum eorundem oratorum suorum, et causam ejusdem casus fama celeriter extulerat, clancularíae a regina literae superveniunt; quibus perlectis cognitisque confestim, et reginae fides est habita firmior, et tota

vis indignationis passarum in accusatores ejus versa, remissique utrorum cum ciauso oratores, nec plane referunt quali cum responso; conjectura tamen est, quod cum tali, qualem effectus demonstravit. Nam Bebechi et Kendiorum callide apud Valacchos in itinere remoratis oratoribus, cum aliis ciausus ad reginam festinavit. Quae mox et iis, quos jam morti destinaverat, et aliis ejus provinciae summis ac selectis pro more viris, consiliariis suis, ad audiendum, quae Turca renunciaverat eidem de reddendis petitis finibus, consultandumque quid deinceps esset illis agendum, Albam Giulam accersitis, conveniunt. Regina tum, quae jam dudum cum Melchiore Balassa, et cum quibusdam aliis de omnium trium caede transegerat, ipso Melchiore, ut totius praxis et parricidii duce, quique non ita longe cum 200 equitibus, et 300 peditibus latere fuerat jussus, per posticum in arcem nocte intempesta recepto, ipsamet dicitur eundem magno animo fuisse alloquuta, moram ut omnem rumperet, et patrare maturaret, quod se patraturum commodo publico receperat. Ibi mox Thoma Dacczo et Gaspare Perussith in Franciscum Bebek inmisso, Franciscum et Antonium Kendy, qui una erant, ipse Balassa occupat, momentoque, et sine magno negotio iis ambobus interfectis, ut qui nunquam fortes habiti fuerant, Bebek, tametsi nec ipse multum insignis quapiam praeclara nota bellica, facile tamen non cessit invasoribus, sed simulac ab eis circumveniri sese vidit, ensem corripuit, et primum in Gasparem, ut quidam ajunt, Perussith, ut quidam alii, in Thomam Dacczo invectus, quod ii ante alios cum duobus militibus gregariis irruperant, ita est tutatus vitam, ut omnibus magnis et prope lethalibus vulneri-

bus affectis, plane visus est declarasse. quod iis sese eripere non aegre potuisset, si rem cum solis habuisset. Verum irrumpente multitudine, quae illos sequebatur, plurimis gladiis victus, succubuit. Sic iis regum novorum perniciosissimis authoribus dignissima morte exstinctis, facile jam caeteris omnibus seditionum studiosis constabit in posterum, quantum fidei, spei, opisque et studiorum in Turcarum societate atque amicitia ponendum erit. Beatique et ter et quater erunt, qui jam tandem vel his extremis rebus nostris, tam manifesto irae Dei exemplo redierint ad se, et sapere incipient. Sed de hoc, quid sperari debebit, paulo post sciemus, quum jam et Transsylvaniam totam maximis tumultibus agitari nunciant, et iis tam egregie per fidem turcicam summis capitibus e medio sublatis magna caeteri haud dubie corripientur formidine. Huic autem facinori ne majus quoddam et magis memorabile corollarium desit, regina die postero, caesorum cadaveribus in publicum abjectius expositis, judicium palam haberi et cognosci jussit, jurene an injuria fuissent interfecti; nam praeter accusationes et caetera quibus offenderant reginam, crimine etiam appetiti ejus provinciae principatus culpabantur. Facta enim tam ipsi Turcarum tyranno majoris tributi, quam Hrustano passae munerum appromissione, sibi Transsylvaniae regimen et curam tutelamque Joannis filii, rejecta ejus matre, ut alemanicis studiis infecta, committi tradique postulaverant. Quare convicti eodem ambitus, perfidiae, proditionis et laesae majestatis crimine, damnatique capitibus; illud quoque discussum judicio. sepelirine an insepulti projici debuerint? Bebecchoque multo nocentiore invento caeteris, quadrifariam securi

carnificis discissus et IIII Albae Giulae civitatis turribus angularibus appensus est; Kendinis data sepultura. Caeterum ne rebelles sua tantum manu videantur sese conficere, quod hac caede eos facere incepisse cernimus, post deditionem arcis Barko Emerico Thelekessy factam, eidem se dedidit Kevesd, et jam Zerench quoque castellum oppugnat. Franciscus Nemethy in dubium rerum suarum conjectus ac ferme desperatus turcicum auxilium sollicitat; sed quia Budensis passa illud ei summittere cunctatur, quod fortasse non fidat homini, Joannem fratrem suum, qui nuper hinc metu detentionis profugerat, obsidem, ut Epergiessio scriptum est, passae pollicetur, tanta est in eo erga caesareae majestatis domini nostri clementissimi fidem contumacia, tantus in rebellione consensus. Perniciosum erit hoc ei regioni, si conceferit scelus; sed et illud magni et metus est et periculi, quod subjicio. Tria Turcae castella Gyulae arci opponunt, et jam duo confecta sunt. Alterum ad Vilagoswar in pago Syry, alterum in Erdewhegy, tertium in Varsany sub oculis fere ipsius Giulae moliuntur; ad haec Tattae quoque passam Kazzun justo cum praesidio esse profectum, Budam vero alium ejus loco designatum. Sed nos rem Tattae quo studio quave ratione curaturi simus nescio; Gasparem tamen Magochy Gyulae praesidem certum est cum quatuor ferme millibus hominum, armato excitoque ad suum militem et nobilium ordine, et plebea turba, in castra descendisse, obstaturumque totis viribus, ne hostes sibi pedicas objiciant, cui adsit Deus altissimus, postquam homines nequeunt. Verum si tantum incendium eo loci non exstinxerit Magochy, haud dubie mali series Agriam proxime spectabit;

cujus in columitati, obsecro, consulatur, quod vel solius dominationis vestrae magnificae hortamentis fieri poterit, minimeque futurum dubito. Vale et felix eato. Viennae XIX. Septembris 1558.

XCVI.

Verancsics Mihály, testvérének, Antalnak.

Reverendissimo domino, domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi, perpetuo comiti Hewesiensi, sacratissimae caesareae majestatis consiliario, domino observandissimo. Verancsics Antal kezével: Receptae 23. Novembris 1558.

Salutem et felicitatem. Ego Domino comite die 14. Septembris incolumis domum perveni, ubi omnes reperi incolumes utriusque domus, licet luctu et squallore plenos; quibus tamen adventus noster consolationis nonnihil attulit et tristitiae abstulit; imo potius prospera valetudo et honorum ac dignitatis accessio dominationis vestrae reverendissimae, quae quascunque calamitates nostras temperat et in oblivionem adducit. Quod reliquum est, ea quae perficienda fuerant mihi injuncta per dominationem vestram reverendissimam, partim confecta sunt, partim vero iis proximis diebus divino auxilio conficientur, utputa: domus conductio, hortus, insula, negotium Spalaten- 1558. oct. 1.

se et similia; nam quae agenda erant Venetiis, ex itinere peregi, et eam certiorem inde de omnibus feci per litteras; quod autem in hanc diem distulerim, in causa fuerunt vindemiae, nam appuli recte in ipso furore vindemiarum. Porro hic viget nunc extrema omnium rerum charistia, vini mira exiguitas, fruges autem vix etiam reperiuntur, adeo ut verendum sit, ne hac hieme a fame velut ab hoste haec civitas obsidionem experiatur. Ceterum Provian szigetiben vagyon eladó egy szép ház szűleivel egyetemben, kinek mása nincsen ott; az házzal ípitéssel, kerttel, gyiműcsivel, csatornakúttal és helylyel, id est, Scruanovics Péterí ki volt; de nem hiszöm, hogy annye pínznek szerit tehetem mennyét kírnek, mert tübb kelletik nigyedfél száz forintnál letennyi írette; de csak az ház odvarával és kertvel jobb kétszáz forintnál, anekül vagyon hetven mírtík fülde. Azám gonyai (?) mind szőlő hasznos, olajmolnával. Quare summopere dominationem vestram reverendissimam rogo et supplico, ut huic negotio suppetias ferat, et quidem mature, si pro ejus ratione fieri poterit, ne tam nobilis res nobis elabatur; ego tamen omnibus artibus, quibus potero, negotium differam ad responsum ejusdem vestrae reverendissimae dominationis, mert az a ki eladja csak engemet várt. Quod autem ad equos attinet, statim a principio dedi operam ut intelligam, sicubi aliquid nobile electumque habeatur. Ita accepi esse in quodam loco rem singularem, hoc est equum nominatissimum apud praecipuum virum et militem famosum; mox dimisi, ut tentetur hominis animus, responsum tamen quotidie expecto; si erit dignum animal, non dimittetur.

De morte summi pontificis, puto hujusque intel-

lexit. Faxit Deus ut eum sortiatur successorem, qui meliores partes amplectatur et bonis adhaereat, posthabitis satanae ministris. Dominatio vestra reverendissima dignetur ad me solito more saepius scribere, ut sciam semper quo loci versetur, et quibus successibus ejus dignitatis rationes progrediantur. Et cum hoc feliciter diutissimeque ac optime valeat. Salutem dicunt omnes et felicia precantur pro incolumitate ejus. Sibenici, prima die Octobris 1558. Michaël Verancius frater et servitor.

U. I. Scriptis jam litteris iterum advenit fama, pontificem nondum decessisse, sed in extremis laborare, et palatium esse jam direptum. Turcica classis dudum se recepit Constantinopolim, male affecta tam ab hostibus quam a peste, nostra vero propediem domum revertetur incolumis. Hic publica fama est tam a mercatoribus, quam etiam ab ipsis Turcis, cogitare Turcam proximo anno expeditionem in Ungariam facere.

XCVII.

Sebridovski Endre krakói püspök Verancsics Antalnak.

Reverendissime in Christo pater, domine et amice observandissime. Salutem et mentis deditissimae accuratam commendationem.

st. 16. Non oblivione veteris nostrae consvetudinis, prioribus litteris non responderamus, sed, quod cui recte litteras daremus, non habueramus. Quid enim an ego, quum minutas etiam amicitias non retinere solum, sed cupidius etiam consectari soleam, vestrae Dominationis reverendissimae amoris et consuetudinis obliviscerer? ac me ipsum retexerem? Equidem dolui vehementer, quod hoc toto temporis intervallo, nullam neque doloris, neque voluptatis meae dare vestrae dominationi reverendissimae significationem potuerim: doloris dico; quem summum habebam ex tristiori apud Turcam successu: voluptatis autem, quam incredibilem ceperam ex jucundo et optato in patriam reditu. Quare primum nunc vestram dominationem reverendissimam incolumem ad nos rediisse laetor: deinde illi ex hac amplissima dignitatis accessione gratulor, neque autem magis vestrae dominationi reverendissimae, quam ipsi etiam ecclesiae Christi gratulor, cui talis episcopus divinitus obtigerit, cujus pietate et doctrina, quod infectum est, curari, quod collapsum, sustentari facile posse videatur. Sed religionis malum, quod in omnium oculos

incurrit, nunc non attingo. De nostro mutuo amore. arctissimaque conjunctione, quando nihil diuturnitate et temporis et silentii detractum aut imminutum est, restat ut illam nostram amicitiam, quae omnibus studiis et officiis pulcherrime inter nos evaluerat, scribendi assiduitate renovemus ac confirmemus; ut absentes quasi praesentes per litteras colloquamur, et liberius de omnibus rebus inter nos commentemur. Mihi dominationis vestrae reverendissimae litteris nihil potuit accidere jucundius: in quibus nostrae consuetudinis quasi quandam expressam imaginem vidi. De meo autem animo erga vestram dominationem reverendissimam pluribus verbis narrabit hic meus ex fratre nepos, quem vestrae dominationi reverendissimae commendo majorem in modum. Pro veteri autem nostra amicitia vehementius ab illa peto et quaeso, ut fratrem ejus juniorem, si commode fieri poterit, in numerum suorum asciscat: sin minus, curet ei locum, vel apud dominum Sigismundum Herbestein, vel apud alium aliquem principem virum, apud quem non otio, neque desidia, sed labore et cura juventutis suae tempus transigat. Sed mallem eum esse apud vestram dominationem reverendissimam propter morum virtutumque plurima exempla. eoque mihi gratius facere nil poterit. Christus Jesus vestram dominationem Reverendissimam in longissima tempora servet iucolumen. Datae Cracoviae XVI. Octobris anno MDLVIII. Reverendissimae dominationis vestrae antiquus ille et ex animo amicus et frater Andreas Dei gratia episcopus Cracoviensis et dux Severiensis manu sua.

Kivülröl Verancsics kezével: Receptae 29. Octobris 1558.

XCVIII.

Dudics Endre Verancsics Antalnak.

Reverendissimo domino domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi ac sacratissimae caesareae majestatis etc. consiliario etc. domino domino ac patrono colendissimo.
Kivülről Verancsics kezével: Redditae 28. Oct. 1558.

Oct. 28. Reverendissime domine domine ac patrone colendissime. — Tametsi quae summa est dominationis vestrae reverendissimae tum in omnes alios, tum privatim in me benignitas ac singularis quaedam humanitas, nunquam ad eam aditum mihi praeclusum esse sensi: tamen quibusdam sum rationibus adductus, ut satius esse crederem scripto potius petitionem meam complecti, quam sermone declarare. Atque illud inprimis, ut id facerem, me movit, quod cum intelligerem, non eum esse me, qui antea unquam ullo officii genere, quo in eam essem animo, quaque observantia colerem, testificari potuerim; et tamen necessitas me ipsa ante ab ea beneficium petere cogeret, quam ego quicquam de ea mereri potuerim: recte me facturum existimabam, si epistola, quae, ut dicitur, erubescere non solet, supplicationem meam explicarem, quae quidem hujusmodi est.

Nudius quartus cum ad familiariter libereque colloquendum admirabili quadam et plane incredibili dominationis vestrae reverendissimae humanitate ac bonitate invitatus et pertractus essem, commemoravi tum ei omnem rerum mearum statum, ac quid animi

haberem, quid cogitarem, quid consilii caperem, de rebus deque studiorum ac totius vitae meae genere quid statuerem, copiose satis, nec scio an liberius etiam, quam decuisset, explicavi. Tum illa, ut facile quivis insignem ejus pietatem intelligere posset, ut me consolaretur adjuvaretque, cum animadverteret hominem esse me litterarum cupidissimum, suique studiosissimum, neque tamen, ut maxime vellem, ullam rationem, qua desiderio meo fieret satis, invenire me posse videret: benignissime ipsa, sua sponte duo mihi sacerdotia obtulit, ex quibus non tam ego me meaque studia, quam pauperrimam ac prorsus miserabilem matrem meam, una cum suis pupillis sustentarem. Equidem tum ita sum exhilaratus, ut cum benevolentiae ejus ac liberalitatis magnitudinem paulo altius considerarem, verba quibus illi gratias agere possem, non reperirem, sed ita eo tempore ab ea discessi, ut copiosissimas lachrymas profundens, Deum Maximum ex animo sim precatus, praeberet aliquam mihi occasionem, qua, si nihil aliud possem, saltem non immemorem esse me hujus tantae benignitatis declararem. Nunc vero, quoniam reverendissimus dominus archiepiscopus ita me dimisit. ut unius tantum anni spatium aegerrime concesserit, quo absoluto nisi reversus ac presbyter factus fuero, beneficia ista mea vacare intelligantur: eo res recidit, ut nisi reverendissimae dominationis vestrae liberalitate fuero sublevatus et recreatus, quo confugiam, aut quid sperare debeam, prorsus ignorem. Quapropter cum ad perficiendum studiorum meorum cursum non uno anno sed majori temporis intervallo sit opus, humillime dominationi vestrae reverendissimae supplico, ne me miserrimum ac pene calamitosum hominem indignum

esse censeat, de quo tam praeclare, ut instituit, mereatur. Potest illa, rebus suis omnibus salvis, quod sponte sua pollicita est, nunc maximis a me precibus sollicitata concedere, ac beneficiis illis, de quibus memini, insciis omnibus, Deo tamen, benefactorum omnium liberalissi mo remuneratore, conscio, me meamque multis jam calamitatibus oppressam ac prope exstinctam familiam erigere, atque a summa miseria in optimum statum vendicare. Quod sane dominationis vestrae reverendissimae factum praeterquam quod Deo ipsi Maximo gratissimum futurum spero, illud etiam accedet, quod ego me perpetuis atque arctissimis benevolentiae ac liberalitatis ejus vinculis constrictum sentiens, nullum sit officiorum genus, quod non sim libentissime subiturus, ac dominationi vestrae reverendissimae suisque perpetuo serviturus. Ac si quando illa nepotem suum, ut tum dicebat, in meam disciplinam tradendum, meaeque curae ac fidei committendum putabit, sanctissime affirmo ac recipio, daturum me operam diligentissime, ut omnes homines intelligant, qui et dominationi vestrae reverendissimae, et illi, majori fide, diligentia ac benevolentia servire aut posset, aut velit, reperiri posse neminem. Nam ego, etiam non impetrato eo quod peto, statui tamen quamprimum id per tempora licebit, in familiam patrociniumque me suum conferre; neque vero dubito non futurum mihi locum inter suos familiares, qualiscunque ille tandem futurus est; profecto modo penes illam sim, quamlibet aliam conditionem etiam oblatam volens ac libens contemnam et negligam. Quodsi autem dominationi vestrae reverendissimae ita videbitur, hoc pacto illa mihi beneficia conferat, ut non ante mihi fructus ex iis provenientes concedat,

quam nepotem suum mihi dederit instituendum, ut interim ego certi aliquid habeam, quod sequar. Nec est quod illa vereatur, ne id ingratum accidat reverendissimo domino archiepiscopo. Nam nonnisi longo post tempore haec resciet, si tamen unquam resciet; et tum nihil mihi cum ipso negotii erit: nec habebit quod ille conqueratur, si dominatio vestra reverendissima miserum hominem et ab omnibus relictum juverit, ac sua liberalitate veluti ad vitam revocarit; imo vero hoc tum apud ipsum, nisi sit natura admodum depravata praeditus, tum apud omnes omnium nationum homines, futurum est nomini ac familiae dominationis vestrae reverendissimae honestissimum ac gloriosissimum. Habet praeterea et ille homines apud se, qui ecclesiae dominationis vestrae reverendissimae beneficiis opulentis fruuntur. Ego sane cum in humanitatem ac benignissimam dominationis vestrae reverendissimae naturam intueor, adduci non possum, ut dubitem, me non omnia, quae peto, consecuturum. Quod ut fiat, suppliciter atque humillime ab ea peto, in qua omnem spem meam positam habeo; a qua omnes et meae miserae matris et meorum pendent fortunae ac commoda: quos mecum una dominationi vestrae reverendissimae quam possum officiosissime ac diligentissime commendo et trado, gratiosissimum ac benignissimum exspectans responsum. Dominationis vestrae reverendissimae humillimus ac deditissimus servitor Andreas Duditius Sbardellatus.

XCIX.

Sebridovski Endre krakói püspöknek Verancsics Antal.

Reverendissimo Andreae Sebridovio episcopo Cracoviensi.

oct. 30 Reverendissime in Christo pater et domine, domine praesul integerrime, amice et fautor colendissime. Salutem ac obsequiorum meorum in gratiam ejus veteri jam eoque confirmatissimo studio devotioneque commendationem. Nudius tertius et litteras vestrae reverendissimae dominationis accepi, et Stanislaum Albertumque nepotes suos eo quidem excepi animo, quo eandem semper et praesens et absens jam inde a pluribus annis colo atque observo, nempe et voluntate et affectu singulari. Nec aliud dicam de suis jucundissimis litteris, quia humanissimis, nisi quod mihi quanto diutius fuere desideratae, tanto sane venere gratiores; verum oblatis meis omnibus officiis et fraterna opera Stanislavo Patavium bonarum artium gratia festinanti, Albertum apud me pro voluntate vestrae reverendissimae dominationis retinui, quem quidem sic habiturum me polliceor, ut vel ipsum fratrem meum Michaelem, vel ejus filium. Neque dubitet, disciplinam illi bonorum morum defuturam, quum et plurimum nobilium erit in consortio, et a nobis etiam non discet alia, quam quae discuntur in catholicorum episcoporum scholis. Paulo post, ubi aulae nostrae formulas apud me perdidicerit, et tyrocinium ho-

spitis deposuerit, eum, si alibi esse censuerit, illud sibi persuadeat velim, me nulli officio defuturum quo eidem vestrae reverendissimae dominationi gratificari potero. Nec pluribus ad ejus litteras in praesentia vacat respondere, quum majestatis caesareae domini mei clementissimi in imperium profectio nos quoque Hungaros occupatissimos teneat, dum de toto regni statu, quod nobis reliquum est, solliciti bellum Turcae anno insequenti formidemus, cujus rumores ut apud nos jam indies videntur increbescere, ita nec nostri quoque segnes erunt apparatus. Reliqua gubernabit Altissimus, qui vestram reverendissimam dominationem incolumen ac felicem diutissime servet. Viennae, ultima Octobris. 1558.

C.

Rapicius Endrének Verancsics Antal.

Andreae Rapicio.

Magnifice Rapici salve. Legi complurium doctis- 1558. nov. 1.
simorum hominum seculi nostri epistolas, quorum nomina praetereo invidiae vitandae gratia, verum suo cuique honore, sua laude existimationeque integra salvaque permissa, unus me ita hoc scribendi genere delectavit Palearius, ut cumulate perplacuerit. Docte illi quidem omnes et latine et graviter, et summo sane judicio, summa cum laude scripsere, qui jam

partim praecesserunt Palearium, partim sui fuere temporis. Hisque de causis non immerito eos nobis et Italiae et Galliae et Germaniae prela tam certatim et identidem restituunt, ut sane dignissimos, qui fruantur luce nostra sempiternum. At tametsi ne in Palearo quoque desiderentur hujusmodi dotes, quibus hos pollere dixi, habet tamen quiddam singulare et rarum inter alios Palearius. Nam quicquid in buccam venerit pro rei atque argumenti statu (quod doctiores peculiare dixerunt esse epistolae), id, meo quidem judicio, dumtaxat scribit, scribit autem et pure, et concinne, et jocunde cuncta cum acumine, adeoque sibi belle et citra negotium videtur satisfacere (ubique expeditam dictionem professus, qualem elegorum suorum poetae fieri volunt), ut eum re vera sine anxiore rerum verborumque delectu scribere, non meditari, effundere, non difluere, et semper sui argumenti memorem nusquam ab eo indecenter avagari judicem. Vitato praeterea omni in parte colorum nervorumque apparenti oratorio apparatu, copiosum, plenumque nihilominus argumentorum invenio, quamquam lenem planumque, et per commata quaedam pluribus astrictum locis gradientem, ut et Isocratis, et Caesaris, et Ciceronis, et Cornelii Taciti familiarem fuisse facile agnoscas. Quumque sine omni vehementia, neque in affectus assurgendo, neque in tragica erumpendo, cuncta presso perspicuoque calamo explicet, quae concepit animo, atticam sane dicendi modestiam leporemque et amasse, et assequutus fuisse mihi creditur. Haudquaquam interim vel succi, vel nervorum indigus, ea vi potissimum delectatus, quae sententiis, non verbis continetur. Habes meum, Rapici charissime, de Paleario judicium, quod equidem non attigi

ex arrogantia, quam mihi nec natura dedit, nec fortuna finxit, sed quod ejus adamarim epistolas. Quo amore si fortasse deceptus fuero, agnosces hominis judicium. Tametsi quid debuerim pertimescere, non video, si et Andreas Aliattus celebratissimae eruditionis jurisperitus, veteris eloquentiae reparatorem ac civilis juris dignitatis assertorem nominaverit, et Jacobus Sadoletus, vir excellenter doctus, ac magnus cardinalis, dixerit, non posse laudes ejus sine scelere praeteriri, esseque homines illos imperitos, qui eas ignorassent, qui vero supprimendo dissimulassent, improbos. Magna profecto commendatio, eoque etiam amplissima, quod a laudatissimis viris tanto sit diplomate posteritati consecratus. Unum in eo mihi non placuit; voluissem, ut exclamationes suas ad immortalem Deum direxisset non ad immortales, quamquam et Bembum, et Jovium, et pler osque aios seculi hujus habuerit scriptores, quos imitaretur, parum illos quoque hac in parte laudandos. Quodsi leve quippiam, et ad theologorum cautiones pertinere dixeris, non ad oratorum, neque eorum, qui stylo studeut luculentiori: alterum tibi assentior, alterum sane non concedo. Nam quum a professione nostra christiana prorsus est alienum, joco etiam vocem hanc ex ore hominis nostri audire: Dii immortales, qui in signo, in lapide, in argento, auro aereque fuerunt daemones, humani generis illusores: tantum sane abest, ut id commodi gratia faciamus orationi nostrae consulentes, dum eam pleniorem vocum sono amplificantes, graviorem reddere contendimus; quasi vero nec romanus nitor, nec oratoria gravitas admitteret Deum immortalem, idque vocis non ab imo pectore, neque bucca pleniore vel effari, vel exclamare posse-

mus. Sed haec ad te familiariter, ut cum iis soleo quorum ingenio delectatus, humanitatemque et virtutem complexus, consuetudinem etiam concupisco ultroque lacesso, ut potiar concupitis. Quod postremum erit, remitto tibi Palearium, quem quidem ita totos hos dies, quibus apud me fuit, legi volvique ac revolvi, ut mirifice etiam adamaverim. Mihi quidem certe rem facturus es gratissimam, si curabis, ut nudius tertius recepisti, ne caream Paleario, idque mox, ubi in ejus vel bibliopolam, vel typographum incideris, quum Germaniae civitates peragrabis; cui vicissim ipse quoque mea non negabo, neque subtraham officia, quaecunque usus tui postulabunt, eruntque in mea potestate. Vale. Viennae. Novembris prima 1558.

CI.

Testvérbátyjának Antalnak Verancsics Mihály.

Reverendissimo domino domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi, comiti perpetuo Hewesiensi, sacratissimae caesareae majestatis consiliario, domino observandissimo.

Kivülről Verancsics A. kezével: Receptae 29. Decembris 1558.

Nov. 6. Reverendissime domine, domine observandissime. Salutem et servitiorum nostrorum commendationem. Ita repente contigit me scribere hasce litteras, ut particulariter omnia prosequi nequiverim, praesertim mihi specialiter commissa. Sufficiat igitur pro nunc certificare dominationi vestrae reverendissimae, nos omnes esse et vivere incolumes, et plurimum desiderare ejus litteras, ex quibus salutis suae rationes omnes et fortunarum perdisceremus. De fama et praeconio dominationis vestrae reverendissimae apud omnes hasce nationes quid dicam? nisi quod summis viris et omni laude dignis attribuitur. Ut autem attingam nonnihil et summatim de quibusdam quae forsan scire desiderat: De negotio Traguriensi nihil fit. Hic offertur simile per parentem juvenis illius, qui fuit nuper apud eam. Filunt (?) Petrum de Bassano, modo velit dominatio vestra reverendissima; brevi tamen clarius per proximos nuncios. In reliquis frater Nicolaus hortum licitavit florenis 400-is; sed et aliae plures res, et utiles, et hujus loci praecipuae prostant; de quibus totaliter adhuc scribere nequeo praeter ea,

quae nuper scripsi de Praeviano. Sint Maecenates etc. Quod reliquum est, circa negotium Ragusinum nihil expeditur, ita ut parens me quotidie obtundat (?); in ea tamen est spe, in qua eum dominatio vestra reverendissima confirmavit per litteras. Salutem dicere dignetur Belgramonio, Lazkoni magistro curiae suae caeterisque suis familiaribus omnibus cum Pechy Janos meo nomine. In reliquis opto dominationem vestram reverendissimam optime velere et quam diutissime. Ex Sibenico. Die 6. Novembris 1558. Michael Verancius servitor et frater. *)

CII.

Egy nagyságosnak, úgy látszik, Telekesi Imrének.

nov. 12. Magnifice domine vicine, amice, et tanquam pater nobis observandissime, salutem et servitiorum nostrorum commendationem. Litteras dominationis vestrae magnificae, quas ad nos et ad magnificos dominos bellicos consiliarios proxime dedit ratione decimarum nostrarum, eas utrasque intelleximus. Quum autem de successu earum aliter scripsit nobis, aliter dominis bellicis consiliariis, non parum et ipsi et nos admirationis habuimus de hujusmodi sua industria; easque ipsas litteras, quas nobis miserat, eisdem consiliariis magnificis ostendimus, ut perspice-

*) Következik nehány sor cryptograph irással.

rent, quonam pacto dominatio vestra sese in istis finibus non solum cum caeteris omnibus majestatis caesareae fidelibus, sed etiam nobiscum gereret, qui in hisdem istis finibus tantae molis arcem, tamque magnum praesidium fructibus earundem decimarum sustentare cogeremur. Parque sane erat, ut vel propterea tuti a rapina dominationis vestrae et suorum esse deberemus, si forte inimicum omnino animum erga nos induisset, et constituisset apud se, ut nunquam quicquam deinceps ex ejus humanitate et benevolentia speraremus. Porro non contenta damnis, quae nobis citra nostrum omne demeritum maxima intulit, conditione quoque nostra perinde ac ignoti cujuspiam et ex trivio hominis abusa, contemptu denique nos perstrinxit, dum ademptis nobis nostris reditibus ad caesarem nos, aequitatem nostram quaesitum et amissa repetitum amandaverit. Magna sane ista dominationis vestrae licentia, qua et nos tam confidenter atque impune spoliare parvi ducit, et de indulgentia immo etiam de gratia et de favore optimi et integerrimi principis, summi omnium malefactorum osoris, audeat sibi et suis non benefactis tanta pollliceri. Quas quidem offensiones a dominatione vestra magnifica ut indignissimas et inexpectatas, ab eo praesertim homine, quem semper loco patris coluimus, et duras certe et peracerbas accepimus; et eas licet toleraturi honoris nostri causa non simus, prius tamen ad opportuna remedia quam ad aequitatem conferre nos noluimus, unde tota re et tota nostra causa ad majestatem caesaream impigre delata, gravissimeque apud eam pleno consilio expostulati, respondit: se nunquam id licentiae dominationi vestrae concessisse, nostrosque reditus si sic attinget violenter, ut

conquesti fueramus, aequitatem, justitiamque postulare, ut nobis de suo satisfaceret, idque si negasset, sciret satisfacturam cameram de stipendiis dominationis vestrae militaribus. Eam se ad istos fines misisse non grassatorem sed praesidem, non populatorem sed protectorem et propugnatorem fidelium suorum datoque ad eam super his mandato, quod est brevi acceptura, decimarum nostrarum pretia, si fructus sibi retinuerit, persolvi nobis clementissime jussit. Jam dominatio vestra magnifica si amicitiam et officia nostra grata habere velit, quibus ad hoc usque tempus, ubicunque res et commoda ejus postularunt, nunquam adesse praetermisimus, rogamus, ut pariter ipsa etiam de ademptis nostris decimis amice et humaniter nobis satisfacere velit; sin ab hoc animo fuerit aliena, ut futurum non speramus, procul dubio magnopere dolebimus, et memoria tantae injuriae, quam omni damno anteponimus, non conquiescemus, quoad vivemus. Quum enim majestas caesarea nec jussit, nec vult dominationem vestram istic inter nos fideles suos vivere ac potiri rerum rapto, ita nec magni sane nec utilis est consilii, alias arces in finibus spoliare, alias vexare, ubi una omnes periclitentur, nostra praesertim Agriensis, ut magis extima et propinquior ad hostes caeteris. Dominationem vestram magnificam denuo rogatam velimus, curet benevolenti animo, ne inter nos commordeamus mutuo, sed potius coamemus, postquam tantae opportunitatis tamque arduum confinium ambo ex aequo tenendum servandumque suscepimus, habeamusque fere jam in visceribus, nedum prae foribus nostris hostes tam multiplices, et in exitium nostrum consentientes, a quibus mordeamur. Neque committat, quod pro fraterno no-

stro consilio eam hortamur, ut, sicut fortiter ac praeclare hoc anno de utrisque hostibus, deque tot arcibus, tot castellis expugnatis triumphavit, voceque omnium laudatur, ita ètiam de labefactatis et attritis fidelibus, quos tueri ac servare inoffensos debuerat, vituperetur; quamquam alioqui, si ut aequitatis est, nec de ademptis nostris reditibus convenienti nobis satisfactione respondebit, nec hujusmodi nos damnis in posterum lacessere destiterit, protestatum imprimis coram Deo, deinde coram principibus nostris et toto regno his nostris litteris esse volumus, nostri hujus dissidii, si forte fortuna inciderit, non nostram sed vestrae magnificae dominationis culpam fore. Haec autem scripsimus ad vestram magnificam dominationem, quod fatemur, et irato et dolenti animo, nec tamen sine spe, quod sit amicitiae nostrae in omnem eventum rationem habitura. Quare tentaturi an sit huic spei nostrae responsura, provisori nostro mandavimus, ut ad vestram magnificam dominationem hominem suum cum his litteris nostris et cum caesareo mandato mittat, quod simul cum litteris nostris quando intelliget, rogamus, gerat sese sic nobiscum, ut neque hac nostra spe, nec vestra frustremur amicitia. Deus eandem conservet sanam et felicem. Viennae, XII. Novembris. 1558.

CIII.

Verancsics Antalnak Torda Zsigmond.

nov. 13. Reverendissime domine patrone et fautor observandissime. Salutem et devinctissimi pectoris obsequia. Fuit heri populus in curiam convocatus; ibi cum dominus judex inter caetera de adventu dominationis vestrae reverendissimae retulisset, secuta est adprobatio omnium plena favoris: Excipiendum libenter talem patronum, amanter habendum, honorem non tantum reverendissimae dominationi vestrae sed etiam servitoribus tribuendum; unum tantum a dominatione vestra reverendissima postulari atque intelligi oportere communitas censuit: Quatenus reverendissima dominatio vestra hic nec doctrinam impediet, nec turbabit ministerium, neque in ordine, ritibus atque caeremoniis ecclesiasticis aliquam mutationem molietur, seque huic rei non admiscebit. Fecimus nos civibus de dominatione vestra reverendissima spem bonam, non sine praedicatione ejus ingenii, sapientiae, virtutis, humanitatis. Tamen quia communitas certior fieri optat, uno brevi epistolio ad judicem, scrupulum hunc reverendissima dominatio vestra facile tollet, et civium animos sibi devinciet. Ego dominationem vestram reverendissimam cupidus exspecto. Quam Deus immortalis incolumem et felicem hic statuat. Albertus quoque Sylva adest, qui se in commoditatibus hospitii disponendi haud segnem praestitit. Eperies 13. die Novembris anno Domini 1558. Reverendissimae dominationis vestrae servitor Sigismundus Torda.

CIV.

Pesti Ferenczuek Verancsics Antal.

Ad dominum Franciscum Pesthiensem.

Quod proxime ad nos egregia dominatio vestra 1558 nov. 13.
de rebus novis partium istarum scripsit, gratias habemus, easque sane permagnas, quia nisi ipsa interdum ad nos litteras daret, saepenumero integri etiam menses nobis praeterirent, quod nihil sciremus de nostris finibus, quo nimirum in statu rerum esent, quidve illis aut commodorum decessisset, aut incommodorum accessisset, quemadmodum de clade quoque Turcis a praesidio primum vestro Cassoviensi et domino Georgio Bebeek, deinde etiam ab nostro Agriensi diebus superioribus illata videmus accidisse, quum et dominatio vestra, et omnes alii, qui huc dedere de successu ejus litteras, ita paucis eam descripserunt, ut vix attigerint, idque tam obiter et prope cursim, quam de re aliqua perpusilla, fitque hinc, ut cognitio ejus etiam nunc desideretur ab omnibus, quam amplissimam et memorabilem latissime apud nos fama vulgavit, extulitque etiam ad exteros. Nec id immerito quidem, quum vix armatorum nostrorum mille quingenti supra tria millia hostium ea caede affecerunt, ut paulo pluribus quam mille dicatur contigisse effugium. Factura itaque nobis est dominatio vestra rem longe gratissimam, si hujus tantae victoriae totam

summam ac seriem primo quoque tempore ad nos exarabit, sed id tamen ea ubertate atque eo ordine, ut ei nihil desit, sua potissimum historia, hoc est, veritas ipsa. Quia dicunt hic, Agrienses nostros sero erupisse, ac jam fugientibus hostibus supervenisse. Cassoviensem ducem dominum Joannem Pethew et dominum Emericum Telekessy mature quidem eos invasisse et pugnasse cum illis plusculum, sed post primum impetum terga mox dedisse, et soli domino Georgio Bebeek successisse feliciter; cum scilicet dum Cassovienses fugarentur, Agrienses nihil de conflictu scirent, summo et suo animo et robore suorum in hostium latus incurrisse, non casu, sed consilio, eoque demum incursu ejus fuisse factum, ut perfractis ac territis hostium turmis, Cassoviensium quoque inhibuerit fugam, remque ex hoc totam desisse in victoriam, quam adeo magnam fuisse hic habemus persuasum, ut sit affirmatum, etiam ab inermibus rusticis, continuum triduum insequens, veluti pecora palatos, per montium ac sylvarum invia oberrantes, sine omni negotio captos et interfectos esse complures. Quae quoniam alii hoc modo apud nos referunt, alii vero alio, nec hactenus vel duo reperti sunt, qui eadem referre potuissent, adhuc desideramus veritatem, et haud dubie pergratum multis fecerit quisquis ille fuerit, qui rem omnem ad amussim huc perscribet. Quem laborem si dominatio vestra tam multorum gratia subierit, nostra autem potissimum, qui tam sedulo eam rogamus: et de solita sua humanitate ac diligentia laudabitur, et par a nobis sumet officium, immo etiam multiplex, quia toties quoties uti nobis et nostris rebus voluerit. De Melchioris Balassae ac Joannis Terek novis conatibus, non est quod attingamus pluribus, sed agant,

conentur tumultuenturque ut velint, sic enim ruunt instabiles, leves ac praecipites. Et nec ipsi quoque fata sua effugient, quae tantoper urgent, nec post eos ille etiam, quorum causa et Transsylvani et tam multi alii tantum insanire sapientiam esse putaverunt. Sed o bellam sapientiam, lepida illorum consilia, qui affectarunt regimen valacchicum in Transsylvania. En jam quod optarunt, habent, et qui fuere authores, probe ejus principia caedibus suis dedicarunt. Brevi profecto leges easdem experturi caeteri. Et ne ipsam quoque Joannis prolem ac posteritatem immunem ab his victimis futuram ad imitationem Draculorum, Myrcieorum, Petrascorum, et idgenus plurium Valacchiae stultissimorum regulorum, qui omnes de Turcae fide confisi, ejus perfidia indies extinguuntur. Nec est dubitandum caeteros quoque Christianos, quicunque amicitias Turcae ambiunt, foederibus credunt, et spem in ejus ope ponunt, similes fructus relaturos. Atque utinam ii nostri miseri, vel his sese initiis colligerent et mature sibi providerent, ne extremis intercipiantur. Nova hinc, quae scribamus, nunc non habemus aliud, quam quod magna spes nunciatur de futura pace inter Philippum regem, et Gallum. Nec alia causa conclusionem ejus differri, quam quod longiorem et firmiorem facere laborent, quo demum respublica christiana, vel sub hoc Turcae ad annum insequentem apparatu conquiesceret a bellis et dissidiis intestinis. Caeterum, quod suam curam etiam dominatio vestra adhibuerit de commodo nobis istic hospitio disponendo, fecit rem nobis gratissimam et relatione gratiarum dignissimam, quarum nos quoque curam non intermittemus, ut per occasiones ei non ingrati simus. Diem tamen nostri hinc

discessus nec adhuc scire possumus. Camera enim tenet nos. Cujus quidem retinacula ut ad hoc tempus ignoravimus, ita nunc nihil aeque difficile putamus quam cum camera negotium habere. Brevi tamen speramus, quod rem quoque nostram absolvet; idque ubi primum fuerimus assequuti, postero die ad vos ingrediemur iter. Et dominatio vestra egregia bene ac feliciter valeat Viennae 13. Novembris. 1558.

CV.

Verancsics Antalnak Rapicius.

Reverendissimo atque amplissimo praesuli domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi, domino suo observandissimo.

14. Quod tibi isthinc proficiscens me facturum pollicitus sum, ut ad te scriberem, si quid forte haberem, quod scriptione magnopere dignum judicarem, id nunc oblata opportunitate faciendum mihi existimavi, non tam quidem, ut scires ea, quae hic proxime sequuta sunt, quam ut hinc intelligeres, Rapicium tuum, per multas provincias ultro citroque cursitantem, tui memoriam perpetuo secum circumferre. Neque nempe ullo unquam tempore fieri posse puto, ut humanitatis, ut amoris illius erga me tui obliviscar, qui, quoniam ex naturae tuae bonitate potius, quam ex meis ullis meritis ortus est, eo mihi majorem necessitatem imponit, ut vicissim tibi summam meam erga te observan-

tiam ac cultum illustri aliquo argumento testatum relinquam. Atque utinam aliquando, vir amplissime, id mihi liceat facere per occasionem et fortunas meas; non enim dubito quin voluntatis ac animi mei sensum perspicere liquido posses. Pragam venimus V. Id. Novembr. usi itinere satis prospero, tametsi gravitas coeli et aëris inclementia aliquantulum nobis molestiae attulerit. Tanta nempe vis nebulae totos hosce septem dies, quibus iter fecimus, fuit, ut diu alter alterum internoscere non posset. Caesari proprius ad urbem accedenti, in aperta porrectaque planitie itum est obviam a Ferdinando filio cum quatuor mille expeditis equitibus bohemis, quos ille ita instruxerat, ut simulacrum certaminis coram caesare inituri viderentur. Is ubi patrem intra teli jactum conspicatur, e vestigio a suis divulsus citato equo illum excipit, amplexaturque; prae gaudio lachrimae obortae, nusquam tantus ullo in principe ardor animi visus, adeo in fronte, in oculis nescio quid divinum praeseferebat. quod sola cogitatione comprehendi potest. Nec mora ab hipposclopistis innumera glandium seges honoris causa displosa, nihil ab iis praetermissum quod ad plenam cumulatamque laetitiam pertineret. Ferdinandus ubi caesarem et Carolum archiducem excepisset, ad suos statim revertitur, jubet illos sensim movere. Ibi caesar aliquamdiu moratus spectabat equitum procedentium ordinem; erant autem ii ita dispositi, ut quini incederent. Ita fiebat ut totus numerus in gyrum solutus universam fere planitiem, quae ad quinque millia passuum quaquaversum patebat, occuparet. Hinc progressus caesar, ab aliquot rusticorum peditum cohortibus excipitur; quem ubi conspicerent praetereuntem, momento quibusdam flagellis, quibus erat summo

clava robustior pendula (iis autem passim utuntur rustici ad excutiendas frumentorum spicas), tantos strepitus excitarunt, uti omnes in risum solverentur. Ajunt Bohemos olim hoc armorum genere in bello usos. Crediderim ego non alios fuisse apud Virgilium caestus, ubi Entelli et Daretis monomachiam eleganter depingit. Caesar captus novae rei spectaculo paulisper substitit, accessitque propius, ut rem ipsam paulo attentius contemplaretur. Astabant e regione hujus urbis senatores et cives, eodem omnes cultu ornati, ex quibus, qui erat aetate grandior, habita de more oratione, caesarem allocutus est. Paulo inferius stabat altera peditum instructa acies, a quibus continenter ejaculatum. Idem omnibus cultus, eadem vestis fuit. Urbem ingresso caesari universus clerus obviam processit; erat undique effusa omnis sexus aetas, parvuli, juvenes, senes, pendere ex domibus, ex pergulis, ex protectis, ex suggrundis; vias, compita, diverticula complere, ut communem patriae patrem conspicerent ac salutarent. Urbis plerique anguli singulas Musas servabant. Vidimus Calliopen, Uraniam, Polyhymniam, et reliquas, amictu candido, rubea zona succinctas, cum innumera puerorum et promiscui sexus multitudine. Hi pueri cum olim ad senectutem pervenerint, memores procul dubio eorum omnium, quae adolescentuli viderunt, non sine voluptate filiis suis narrabunt, venisse aliquando in urbem Ferdinandum caesarem tanto populorum omnium atque adeo totius orbis applausu, ut nihil unquam post hominum memoriam admirabilius factum sit. Sed haec levia pro iis, quae jam audies. Ubi in forum venimus, ibi erat videre non armatos, non togatos homines, sed integram puellarum ac virginum

chiliadem. Dii boni! qua forma! quo cultu! Nullum mea quidem sententia inter tot spectacula neque aliud plausibilius, neque honorificentius hoc uno fuit. Laudarunt omnes archiducis Ferdinandi tempestivum et sagax ingenium, qui novum hoc pompae genus praeter omnium opinionem excogitaverit. Quod ipsum profecto, quo praeclarius fuit, eo est Austriacis dedecorosius, utpote quos opportebat in excipiendo caesare omnes alios anteire; sed danda est iis tamen in ea re venia, qui nimirum in agris et vineis totos dies sunt occupati. Sed omnino, extra jocum, fuit ea res tam admirabilis omnibus visa, ut non dubitem futurum aliquem, qui illa omnia aliquando publicis litterarum monumentis consignet ad memoriam hominum sempiternam. Hinc ad pontem ventum est, quem in locum universa Judaeorum faex gregatim convenerat, ut caesarem umbella pensili exceptum in minorem urbem deducerent. Ibi variae cantillantium Hebraeorum voces auditae; ad quas pene omnes obsurduimus. Erat inter illos qui legem Mosis populo ostentaret; sed praeterieram fere eos, qui sunt ex instituto nominis Jhesu. Stabat pro coenobii foribus, hoc est, in ipso vestibulo hominis loricati statua, ita efficta ut videri Mars aliquis posset. Quid sibi ea res voluerit, nondum mihi exploratum est. Habita ab iis, ut audio, apposita oratio. Pons vero ipse, qui operosissime tot arcuum mole utramque urbis ripam jungit, totus armatorum hominum statione complebatur. Videre mihi videbar florentem aliquam rempublicam, in qua Coclites, Sertorii et Curtii revixissent; sed audi adhuc majora. Superato ponte dum pleno passu ad arcem contendimus, in ipso fere ascensu, offendimus quingentas matronas stantes, ex iis, quae jam virum

luxerunt, omnes pullatas, candida ex humeris taenia defluente. Quid hic commemorem totidem senes, veneranda canitie conspicuos, qui sub vespertino crepusculo, accensis funalibus, caesarem exspectabant. Jam fere ad regiam arcem perveneramus, cum ecce in ipso statim limine a Sileno excipimur. Is festa fronde caput revinctus, ac ridenti similis, dextra manu liquorem ex uvarum racemis exprimebat, cum hoc lemmate: Sileni liquor non siletsed loquitur. Vidimus etiam ex siphunculis, quos alii salientes vocant, vinum continenter effluere, idque nullo cratere seu pelvi susceptum humi quasi rivulos quosdam efficere; quod laetitiae causa a Ferdinando archiduce institutum fuit. Porro in ipso arcis ingressu exstructa erat veteri more porta quaedam convexa, sive arcus prodigiosae magnitudinis, cujusmodi olim romanis imperatoribus ex triumphatis hostibus erigi solebat, hoc in ejus suprema basi praefixo carmine: Imperio, Fernande, novis et honoribus aucte, huc ades auctus non minus imperium. Arcum ipsum, quem multae inscriptiones, picturae ac emblemata ornabant, duae insignes surrectae pilae seu columnae structiles, ab utroque latere claudebant; in quibus eximiae magnitudinis statuae, altera Samsonis, altera Gedeonis, summo artificio ad vivum effictae, non sine spectantium admiratione visebantur. Hinc usque ad regiam ipsam principis cuncta auro micantia, et magnificis instructa artificiis cernebantur, omnes porticus ambulatoriae et columnarum epistilia tinnulis, bracteolis et perpetua fronde vestiebantur; trophaea subinde varia aureis indicabant litteris. Erant passim fornices triumphales operosissime exstructi, variis statuis ac imaginibus exornati; quae omnia faciebant

ad felicissimum ipsius caesaris ingressum. Haud ita post gigantomachia extra urbem edita igne artificioso. Vidisses informes gigantes loco moveri, incedere, montes montibus addere, mox Jovis fulmine absumptos inconsultae temeritatis suae poenas dedisse. Obstupuerant animi omnium inusitatae rei miraculo. Nimirum hoc tempore nihil non ars et ingenium hominis aemulatur. Sunt qui putent non otiosam fuisse hanc fabulam, sed ea velut admonitos factiosos homines, ne temere aliquando in principem insolescerent. Eâ ipsa die tot in altum ejaculati ignes, tot audita bombardarum tonitrua, uti aedes mirabiliter concuterentur; dixisses tonare Jovem, crepitare auras et rauco murmure coelum compleri. Quid multis? Nullus fuit in urbe locus, qui non argumentum aliquod laetitiae suae prae se ferret. Ipsi, mehercule, muri, ipsae urbis viae prae gaudio exiluere. Habes, praesul amplissime, pompam Pragensem non descriptam a me, sed quasi pennicillo delineatam. Quod feci non solum, ut et tu laetitiae hujus particeps esses, verum etiam, ut exiguo hoc argumento constantem ac perpetuam meam erga te observantiam, quam scio alioqui tibi antea esse exploratissimam, cognitam ac perspectam haberes.

Comitia III. id. Novembris hic primum haberi coepta. Ea die more majorum decreta fuit supplicatio, ut bene feliciterque eveniret, quod consilium reipublicae causa a caesare susciperetur. Existimo caesarem hinc propediem Augustam discessurum. Hoc inde colligo, quod praemissi jam sint designatores aedium. Nos, quod unum possumus, rogamus Deum, uti omnia caesaris consilia reipublicae christianae fausta ac salutaria esse velit.

Haec cum scriberem, allatum fuit tristissimum de

Caroli V. fortissimi, sapientissimique imperatoris morte nuncium; universa caesaris aula in luctu et squalore versatur. Hujus nunquam satis laudati principis interitu alterum christianitati oculum ereptum esse omnes fatentur. Sed haec orbis ipse viderit. Quod reliquum est, praesul amplissime, velim, tibi omnia de me cumulatissime et audacter polliceare. Nam etsi opes meae infirmae sunt et multa tua erga me officia exstant, enitar tamen, ut observantiae et venerationis meae studiis intelligas, quanti faciam humanitatem tuam. Bene vale et Rapicium inter tuos adscribito clientulos, observantia cultu et studio cessurum nemini. Pragae postridie id. Novembris. anno 1558. Tuae reverendissimae atque amplissimae dominationis deditissimus servitor. A. Rapicius D.

CVI.

Maximilián cseh királynak Verancsics Antal.

Sacra majestas regia, domine domine mihi clementissime.

10v.20. Quoniam milites Agrienses propter stipendiorum suorum insolutiones tam diuturnas arma sua saepius oppignorando, coacti, magna pars eorum inermes remanserunt quod eadem ad postremum redimere nequiverunt. Prospecturus itaque, ut ex inermibus faciam iterum armatos, oblatus mihi est mercator qui-

dam, civis Viennensis, vir bonus et commode dives Johannes Lauser, qui diversi generis arma octingentorum vel mille circiter florenorum Agriam est meo nomine conducturus. Propterea vestrae sacrae majestati supplico, dignetur id mihi et dicto mercatori facultatis et gratiae suae regiae gratiose concedere, et mandatum superinde jubere fieri. Polliceor autem eo me omnes, qui eadem arma coëmere voluerint, edicto inhibiturum, ne quid vel minimum eorum quopiam in Turciam efferatur; et quoscunque deprehendero, impunitos gravissima poena non relinquam. Viennae. 20. Novembris 1558.

CVII.

Nádasdy Tamás nádornak Verancsics Antal.

Ad magnificum dominum comitem palatinum.

Mitto dominationi vestrae magnificae descriptio- 1558. nov. 24.
nem apparatus, quo serenissimus archidux Ferdinandus cum Bohemis suis die VIII. Novembris majestatem caesaream excepit Pragae. Nec aliud novi post proximas litteras, quas ad eam dedi, Viennae etiam consequutum, nisi casus quidam Giulensium non exigui periculi, si in tumultum quempiam reciderit. Veniens enim huc dominus Gaspar Magochy praefectus ejus arcis militem quendam suum, virum, ut ajunt, fortem, et a fide summe commenda-

tum, arci illi cum plena potestate totum etiam illud praesidium regendi praefecerat, dum redisset ipse. Hunc Franciscus quidam Horwath, miles similiter Giulensis occultus Gasparis, nec omnino ignotus aemulus, ascita sibi quorundam conjuratione post discessum ejus occidit, idque, ut allatum est, sicario more, quia ex insidiis tamquam fortuito. Deus bone, quanto gradu, quam ingeniose atque sollicite fata gentis atque regni nostri properent et ad extrema praecipitent, vestraque magnifica dominatio videat quo in periculo locus ille versetur. Gaspar Magochy tam insperato casu hic perculsus, discruciatur incredibiliter, nec adhuc tamen expeditur ejus negotium. Praefecturam ulteriorem arcis ejus detrectat. Ii eum non exaudiunt. Fit utrinque magna sollicitatio. A Gaspare, ut illi praefectura abrogetur; ab iis, ut in ea idem diutius perseveret; sed ad hanc usque diem jam ab VIII. nec praesente pecunia, nec munificis praemiorum pollicitis ac summa etiam laudatione meritorum ad id est adductus. Et sic res celeritatis et necessitatis plusquam maximae, maximo cum discrimine Giulae adhuc hunc in modum extrahitur. Serenissimus autem Rex Bohemorum quoniam hinc omnino die crastina cogitur recedere, nec in cursu cum Gaspare Magochy componi potest, quaeso, videat iterum atque iterum, quae confusio, quanti tumultus, ac periculi metus. Atque ego habens Giulam magni et opportunissimi cujusdam propugnaculi, et antemuralis Agriensis loco, qua sollicitudine, quo angore aestuem, nulla sane cogitatione, quamvis magna atque intensa, complecti, nedum oratione exponere possum, si quid eidem Giulae acciderit adversi. De quo metu non praetermisi proximo consilio justa fere declamatione disserere, sed quonam cum

lectu biduo cognoscemus, quum jam majestas regia oficiscetur, et consilii bellici deliberatio prodibit. terim tamen Deum optimum maximum oremus, ut ospectum velit Giulae. Ea verum, si nobis adime-r, tot subito per Tibisci oram et per illos terrarum ictus, quibus circumvallatur Agria, imponentur stella et praesidia, ut ego ante etiam expeditio-m summi tyranni turcici judicem Agriae esse me-ndum, vel exaudiar ipse vel obaudiar. Mira enim jam n solum nostros finitimos, sed totam etiam gentem, ad me quotidie fere perlatae clamitent et testen-litterae, pervasit desperatio, et ex desperatione nsternatio, quod tam frigide cura sit incepta haberi strorum finium. Cui malo dominatio vestra magni-i, si est aliqua ratio, succurrat, oro, ne sic vel sal-i nos una secum destituamur qui tenemus fines. um alioqui omnium etiam communiter video res ssimo esse statu, sive ad Croatiam respiciam, e ad superiores regni partes. Sed Deus can-n conservet sanam et felicem. Viennae 24. No-mbris 1558.

Post scripta. Supervenit Praga, Bohemos conven-n absolvisse, eosque inter caetera duo scitu nostro di-a caesareae majestati spopondisse. Collaturos ei se annos IIII ex quolibet millenario cujusque bono-n stabilium talleros XII, plures videlicet dupplo, am comitiis prioribus; et quod expeditioni contra rcam futurae viritim omnes intererunt, si illi vel ma-tas sua caesarea vel quispiam e serenissimis filiis s praefuerit. Heri Mariae quoque reginae obitum ulere tabellarii, quam non ita pridem dixerat rex Bo-norum in Flandriam redituram. Recte bonus impera-· et de duabus sororibus quae secum totam ferme vi-

tam exegerant, constituit eas e Flandria educendi nimirum*) ... et quae illum tanto tempore summa pietate coluerant, altera bellicis etiam studiis juvera in coelum quoque comitarentur ... fruiturae.

CVIII.

Strada Jakabnak Verancsics Antal.

Antonius Verancius episcopus Agriensis praeclaro viro et antiquitatis studioso Jacobo Stradae S. D.

Vide, Strada, quanti te faciam, si tantum diligam, ut, quod homini non imprudenti tentare sit periculum, adire tamen tua causa nec verear nec recusem. Haud ignorato interim, sed eodem quod tibi majus quoddam videri debebit, et cognito et perspecto periculo. Ais te intellexisse, quod Hieronymi Donzellini civis veneti, arcium liberalium et medicinae professoris doctissimi legissem quandam declamationem, quam est in senatu reipublicae suae, quum ab exilio fuerit restitutus, de quorundam aemulorum suorum criminationibus habiturus. Hortaris simul atque impensius efflagitas, ut ad te perscriberem, quid de hac ipsa declamatione sentirem. Duobus a te aggredior, Strada, insperato et imparatus. Insperato, quod quum ea declamatio tradita mihi sit ad legendum secreto et sub interdicto Arpocratis, vim equidem patior, Strada, et ad peccandum adigor. Impara-

*) Olvashatlan szó.

tus vero, quod et arduam et difficilem mihi provinciam imponis, qui nihil unquam in humanis rebus molestius ago, sic et natura et disciplina institutus sum, quam judicem et censeam aliena; multoque et facilius et securius isti petitioni tuae poteram oretenus satisfacere, quam epistola, quum ejusmodi censurae ac judicia non omnino tuta, non libera esse soleant, quae de iis haberi contingat aliquando, quos nondum vendicavere sibi fata, nec adhuc ad studiorum suorum evasere metam, quibus ut quaelibet aetas, quilibet annus consueverit aliquid addicere, ita et amplificationes nostras, quae a judicio procedunt, luculentiores erga talium virorum virtutes esse conveniat. Te tamen, amantissime Strada, quid demum hoc officio morer, cui singulariter gratificari cupiam, nec que multis amicis aeque ac tibi soli, adeo me tibi tua humanitate tuaque comitate vendicasti. Quare quoniam de eadem declamatione non a te solum, sed et ab aliis non vulgaribus hominibus fieri mentionem audivi, arbitror cam ex meo quoque silentio in tuum posse transire, sed hoc ita tamen, ut meminerimus esse ultimi, in quos culpae hujusmodi reprehensio torqueatur, si author sese a nobis offensum iri existimasset; cui quidem ego, vel ab eadem declamatione lecta tantum coeperim bene velle, studereque ejus famae et favere virtuti, ut persuasum habere possit, me jam sibi esse conjunctissimum. Verum, ut jam, quod jubes, aggrediar, invenio declamationem Donzellini primum doctam, latinam, artificiosam, gravem, deinde sic distinctam, perspicuam, ornatam, numerosam, ut ubique ab obscura, a sordida, a tumida, a peregrinaque et inusitata dictione aliena, mira et vi et jucunditate lectorem ducat ac delectet simul. Porro maxime

aptum rei argumentum de qua agit, sortitus Donzellinus, tanto illud decore ac judicio tractat, ut diligentissime actioni suae, tanquam forensi, intentus, sic diligentiam et conatus operosiores tegit ac vitat, ut re vera optimum deceat oratorem, qui vel in senatu coram patribus, vel in populo coram quiritibus dicturus prodit. Nulla enim in parte a rhetorum regula vel unguem latum abscedens, et humilia et magnifica moderate prosequens, ubique pro re ac loco, ubi copia, ubi brevitate usus, hic sensus verbis, illic verba pensando sensibus, ne orationem suam alio loco jejunam linqueret, alio ubertatem locupletaret, sed suam cuique parti copiam necessariam apponeret: ita peraffabre duos quospiam viros martiales, rei militaris peritissimos visus est mihi imitari, qui descendentes ad depugnandum in arenam, mutuo (de armorum nullo condicto inter sese transacto, quibus essent pugnaturi,) eadem arma nec producunt simul omnia, nec uno tempore, dimicationis consilium et rationem occultantes, sed successive, alia atque alia rapiendo, quo quilibet eorum varietate armorum ignorata, sollicitum teneat alterum et novitate insperata celerius ad deditionem impellat. Quo pacto Donzellinus quoque et de patre suo, et de sese dicens tam varie, opportune, caute, summa insuper et modestia et verecundia utriusque virtutem, utriusque merita, suam etiam innocentiam ab objectis criminibus tractat, ut facile cuivis constitisse putem, hac eum declamatione non gloriae memoriaeque nominis sui propagandae ad posteros studium quaesivisse, et eruditionis suae iconem exponere voluisse, sed id solum contendisse, ut innocentia sua et integritate vitae declarata, aemulorum calumnias procul ab se summoveret.

Adde huc, quod etsi ex ipsa causa facile pateat, iratum esse criminatoribus suis Donzellinum, quum in exponenda innocentiae suae apologia nihil diligentiae praetermittat, id tamen facit sine vehementia et incitatione spiritus, tanquam Atheniensium lege teneretur et in Areopago esset dicturus, nusquam (ut irati solent) aut inanes sonos voci, aut animi motibus fomenta vestigatus. Quod sane magno eum judicio fecisse arbitror, quum in senatu tantae majestatis ac magnitudinis verba facturus, idem assequi leniter, modesteque studuit, quod alii turbulenter solent. In quo duorum quorumpiam navigantium agnosco similitudinem, quorum alter mitibus zephyris, alter furentibus austris decurso et superato freto siculo, incolumes quidem ambo eundem portum attigere, isque celerius, ille serius, verum ut hic dubia, molesta et plena periculi, sic ille certa, secura, svavi facilique navigatione, et,ut Flaccus ait, Lalagen canendo. Quae omnia, urbanissime Strada, qui praestare potuit, eum sane magnum,doctum, et non minus eloquentem, quam potentem et perfectum prope oratorem habendum esse judicem. Quumque isthaec in Donzellino nostro inesse magno cumulo,quantum pro captu meo, videar mihi perspicere, arbitror virum et in compositione praestanti esse ingenio, judicio, doctrina, et in dicendo facundia, ubertate, dignitateque esse laudandum. Nam quum ad haec et suo ubique gradiatur pede, et summa facilitate dictionis fluat, mira prudentia et verba et sensus ad persuadendum defensionis causae accommodando, eum in ea ipsa declamatione nitorem comperi, quem nativum vocitamus a simplicitate sua, quamquam ea ingenua, perita, et grata non aliter commendanda, quam odores quorumlibet florum antequam cum exoticis

misceantur. Et sperarem profecto fieri haec multo cumulatiora, si authorem ipsum audiremus sua scripta recitantem. Quum in pronunciatione oratoris totam rhetores dicant vim orationis consistere, quae praesertim in actionem proditura sit, ut et haec, non autem ut describatur et legatur tantum. Mire enim affiicit et in aspectu vox viva, oris benignitas, vultus gratia, et in eloquendo gravitas, authoritas, venustas, comitas. Quid quaeris de inventione, et tota ipsius declamationis propositione, quod fortasse initio attigisse debueram? Ingeniosa sane est, et ad movendum sane accommoda. Ut enim in causis forensibus et nunc mos apud nos est, et olim fuerat apud veteres, in judicium deducere et ostentare judicibus uxores, liberos, et omnem eorum reliquam cognationem, eos ad commiserationem commovendo: sic in parte aliqua video nostrum fecisse Donzellinum, diversa tamen ratione ac modo meliore; nimirum quia non sine judicio. Nam a paterna probitate, a benemeritis, et a fide in rempublicam orsus, sic demum in suam causam succedit, tamque eam scite et prudenter videtur prosequi, ut probaturum evidentissime non dubitem se ex bono patre nonnisi optimum filium fuisse procreatum. Qua in re imitatus Socratem, qui suam quandam apologiam apud Athenienses habiturus, vulgare exemplum aspernatus, nec uxorem, nec liberos, nec reliquam cognationem suam traxit in forum, id muliercularum dicens esse levitatis et ineptiarum, quae et legum rigoris et judicum sanctitatis ignarae, plus aerumnarum suarum apud eos aspectum posse arbitrentur, quam turis et justiciae aequitatem. Duo, mea quidem conjectura, non casu sed consilio magnifice perfecit Donzellinus. Omnibus enim suis aetatibus excussis suae-

que totius vitae reddita ratione, et innocentiam suam omni culpa vacare affatim demonstrat, et conscriptos reipublicae suae patres mirifice commendat, eos non ex artis adjectionibus, quae causis adminicula esse solent, sed ex sola ac nuda rei veritate innuens judicare consuesse, qui et justi et sapientes forent. Sed hic jam objurgas fere me, et fortasse etiam obclamas, sat esse laudum in brevem declamationem; si quid addis, expedi. Pareo, et id quidem ego abs te reprehensionis aequo animo fero. Nec eo inficias, plura me perstrinxisse quam delicatae quorundam aures admittere poterunt; quod hominum genus opinionibus suis relinquamus, velim. Sic enim omnes natura sumus, ut quae mihi maxime placeant, ea maxime aliis, in palatuum morem displiceant, quibus non aeque idem sapiat cibus, quamquam sit ille omni ex parte perfectissime conditus et coctus. Nostra isthaec est imperfectio. Hoc a nobis malum est, ut aranearum malignitas, quae et ex rosis et ex violis venena sugit. Ajes, etiam ex cicuta mella reponunt. Verum ut ad institutum redeam, unum adhuc adjicio: quod declamationi nostri Donzellini si laudum reliquarum magna etiam pars deesset, eo sane solo argumento, sic enim ipse censeo, illustris et satis laudata esse posset, quo tam ardens desiderium suum in patriam redeundi excusat, ne in hac etiam memoratae suae declamationis parte non adhibuisset judicium. Quid enim magis et naturale est, et humanum esse debeat, quam amare patriam et in ea perpetuo cupere commorari? suntque nobis exemplo complures nationes, quae apud exteros et raro commode, et quaedam nunquam etiam assuescunt. Quot praeterea ex novo, ut vocamus, orbe in nostrum educti sunt mor-

tales, qui diu supervixerint? contabescere eos sane in dies ac brevissimo tempore deficere, caeterum, si reducantur, vel gravissima etiam aegritudine correpti mox vel ipsam ubi nativi soli auram attigere, confirmari et convalescere feruntur; quod in nostris quoque hominibus crebro videre licet. Ac ne in feris quoque, et in caeteris omnibus aliis fere animantibus, loquendo nunc de sylvestribus, desunt similia exempla nobis. Quae tametsi alia sylvas, alia montana, alia planities, et paludes alia latissime pervagentur, ubi tamen foetare, conquiescere, hyemes, noctesque et extrema vitae exigere tempus suaserit, quibus in locis orta altaque fuerunt, ad ea sane se semper peculiariter et avidissime conferunt. Unde et in planis cervos, in sylvis apros, in praeruptis cautibus capreas venamur, agnoscentibus et piscibus sua maria, et repetentibus. Verum ille philosophus naturam virtuti subjicere conatus, et humanitatem ipsam suis solatiis spoliare tentavit, et vagos etiam homines visus est laude dignos esse voluisse, ut eam sententiam primus protulisset: omne solum forti patriam esse. Novit hoc quidem probe Donzellinus, nec ignoravit teneri se humanis necessitatibus et parendum esse philosophiae legibus. Ideo excusavit hoc ipsum suum desiderium, et id quidem tam ex arte, apte ac diserte, quam et loco suo, et cum decore summo. Quo fit, ut eum et ego habeam excusatissimum, et dignissimum putem qui ab ea nobilissima republica et a suis sapientissimis patribus recipiatur in patriam. Deus bone! an vituperandi sint illi cives et premendi exilio, qui ament patriam, virtute ornent, integritate commendent, omnesque caeteras nationes ubi summis laudibus extulere, suam praeferant omnibus, et pro ejus

incolumitate exules etiam existentes periclitari non recusent, tanto inquam amore illam complectantur, tantum ei sese debere et fateantur et testentur. Cujus amoris vim, suavissime Strada, vel in ipsis quibusdam volucribus peregrinis mirificam intueri facile possumus, quae quum apud nos, tot terrarum tractus emetitae, exigant aestiva, eo haud gravate regrediuntur hybernaturae, unde advolaverant, nullo labore quamvis longinquo pensi habito; et licet in teterrimis aliae paludibus, in aridissimis arenis aliae, hae in nemoribus abstrusissimis, illae in obscurissimis caecisque montium arborumque foraminibus abditae agant, edoctae tamen a natura, nullibi se commodius ac securius per saevitiam hyemis quieturas arbitrantur, quam in solo genitali, nulla prorsus nostri, si quis sensus insit, vel amoenitate, vel fecunditate illectae permotaeque ad permanendum. Et ut etiam de homine loquar, quid pergam vetustorum tot enumerare exempla, quum jam catastrophen poscat epistola, quae certe plurima possem? Omnibus tamen praeteritis, ne sim longior, Ithacam Ulysses, homo prudens et sapiens, immo et conditione et dignitate et rerum experientia summa, totque amplissimis urbibus praetulit, quot in vita viderat, nec alia causa tot errores, tot pericula pertulit, quam ut rediret sospes in Ithacam et sepeliretur in Ithaca. At Ithacae ad Venetias, quaeso quae sit comparatio? Orbis fere universi emporium, theatrum, domicilium sunt Venetiae. Commemoro magnitudinem pulchritudinem, aedificia, instituta, politiam, omnium artium studia, et id genus sexcenta, quibus habetur celeberrima. Ulyssis Ithaca vix etiam scopuli digna nomine, nedum insulae, quantam et qualem et urbem fuisse, et esse potuisse, ipse judices.

Hoc itaque amoris, quo in patriam esse consuevimus, quicquid sit quod in nobis profecto plurimum dominatur, naturae ipsi demus, oportet, Strada, nec putemus id a ratione quoque esse alienum. Quae quidem ratio Donzellinum etiam nostrum non minus jubet iri defensum, quam summe etiam laudandum, quem patriae tam justissimo desiderio teneri, tanta charitate flagrare videamus. Sed jam ut finem faciam, duo tibi expediam; alterum de hujus ipsius declamationis titulo, alterum de expostulatione contra Zachariam Dolphinum episcopum Pharensem et apostolicum non ita pridem apud nos nuncium, virum moderatum, mihi non aliter quam de fama notum, qua etiam nunc viget in aula nostra, et honesta memoria celebratur. In quibus, nisi me judicium (ut humanum) fefellerit, reperi, quod desiderarim, tamque de utroque proferam et secure et libere, quod sentiam, quia tu jussisti, et receperis te, quicquid ipse offendero, rei personam et poenam culpae subiturum; quam etiam amanter sincere pro officio, quod amicis in omnibus rebus debeamus. Porro itaque quum declamationem hanc coepissem legere, et perlegissem jam dimidium, incidissemque in eam partem, quae de criminatione tractat aemulorum, factus sum suspensior, observans et circumspiciens, sicunde declamator erumperet, adversarios posceret, pulverem moveret, cieret pugnam, manus denique cum eis consereret, incitatusque et erectus spiritu, valide totus ad victoriam emicaret et contenderet. Quae mihi quidem certe viderentur omnino in declamationibus, partes esse debere. At ipsa tota declamatione de qua agimus, sedatissimo stylo, quamquam eo diserto, praestanti, solidoque ad calcem usque perducta, id quoque Donzellinum judicio fecisse anim-

quos honorem et innocentiam nostram tueri progredimur, et vehementia sane verborum, et vi animorum agere consuevimus. Quod quidem declamationis esse proprium, et Demosthenes ipse manifeste videtur ostendisse, et ego quid de hoc etiam senserim vides, nostrique Donzellini declamatio hoc ipsone an alio titulo uti debeat, jam id authori prudentissimo relinquamus. Sat hucusque officiosae nostrae audaciae, et finiamus reliqua. Nam quoddam simile de expostulatione quoque cujusdam incuriae Zachariae Dolfini sentio. Quae quum res privata fuerit, nec aliquid conjunctionis habuerit cum adversariis, censerem id in senatu attingere minime convenire. Homo amicus, vir summus, et antistes commendatus, si cuipiam promissae suae operae, insperato quopiam impedimento prohibitus, sat facere nequiverit, vel esto etiam, quod studio alieni animi fecerit, quod non facile crediderim, attamen nec sic quoque, cum tantis adversariis, de tanto viro, in tantae majestatis loco, et praesertim inter suos gentiles expostulandum ei esse putarem, sed privatim, ut cum privato, et de privatis rebus. Quandoquidem ipsi etiam saepenumero nosmet nobis ipsis quaecunque promittimus, aut obstantibus fatis, aut fortuna adversante, aut etiam temporum et hominum iniquitate minus praestemus, falsi nimirum, et decepti fortuitis: sic certe et Zacchariae Dolfino existimarim accidisse. Quem alioqui humanum, officiosum, et ad gratificandum omnibus bonis et virtute ornatis natum esse intelligam. Verum et hoc authorem modeste amiceque monuisse sufficiat, et tu, humanissime Strada, sume a me quodquod et tu tantopere exegeris, et ego iter Agriam parans jamjamque currum inscendens potuerim prae-

stare, magnum, siquidem ausus officium, si officium modo. Tua tamen amicitia victus, non imprudens, imprudens etiam dici tua gratia non sum veritus, ut cognosceres, quanti te faciam, quam sis mihi charus, quantam ex tuo denique tam suavi ingenio, ex tam ingenuis et perpetuo victuris studiis capio voluptatem. Restatque, ut cures, ne amicum laesisse videamur, qui si fortasse laesum iri se profitebitur, te objiciam irato. Sed non ita tamen, ut ipse quoque tua charitate, quicquid luendum poenarum fuerit tibi, non luam una tecum. Vale. Viennae IIII. Decembris 1558.

CIX.

Egy Tisztelendőnek Verancsics Antal.

Venerabilis nobis dilecte, salutem. A discessu tuo binas tuas litteras non plures accepimus; idque ex itinere, et postremas Venetiis datas die 4. Novembris proximi, ad quas tibi nunc demum respondemus, quod hactenus data opera noluimus, exspectantes, ut intelligeremus, Romam te tandem evasisse. Doluimus equidem plurimum de incommodis, quae in itinere a furibus et causa equi habueris; et si monitis nostris paruisses, quum nos etiam multa regna peregre adierimus et emensi simus itinera, certe nec furum injurias pertulisses, nec equo tuo incuria tua defuisses, quem non alia causa pedum scabiem contraxisse certum est, quam quod fessum de itinere, et foedatum lutu non curaris in hospitiis. Quod tamen ex eo factum esse putem, quod et famulo carueris, et corpore [illegible] 1558. dec. 5.

abundaris, nec assueveris quadrupedum succussationes tolerare; unde ad isthaec tua incommoda, tertio quoque (si nescires) laboras, quod non mediocriter displicuerit nobis, lento te gradu iter istud peregisse. Utcunque tamen accidit, ferimus, etiamsi nolimus, verum hortamur te diligenter, ut provinciae, quam demandavimus tibi, non desis, omnemque lapidem moveas, et experiaris rationes, ut sine dilatione et nos, et alii domini fratres nostri electi confirmentur, occurraturque mature tot ecclesiarum nostrarum defectibus, quum ad eos, de quibus per te proxime scripsimus Romam, indies non pauci alii exoriantur, quibus non prius contrairi et provideri poterit, quam conservabuntur ecclesiis sui pastores. Et ne vel illud unum reticeamus tibi, de quo hactenus neque cogitaveramus nedum audiveramus, perlatum est ad nos chrisma etiam per dioecesim nostram ad baptisandum desiderari; quare sollicite impetrandae confirmationi nostrae insistes. Ut autem veluti denuo pariam novos filios, ministros, et sacerdotes ecclesiae ac dioecesi meae, scholam institui, et praefeci illi duos bonarum artium peritos praecipue vero theologiae nostrae catholicae professores, habitoque 20 circiter (quantum pro hoc principio) juvenum delectu, qui jam matura aetate sint, et nobiscum de ecclesia romana ac suis ordinationibus sentientes, sacris etiam initiari velint. Plura id genus commodorum reponere suo loco possemus in ecclesia nostra, non tam nos soli quam etiam domini electi alii, si essemus consecrati, sed hoc praestare nec scimus nec possumus, uti deberemus et res postularet. Propterea iterum hortamur te in Domino, alioqui etiam committimus tibi, ne desis et tuo officio et huic nostro desiderio ac necessi-

tati, qua nostri imo Domini nostri greges magnopere periclitantur. De proventibus anni hujus quid quaeris? summa et vini et tritici ubique paucitas, nullibi copia, quae sperabatur, evenit. Nobis Agriae tam parce provenerunt, ut omnes commeatibus designati sunt propter futuram magni Turcae expeditionem, de qua quotidie ad nos magni rumores afferuntur, ita ut jam et finitimis arcibus cura munitionum mandata sit, et ad bellum omnes apparamur. Propterea sollicite laborandum erit tibi apud illustrissimos et reverendissimos dominos cardinales, humillime et imploranter illis supplicando pro benigna relaxatione annatae, quia non solum, quod ea non solvendo simus, sed quod vix etiam victum ex eodem episcopatu nostro sufficientem proventurum nobis speremus. Novi autem aliud ad te nihil scribere possumus, quam quod diebus proximis tria millia Turcarum irruperant in bona magnifici Georgii Bebek, depraedatique oppidum Zikzo, et circum omnia penetraverant, fere usque ad castellum Fiwged. Ibi Cassoviense praesidium, una cum Bebeko et caesareis gentibus, numero circiter 150, hostes jam redeuntes insequuti, nostris vero Agriensibus obviam profectis, sic eos habuerunt, ut vix mille quingenti vel sexcenti incolumes evaserunt, reliquis aut caesis, aut captis, et tota fere praeda recuperata, signisque aliquot hostilibus relatis. Nos cras hinc Agriam discedimus, stipendia militibus nostris daturi, et lustraturi illud confinium. Tu vero ad nos quicquid scribes, litteras ad manus reverendissimi domini Strigoniensis dabis. Vale. Viennae, 5. Decembris 1558.

CX.

Testvérének, Mihálynak Verancsics Antal.

Reverendissimo domino domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi, perpetuo comiti Hewesiensi, sacratissimae caesareae majestatis consiliario, domino semper observandissimo. Viennae ad manus reverendi domini Francisci de Andreis, supremi capellani reverendissimi domini Strigoniensis. — Verancsics kezével: Receptae Agriae 21. Februarii 1559. Salutem et felicitatem.

ec.27. Quod paulo tardius scribam ad dominationem vestram reverendissimam, quam par fuerat et ego promiseram, in causa est quod raro certi homines hinc Venetias proficiscuntur,quibus tuto litterae paulo ponderosiores credi possint; quamvis etiam negotia mihi commissa nonnihil temporis subtraxerint. Ne autem longior justo sim in hoc praeambulo et excusationis (sic), breviter rem aggredior.

Spaletum profectus egi rem diligenter et multis verbis, et auditus sum benigne et cum multa comitate; tandem sic mihi respondit: si . . . . . *) esse neminem in tota hac provincia et alia, quocum id negotii et tutius et etiam libentius confecisset . . . quominus illa autem quae illi ex . . .

Quod autem ad hortum attinet fratris Nicolai Diffinici res parum utilis magno constaret nunc a principio, ea enim summa habere possumus locum cum magnificentissima fabrica et possessione primaria, introitus quinquaginta plus minus florenorum, ut paulo postea

*) Néhány cryptograph szó, valamint alantabb is, szint pontokkal jelelve.

edisseram; nam minoris eam vendere nullo pacto vult quam ducatis quadringentis, et adhuc sine trasseto (?) et casulis illis ante portam; neque affirmaverim firmam ejus venditionem aut tutam, licet ipse asserat, nam quicquid monachus acquirit, monasterio acquirit.

De . . . videtur gregem illum mutasse sententiam, tamen data est mihi spes non vana ad dies paucos, mutatis senioribus, in eam opinionem reversuros, nam ille qui id facere constituerat, in dies exspectatur.

De . . . mirum genus hominum et intractabile. Domum vero vicinam domini Damiani conducere nequimus eo, quod est locata honestae personae, quae ad mortem ferme excludi non potest.

Quod reliquum est, parens optime valet imo fortiter, et accepit ea omnia, quae ei dominatio vestra reverendissima per me misit, etiam cumulate; unde visus est consolari et magno animo tolerare fortunae casus; videt enim non se solummodo tactum sed etiam plures in hac civitate, qui optimos filios et juvenes amiserunt. Nuper etiam soror novercae unicum filiolum amisit; mortem obiit etiam Joannes Longus alias Misich, et Franciscus Seniunich alias Ciunteta. Vina fuere paucissima, fruges carissimo pretio acquiruntur, et alia omia desunt, ita ut a longo tempore in pejori statu haec civitas non fuerit.

Caeterum nunc si unquam alias tempus et occasio est emendi stabilia, qui sumptibus abundat. Tamen inter alia nunc prostant . . . . . Ego si ibidem domum exstruere velim, uti est necesse, vix proficiam cum altera ex iis summa, cum cohorte et horto; itaque con-

-idetur in omnem eventum emere unam

ex iis, nam aut fabrica aut terra dono est ventura, et faciam, adjuvante Domino, si vel minimum a dominatione vestra reverendissima auxilii accepero, hac hieme. Pulchrum enim est et utile et necessarium omni tempore, in eo loco commodum habere secessum; et eo magis si et utilitatem adferat. Itaque hanc emptionem futuram dominatio vestra reverendissima pro certo habeat, quoniam occasiones talium rerum vix semel in centum annis occurrunt.

Equorum nunquam alias fuit major raritas ut nunc est, hoc est bonorum et nobilium, eo magis quod proclamata est in iis nostris confinibus generalis expeditio in Ungariam, licet ficte, ut deinde accepimus; accedit huc, quod zanzacchus iste Clisiensis et Hluinensis modernus epirota est natione, malus vicinus, qui non solum equos evehi prohibuit, sed et animalia et fruges, et omnia alia; tamen non desisto interrogare, ut mihi a dominatione vestra reverendissima commissum est.

Porro . . . . . dominatio vestra reverendissima . . . alias quia . . . facit autem totam summam . . .

Quare dominatio vestra reverendissima perpendat, et rescribat mihi, quid agere debeam, pertentet etiam istum, quid animi habeat.

Nunc venio ad litteras dominationis vestrae reverendissimae Octobri mense scriptas. Quae de molesta solitudine illa scribit, facile credo, nec aliter fieri potest, si ejus naturam quis perpendat; certo ego quamprimum hoc natale solum attingo et conspectu dominationis vestrae reverendissimae carere incipiam quasi orbatus ea, novo desiderio videndi incendor. Quare in hoc donec vixero, et suo et meo desiderio satisfacere decrevi, eo magis quod et res Agrienses, ut scribit, id

expetant, nam nemo aliena manu ita cibum ori admovet ut sua. Proinde mox a festo paschatis (cum divino auxilio) me in viam dabo, nam istis meis retinaculis non ita teneor, ut non libere possim parere voluntati et servire commodis dominationis vestrae reverendissimae, imo et omnium nostrum, nec ulla me deterrebunt pericula. Qui conveniret eam quotidie periclitari, me vero in tuto frui et quiescere? Si ad rem faciendam minus aptus fuerim, tamen in administranda re familiari et curandis introitibus paucis cedere vellem.

Quod autem ad expeditionem turcicam attinet, hic omnes Turcae uno ore futuram fore affirmant; tamen a quibusdam ex eis potiori loco constitutis certo intelligimus, ipsum imperatorem in delirium cecidisse, et vocasse majorem filium ad praefecturam adrianapolitanam, qui metu insidiarum venire noluit, et ob id incidisse in indignationem patris; quamobrem certo affirmatur, nunc utrumque filium esse in armis. Hae ceadem retulit etiam baylus, qui nuper hac reversus est Venetias; licet tamen quotidie fiant apparatus bellici Constantinopoli in apparentiam futurae expeditionis. Hinc Malchoch beg ferme quotidie infestat miseram Croatiam, unde nuper defecerunt ad ipsum ad 70 domus colonorum, ut quiete vivere possint, cum nemo pro eorum defensione advigilet. Tamen cum haec scriberem, advenerunt nova, bonam manum Turcorum profligatam esse in Ungaria circa Hathwan, ita ut ter mille desiderati sint. Certe ipsi Turcae retulerunt solummodo dazdaros 70 cecidisse eo praelio, filio autem cujusdam Murathi manum esse totaliter abscissam; quae res fuit nobis auditu jucundissima, futura jucundior si ita est.

Eperiesinum profecto secessum laudo, locum ut cumque tutum et civilem, inter suas decimas longe a strepitu militari et prope Agriam suam, quin puto etiam illis partibus aliquanti emolumenti futuram ibi dominationis vestrae reverendissimae mansionem, unde jam a prope impertiet salute Geloum nostrum et Zwlam, et Belsium.

De pictore pene praeterieram. Parentem ad vivam imaginem feci effigiari, quem, ut facilius deferri possit ad dominationem vestram reverendissimam, in mediocri feci tabella depingere, ex illa postea exemplum capere quilibet pictor poterit in eam quantitatem, quam voluerimus, et ibi et hic ubique.

De parricidiis Transsylvaniae quid scribam? Miseri homines tandem suo damno experiuntur Turcarum amicitias, et muliebre ac puerile imperium. Forsan hisce ostentis revertentur aliquando ad cor.

Quoniam autem praecipua cura habenda est rectae valetudinis et nullus thesaurus est pretiosior sanitate corporis, mihi esset consultum, ut mecum adducerem dominationi vestrae reverendissimae unum physicum bonum, qui semper et sano et aegroto adesset, hominem juvenem et peregrinationis cupidum. Reperi Venetiis unum satis aptum huic negotio, nostrae gentis, natione Pharensem, nomine dominum Gabrielem Leporinum, virum doctum, expertum, comem, facundum; laetum congerronem, praesentiae virilis et gravis; eo magis, quod marchionis Sfortiae medicus fuerit, credo per biennium, non ignaro nostro Domitio, a quo informari poterit facile. Dicet: cur nostratem, quorum ingenia noveris, et non potius externum? Scio et novi; tamen, et Italorum plurimi, praesertim qui in aliena regna ita excurrunt, vix prima initia

artis transgressi nil sibi non credi volunt, ut taceam de eorum hominum curiositate, deliciis, astutiis ac insatiabilitate, ut triduo ditescere cupiant. Is noster etiam fide potior ac lingua aptior ac moribus commodior; experientia autem ejus nuper in cura Joannis Ferro Venetiis mirabilis apparuit, qui cum gravissimam aegritudinem contraxisset, eo die eum in pedes sistit, quo praedixerat; fecit hoc idem in aliis non paucis et nostris ibidem, erat enim Venetiis cum suis fratribus in defensione litis cujusdam. Tamen si aliter visum fuerit dominationi vestrae reverendissimae, edoceat me, quid in hoc mihi faciendum fuerit, antequam hinc moveam.

Non mirabitur, quod res ita in hac epistola misceo; scribo enim, ut mihi quid in mentem venerit. Recordor in discessu meo cum valedicerem dominationi vestrae reverendissimae, quod mihi dixerat, ut in reditu adducerem mecum filium meum Faustum, nam et ego idem optavi, ne hic a pueritia mores hosce discolos imbiberet, et a teneris puriorem doctrinam apprehendat et linguas addiscat; est autem jam satis majusculus, itineri aptus; vivax ingenio, eleganti forma et vere nobili, non stultus aut pueriliter futilis; apparet aptum futurum majori fortunae; proinde decrevi mecum ducere, si in eodem proposito est vestra reverendissima dominatio, nam hic nobis peribit sub disciplina matris inter mores civitatis corruptissimos.

De Hieronymo Domitio quod scribet non displicet, et talem futurum spero, qualem nuper eidem descripseram, et scripsi ad eum et adhuc scribam; matri ejus et sororibus Tragurii retuli rationem rerum suarum, et quod ejus curam deponerent, esse

enim, si probus fuerit, apud parentem potius quam dominum.

Frater Vincentius Andronicus, de quo scire cupit: est naturalis filius condam pauli Andronici, filii Joannis, qui Joannes fuit frater doctoris Jacobi, paulo longius a linea familiae Tranquilli nostri; aliud de illius moribus scribere nescio, nisi quod diu studiis incubuit et semel fuit a pyratis captus.

Praeterea quae scribam pro nunc nihil est, nisi ut dominatio vestra reverendissima optime valeat una cum omnibus suis; et quia intelligo ex litteris domini Joannis Bassani futurum Posonii in diaeta per totum mensem Januarii, ex solita diligentia dignetur ad nos de prospera sua valetudine semel et iterum litteras dare, antequam longius recedat. Ipse autem juvenis Dominus Joannes Bassanus in suis ad parentem litteris miro modo se de benignitate dominationis vestrae reverendissimae erga se laudavit, ita quòd et pater et omnes cives et amici nostri jubilentur, et Deum pro incolumitate sua exorent, laudant, extollunt, venerantur. Ex Sibenico, die 27. Decembris 1558. Michaël Verancius, servitor et frater.

Maximilián cseh királynak Verancsics Antal.

Ad sacram regiam Bohemiae majestatem.

Ad XXI diem Decembris proximi Eperiessium 1559. j. n. 1.
veni, ubi quum tantummodo dominum Sigismundum Tordam et dominum Franciscum Pesthiensem, domino Telekessy in castris existente, invenissem, contuli cum eis omnia mandata, quae me a sacra vestra majestate de commeatuum ratione consequuta sunt in itinere. De quibus haud mora, facto etiam domino Telekessy certiore per litteras, intelligere cupiens, quid facto opus esset, et quonam modo vellet nos id aggredi, tractareque negotii in illius absentia, respondit, quod responsurum sciebamus. Ipse quoniam bellicis rebus occupetur, et in conspectu hostium esset, nos de his ageremus, quae e re et de mandato vestrae sacrae majestatis forent, dum idem re contra hostes bene gesta et confecta nobiscum esse posset. Nos itaque caeteri aggressi hanc curam commeatuum, urgeri fere quotidianis tum litteris tum nunciis domini Telekessy de subsidiis gentium expediendis, quas ab his comitatibus et civitatibus requisiveramus, jussuque etiam vestrae sacrae majestatis conferre debuerunt, coepti sumus, hosque totos dies ab appulsu meo summa sollicitudine et labore hac in re tritos, consumptos. Extorsimus demum tam a comitatibus Ung, Zemplin, Wywar, Zepes, Saaros et Abbawywar, quam ab his quinque civitatibus equites

centum, sexcentos vero pedites cum aliqua summa victualium. Hisque adjectis 400-tis pecunia Agriensi conscribendis, cui delectui habendo hesterna die, quod felix faustumque sit majestatibus vestris, proposui vexillum, fecique et tympanum percuti, et tam in hac civitate, quam in aliis proclamari, ut, qui stipendia vellent pedestria, convenirent,et nomina darent; futurus est non contemnendus numerus nostri exercitus. Conferent autem haedem civitates machinas quoque aliquot, vulgo falconetos nuncupatas, omnemque dabamus operam, ut et a comitatibus et a civitatibus majorem hominum numerum obtineremus,sed non potuimus, primum turcicis rumoribus, quos ad arcem Fylek congregari increbuerat, deinde quod gravarentur nimiis jam impensis et laboribus, quodque bona eorum populationibus essent evastata sic, ut plebei etiam quotidiano victu destituerentur. Viritim autem ut consurgant et prodirent, quo, necessitate vocarentur, et dominus Telekessy praecepisset, tantum abest ut morem gesserint, ut etiam audire id quidem proponi sibi non potuerint. lamentati et causati paulo ante de Turcis et de egestate dicta. Caeterum nec nobilitatem ipsam a suis sedibus et familiis, nec cives a civitatibus tuto posse abscedere.

Nescivi ego hactenus tam exacte comitatuum et civitatum harum statum et consuetudinem.Verum etsi aliqui ex illis non sint fortunis imbecilles, communiter tamen adeo videntur esse tenues, ut frustra magnae (am) cujus (quam) piam spei (spem) auxiliorum militarium in eis haberi oportere putem, magno quopiam periculo ingruente. Et praeterea quum in moribus habeant plus gemere et queri, quam mali et incommodorum patiantur, quia tamen pro minima

etiam re, quae est in reipublicae commodum conferenda, semper ad popularem deliberationem cuncta referant ac rejiciant, tempus quasi de industria extrahendo, vix quicquam cum eis opportune ac tempori concluditur. Utcumque tamen nunc potuimus, hinc ad quintum diem omnia expedita et ad locum praesto erunt, quem nos illis praefiximus.

De hostibus quod magni aliquid scribere possem, aliud non est, nisi quod sint magno numero, et populus collaticius, praeter partem quandam equitatus mercenarii, quo satis commode pollent. Peditatum habent exiguum, isque in dies dilabitur, ac in nostra castra concedit. Valacchis vero diu jam dilapsis Seculos quoque vix contineri ajunt, quod premantur omnes non solum gravi conditione temporis, sed etiam solutionum, pabuli et commeatuum penuria. Caeterum bombardis etiam omnino carere adeo validis, quibus Kisvardae obesse possent; nec ullam esse facultatem proprius muros accedendi, vimque illi aliquan inferendi, a qua metuendum foret. Circum dumtaxat oppidum, quod parvo intervallo arci subjacet, intra munitiones tumultuarias sese continent, nescimus sollicitine propinquitate nostri exercitus, an exspectatione novi cujuspiam auxilii, vel etiam erecti ad aliquam spem deditione obsessis potiundi, non usquequaque a nostris metuentes, postquam careant cataphractis, uti et ab exploratoribus nostris et ab eorum transfugis cognitum est. Verum quoniam obsessi et commeatus vel pro annua obsidione habeant, et nullis adhuc terroris seu inconstantiae significationem dedere: nihil adhuc videmus, quod timendum illis esset; immo quum proxime duos pedites emisissent, plurium hominum suppetias petitum, quod qui praesidio designati fuerant, in-

gressu ab hostium nimis celeri superventu erant prohibiti, summissi sunt eis XL pedites cum uno hostili vexillo non ita multo ante in velitari certamine adepto,quibus peditibus receptis incolumibus,et vexillo a summa arce versus hostes postera die explicito, non sine magno et dolore et pudore Melchioris Balassae, visi sunt haud dubie forti esse animo ad obsidionem tolerandam. Nosque etiam ex his judicamus, totam adhuc rem bono esse statu, modo ex parte alia Turcae non ingruerent, quos jam intelleximus a Fylek recessisse, et dominum Telekessy tuto posse urgere, et infestare Transsylvanos.

Nostri adhuc initio,Tibiscoque nondum congelato, potiti magna virtute, quamquam in flumine pugnando, et non sine aliquot militum jactura, Tibisci transitu et hostili ripa apud castellum Tarkan, ripaque eadem trecentis armatis emunita,castra in citeriore,sicut et hostes apud Kisvardam communiverant, a quibus non amplius uno milliari distant. Verum quia ulterioris ripae praesidium crebris hostium incursionibus labefactabatur, nec dominus Telekessy poterat navali trajectu tempestive suis succurrere, in castra eos traduxit, pauloque post, Tibisco etiam ipso glaciebus constrato, quod peropportune nostris cessit, hostes quoque minus libere ac secure discurrere coeperunt. Et sic utrique ad hoc tempus in munitionibus suis haerent, nec facile scitur, quonam hostes consilio.

Verum dominus Telekessy nolens casu gentes vestrae majestatis periculo objicere inconsulte, magna instantia sollicitat haec comitatuum et civitatum auxilia, ut tandem experietur fortunam, postquam cataphracti non veniunt, in quibus, post Deum, solis totam victoriam collocabat. Ac isthaec etiam auxilia

ubi ad eum pervenirent, habebit, ni fallor, ad duo millia hominum et octingentos, etsi cataphracti affuissent. Deus bone quam victoriam sperare poteramus, sed ne cum iis quoque desperamus, divino accedente auxilio, quum dominus Telekessy nihil sane optimi, vigilantissimi et perquam industrii ducis omittit muneris, quo res Dei Opt. Max. gloriae, et majestatum vestrarum honori, commodoque tot Christianorum bene et feliciter geratur.

Quantum autem obsit his finibus, quod ex eis deducti sint cataphracti neque confestim summissi sunt alii, vel ex hoc liquet, quod et dominus Telekessy debiliorem sese esse existemet, et dicant, Transsilvanos quoque ea sola fiducia fretos suscepisse hanc expeditionem, quod deductis hinc cataphractis putaverint fines hos prorsus fuisse exarmatos.

Quae opportunitas quantum animi Turcis etiam allatura sit, quis ex his non intelligat? reveraque si ullo alio tempore fuerunt necessarii, hoc certe commodissimi essent, quorum adventu etiam nunc solliciti sunt rebelles; quamquam alioqui semper futuri sint opportuni, quum majestatibus vestris fuerit visum, ut mittantur.

Pauca addo de Kysvarda, cujus ut majestas vestra sacra clementer rationem et curam habere velit, summa et diligentia et humilitate supplico atque insto, quia si (quod avertat Deus) Kysvarda veniret in hostium potestatem, credat majestas vestra, quod et Tibiscus cum tota ulteriore regione hostibus cederet, et haec citerior in ultimum discrimen conjiceretur; tantum momentum habendum est de incolumitate memoratae arcis. Et Deus Opt. Max.

vestram sacram majestatem diu felicem et incolumem servet. Eperiesii prima die Januarii 1559.

CXII.

Maximilián cseh királynak Verancsics Antal.

Sacra regia majestas, domine domine mihi clementissime.

Proximis diebus accepto a majestate vestra sara mandato de conscribendis 400 peditibus, et de curanda compositione cum magnifico domino Dobo de controversia divisionis praedae turcicae inter dominum Telekessy, exercitum vestrae majestatis, dominum Joannem Petew, dominnm Bebek, et plures alios milites, primum jam exequi aggressus sum, et alterum propediem aggrediar, ubi primum videlicet res cum his hostibus transacta fuerit, et in otium ac stationes suas milites reducentur.

Verum supplico vestrae sacrae majestati, ne velit ad placitum reverendissimi domini Jauriensis, alterius mei parentis, tot commissiones mihi hic Eperjesii imponere, quia tot me expectant curae Agrienses, ut jam hic coeperim illis sudare et laborare; dignetur itaque gratiose intelligere, quod ubi has commissiones ad id tempus modo hic impositas fuero exequutus, Agriam me subito conferam. Deus tantummodo faxit, ut hostes nostri debellentur.

Et quia tot me negotia exceperunt hic, et pro-

mandatum viderit vestrae majestatis. Quae res quum dominos consiliarios bellicos concernat, in reliqua me non ingero, re majestati vestrae declarata, et exhibito amico officio. Quicquid rerum imposterum successerit, utar in perscribendo debita et necessaria celeritate. Deus optimus maximus vestram sacram regiam majestatem felicitet et salvam velit. Eperyessii 2. Januarii. 1559.

CXIII.

Telekesinek Verancsics.

Ad dominum Telekessy.

jan 3 Magnifice domine, amice nobis honorande. Salutem et nostri commendationem. Conclusionem omnium rerum, quas habuimus per hos dies cum comitatu Saaros et cum his comitatibus, dominatio vestra magnifica intelliget ex communibus litteris. Caeterum sciat me heri explicasse vexillum, tympanum percussisse,et fecisse per has omnes civitates delectum peditum proclamari,qui jam concurrunt,nomina dant, et stipendia illis numerantur. Sed adhuc adeo frequentes non habemus, ut necessariae celeritati, quae nos urget, satisfieret. Quare misi et Cassoviam pecunias, et quia fidem hic mihi fecit Franciscus Calnay, vestrae magnificae dominationis ad nos nuncius, istic partim ex transfugis, partim ex locorum istorum incolis posse conscribi non contemnendus numerus, dabo operam,

ut hic ducenti conscribantur. reliqui vero istic. missa pecunia per Franciscum Chaghy, militem meum Agriensem, quem capitaneum praefeci omnibus. Interim autem curet dominatio vestra magnifica, ut sint in promptu pedites, et eos parva aliqua subarrhet sua pecunia, donec hinc ad id designata afferetur.

Quae de Turcis nuper ferebantur, aliqua ex parte videntur vani fuisse rumores; venerunt certo numero ad Fylek arcem, cui novo praeside sive zangziaccho imposito, abiisse eos, quidam retulerunt. Nostri tamen Agrienses scripserunt mihi in haec verba: Explorationibus de Turcarum motibus nos non deesse. Caeterum verum esse, quod in Fylek et in Zolnok congregati forent, ignoreturque eorum animus. Se tamen hoc unum scire, quod magnificus dominus Telekessy securus potest esse a Turcarum horum metu et agere contra exercitum Transsylvanum quicquid velit. De quo laudetur Deus, qui certe etiam nos hic magna sollicitudine liberavit, deditque haud dubie dominationi vestrae magnificae amplissimam et optatissimam facultatem hostes istos astringendi et propulsandi duce sua dextera; qui ut eidem clementer adesse velit, assidue oramus, et bene vestra magnifica dominatio valeat. Eperiessii 3. Januarii 1559.

CXIV.

Roblem Menyhérd kassai parancsnokhoz Verancsics Antal.

Ad Melchiorem Roblem.

1n.4. Magnifice domine, amice honorandissime. Salutemet mei commendationem. Ea quae proximis litteris scripseram ad dominationem vestram magnificam, non scripsi, quod aut litteras ejus non intellexissem, aut quod improbassem ejus concepta animi et consilia, praesertim in bellicis rebus, in quibus vestra dominatio magnifica et nata et educata sit, seque ad reliquam etiam vitam ita accinxit, ut facile putem, nulla alia usurum quoad vixerit quam militari, quod quidem vobis Hispanis et peculiare fuit semper, et in summis laudibus datur. Verum quum hac in civitate de mandato suae caesareae et regiae majestatis substitissem, commissiones quasdam cum domino Telekessy et cum aliis dominis commissariis habiturus, essemque unus ex dominationibus vestris, qui hos fines una teneremus, et tueremur: existimaveram licere mihi de his amice, fraterne et libere colloqui, agereque etiam litteris, quae essent et honori nobis omnibus, et finium horum commodo. Nec sane illa, quae scripseram, reprehensiones fuere, sed tantummodo familiaria hortamenta et monitiones mutuae, quas quidem ego etiam in actionibus meis a collegis meis, et ab iis, cum quibus cuipiam praeessem functioni ha-

ieremque commune ministerium, nunquam aspernarer, nec in sinistram partem vel acciperem vel interpretarer; alioqui si quid, quod non providissem, eandem dominationem vestram magnificam offendisset, rogo ut ignoscat mihi.

Quod ad suspicionem civium de quorundam in ista civitate dubia vel etiam improba fide attinet, et ait: quendam ab eisdem carceri jam esse mancipatum, seque optare, ut aut dominus Sigismundus Torda, aut dominus Franciscus Pestyensis istuc veniret, quo matura fieret de iisdem suspectis hominibus cognitio, nimirum quod in hujusmodi casibus, et mora et negligentia saepenumero, ac plerumque semper nocere et damnosa esse consuevit, quod etiam nunc potissimum, isti civitati a proditione intestina esset metuendum, donec dominus Telekessy cum exercitu suae caesareae majestatis reverteretur.

Has suspiciones undecunque et quibuscunque ex causis suscitatas esse existimabimus, quum eo etiam praetextu vel privato quopiam commodo suscitatas fuisse facile credi possit, ne scilicet plures armatos cogerentur in quaedam castra mittere: at ego maxime laudo dominationis vestrae magnificae animi institutum, quod in gubernatione et custodia civitatum etiam ficta pro veris ducat. Cura enim et administratio vel civitatum vel bellorum seria sane sunt non ludicra, quae ad scenam et theatra pertinent. Propterea collato heri et excusso hoc negotio cum dominis fratribus nostris Sigismundo Torda et Francisco Pestyensi, illud ex aequo visum est nobis, ut hujusmodi homines malae mentis, mali animi, qui quidem fidei etiam bonae esse non possunt, cum dexteritate, et sine strepitu comprehendantur. Nec id solum veri et con-

fessi criminis nomine, sed etiam ludicri, quo saepenumero malum tegi consuevit, ut venena melle, ut pallio ensis, et odia risu.

Caeterum quod ad alia spectat, etsi id vestra quoque magnifica dominatio optime novit, tamen etiam a suspicionibus malorum vacuas oportet esse civitates et respublicas, quia ut latentes pestes frequentius in perniciem erumpunt, quam apertae, ita et hostes sane cogniti minus metuuntur et facilius evitantur. Sed de his satis. Et quod dominationem vestram magnificam scire volui, in eo jam toti sumus, ut alter ex iis dominis, quem ipsa postulat, istuc venire possit; sed id fieri nequit, donec hae gentes, quas ab his civitatibus et comitatu Saaros sollicitamus et conscribo ego, in promptu fuerint mittenturque in castra ad Telekessy. Interim tamen quicquid dominatio vestra magnifica pro dexteritate et prudentia sua in hoc transegerit, bene casurum non diffidimus, speramusque, quod dominus Deus omnia adversa ab humeris suis propulsabit.

De controversia Cassoviensium et Joannis Alaghy, ratione possessionum Forro et Garadna, bene dominatio vestra magnifica utrique parti consuluit. Sed tamen apud nos in judiciis magna vis jurium juxta eam partem versatur, quae possessione potitur ejus rei, quae est in controversiam deducta; hincque est, quod partes minus alienis consiliis acquiescunt. In quo, meo judicio, fiat, quod fieri potest, quod vero non, agat fortuna. Et quod erit reliquum: Ubi ait dominatio vestra magnifica dominum Telekessy plures ab ea pedites alemanos postulare, de quo nos etiam hic multa sumus colloquuti, et indicavimus, vix hoc posse et debere fieri, quia Cassovia sine milite mani-

bus plebeorum non est committenda. Quod quia dominatio vestra magnifica etiam perpendit, hoc totum ejusdem consilio et voluntati permittimus. Quam Deus optimus maximus felicem servet. Eperiessii 4. Januarii 1559.

CXV.

Maximilián cseh királyhoz Verancsics Antal, Torda Zsigmond és Pesti Ferencz.

Ad majestatem regis Bohemiae Maximilianum cum collegis Sigismundo Torda et Francisco Pesthy.

Hesterno die venit ad nos ex castris Lucas Pa- 1559 Jan. 9.
atycz litteratus a domino Telekessy et a domino Feykovycz nuncius cum his mandatis missus, quae obis non mediocrem sollicitudinem attulerunt. Conuisitis enim et congestis in unum veluti fascem mnibus, quibus adversarios augeri posse putandum st, nescimus quid animi conceperunt, ac ipsine quemiam finxere sibi metum, an incutiant nobis, onus ortasse aliquod in nos transferre satagentes, quod ubire ipsi nollent, dum id a nobis postulent consilii, uod sane in sola primum majestate vestra sacra einde in ipsis consistit, qui sunt supremi belli dues, et quibus est vel aggrediendi vel non aggredieni hostis (quantum nos assequimur) tota ratio deandata, non nobis, qui a majestate vestra commissioem hujusmodi non accepimus.

Tam diu autem in castris suis et ii et illi otiosi sedent; nostri in dies hinc inde ex tot comitatibus et civitatibus palam augentur, praedas ex hostibus interdum referunt, vexilla illis eripiunt, transfugientes eorum pedites recipiunt, et sollicitant oblata hinc auxilia, quo tandem in hostes aliquid agerent et Kyswardam obsidione liberarent. Quae quum per nos exequuta sint omnia, illisque et eos pedites, quos Agriensis conduxit, et quos hae civitates ac comitatus Scepusiensis et Saarosiensis contulerunt, misimus, jamque ab eis optatos eventus speraremus: has difficultates bene gerendae rei de repente nobis, vel potius sacrae vestrae majestati offuderunt hostium incrementa extollentes, qui omnes, quos enumerant, si in massam convenerint, Turcis etiam accedentibus, haud dubie hic nulla vis est, quae illis poterit resistere, immo noster etiam exercitus cum Kyswarda arce magno periculo laborabit, graviorque majestati quoque vestrae sacrae incumbet cura ad pares vires his ex locis opponendas; quum nec mercenarii militis copiam habeant, nec voluntas hoc tempore in popularibus eorum militaris existat, detrectantes etiam domo vestigium prodire, nedum in castra proficisci.

Verum nos tantis, tamque subitis hostium incrementis fide nondum adhibita, veritique etiam praxes quaspiam Melchioris Balassae, similes hiis quae contigerant superioribus diebus apud castellum Zeoleos, maturavimus ad majestatem vestram mittere tam ea quae iidem domini capitanei nobis nunciarunt, quam quae nos illis respondimus, ut ipsa majestas vestra sacra, rebus omnibus sua prudentia, suoque sapientissimo judicio consideratis et excussis, istic deliberet, et quid memoratis dominis capitaneis erit faciun-

dum clementer mandet. Quum nos interim curabimus, ut mox peculiari quopiam exploratore in castra hostium misso, clarius et certius de his cognoscamus, vestramque majestatem sacram, quam celerius fieri poterit, edoceamus, humillime eidem supplicantes, ut huic suo tam perturbato exercitui dignetur gratiose, pecuniarum aliquid summitti mandare, quia ob defectum hujusmodi haud dubie turbae hae suscitantur et moventur, videnturque eo etiam milites magis tumultari, quod solutiones (per dominos commissarios nuper ad Kalendas Januarias illis promissas) necdum venturas intelligant. Caeterum si soli Hungari hac de causa turbarum quippiam molirentur, cura esset aliquanto levior, sed lamentantur etiam Germani, quemadmodum majestas vestra ex litteris domini Teykowycz ad nos datis cognoscet. Significantes illud humillime, fines hos in discrimine magno versari, ac mature providendum esse, ne milites queri possint, neve quid cum hostibus ratione Kyswardae transigatur, quo haec majestatum vestrarum ditio reddatur imbecillior. Et Deus opt. max. vestram sacram majestatem sanam et felicem servet. Eperiessii 9. Januarii 1559.

CXVI.

Telekesinek Verancsics Antal.

Ad magnificum dominum Telekessy.

n.11. Intelleximus mandasse dominationem vestram magnificam peditibus, quos eidem misimus hinc auxilio, ne recta in castra venirent, sed in quibusdam vicinis pagis subsisterent, donec aliud a dominatione vestra mandatum acciperent. Intelleximus etiam tractatum quendam fieri cum hostibus, qui ad concordiam vel ad quaspiam inducias spectarent, de quo tamen ad nos dominatio vestra nihil scribit. Propterea si is tractatus, belli progressu inhibito, finietur in aliquam bonam et honestam concordiam, nec erit opus copiis militaribus, hortamur dominationem vestram magnificam,ut pecuniae nostrorum Agriensium velit parcere, et supersedere a peditibus conscribendis, quos in mandatis ad conscribendum habui. Scit enim quanto laborent ipsi etiam Agrienses defectu solutionum, et nobis onus incumbat ad eam arcem sustentandam et conservandam. De quo quia et hominibus nostris similem informationem dederimus, mandavimus tamen, ne quid suo motu et consilio agant, unde error committi aliquis posset, quia et illis, et nobis negotium facesseret. Caeterum quoniam idem peditatus si diutius a castris aberit, verendum sit, ne partim clandestino quopiam hostium excursu affligatur, partim dilabatur, judicaremus esse consultius, ut castris primo

quoque tempore jungerentur, et magnificae dominationis vestrae potestati assignarentur, quum alter ex hominibus nostris, hoc negotio exequuto, expletoque delectu, ad nos redire debebit.

Has vero quum scribere incepissemus, accepimus suas de X. Januarii datas, quibus postquam adeo vires hostium magnas facit, nos hic etiam timere incepimus, praesertim quod et nunc scripsit, hostes quatuor millia equitum habere, et nunciaverit nuper totidem eisdem hostibus proxime numerata fuisse stipendia, nempe quae ad festum usque divi Georgii essent illis suffectura (tam divite vena fluunt nunc, si diis placet, Isabellae reginae aurariae), quodque ad eos confluerent omnes hi comitatus, Zathmar, Ugocha, Zabolch, Krazna, Zolnok, et quicquid est apud eorum factionem virorum fortium, Thomas Varkoch, Clemens Artandy, Georgius et Paulus Capitan, cum tot Turcarum turmis, qui nunc congregati apud Budam et Pestum obviam passae novo proficiscuntur, Dravum sane non Tibiscum versus. Duo tamen a metu nos et consternatione continent, quod equitatus hostium e Seculis sit ex majori parte, quodque proxime dominatio tua scribebat simulque nunciabat, pedites hostium in nostra castra transfugere turmatim, quod in suis penuria solutionum laborarent, quodque multo plures ad nos essent defecturi, si quod illis daretur, dominationi vestrae suppeteret. De Tibisci solutione glacierum diu nos quoque timuimus et timemus etiamnum; nostra tamen causa non est factum, quod eis dominatio vestra magnifica uti noluerit; utque ipsa occasionem Tibisci congelati non arripuit, ita Balassam Melchiorem arrepturum, si ea illi obvenerit, facile suspicor, quia tunc oppugna-

tionis suae capiet fructum, quem ei Deus non concedat, quum sicco ad eum pede dominatio vestra magnifica transmittere non poterit. Peditum vero expeditioni moram non certe nos attulimus, sed partim dominatio vestra, quae significarat litteris suis, essent in promptu quidem pedites, sed in castra veniendi mandatum ejus exspectarent; partim ii, qui eos contulerunt, debueruntque celerius apparare, quando quidem ne horam quidem per hos dies, quibus congregandis et in castra ablegandis sudando et aestuando operam dedimus, conquiescere potuerimus, putamusque, et laudari et excusari debere nos a magnifica dominatione vestra, modo jam in castra apparenter et solenniter inducantur, declareturque hostibus, nostro exercitui non ficta, sed vera et certa mitti subsidia. Cujus exercitus quum dominatio vestra magnifica pro sua prudentia solertissima incolumitatis et victoriae curam solito more sit gestura, tum enitetur summo studio, ne quid, quod ut collega fraterne scribo et commoneo, in tractatu isto transigatur, quod praeter voluntatem et dignitatem sacratissimorum principum nostrorum cadere posset. De quo studio etsi monere dominationem vestram magnificam superfluum sit, tamen, quia jam cum turcicis praxibus, quae semper fuerunt dolosae, negotium habemus, aequo animo ferre debebit omnia, de quibus mutuo colloquimur per litteras et per nuncios, quo et principibus nostris clementissimis pro voto inserviamus, et consulamus patriae. Deus eandem juvet et roboret in omnibus. Eperiessii XI. Januarii 1559.

CXVII.

Maximilián cseh királynak Verancsics Antal.

Ad serenissimum regem Bohemiae Maximilianum.

Proximis diebus uno fere tempore expeditis in castra peditibus, qui hinc a me, ab his civitatibus, et a Sepusiensi ac Sarosiensi comitatibus mitti debuerant, et accepto alio a majestate vestra sacra mandato de negotio commeatuum, absente etiam domino Telekessy obeundo et exequendo, id ipsum mox agressi negotium ego, Sigismundus Torda, et Franciscus Pesthiensis, triduum cognitioni ejus dedimus, excussisque omnibus rationibus, unde tantus commeatuum in his finitimis locis vestrarum majestatum acciderit defectus, quorum negligentia suis temporibus non fuerint accumulati, quis denique ordo, quis modus, quae via ad hos neglectos resarciendos ac recuperandos restaret,novos quam levissimis sacratissimae caesareae majestatis sumptibus comparandi, quo praefata finitima suae caesareae majestatis loca ad omnes futuros eventus belli instructa commeatibus forent et sufficerent praesidiis suis sustentandis, eas demum invenimus, quas majestas vestra sacra distincte est ex communibus litteris nostris clementer cognitura. 1559. jan 15.

Verum quid ipse sentiam et intelligam pro mea peculiari opinione, quam majestas vestra sacra dignata est gratiose mihi injungere ut perscribam,

etsi ego ut his in rebus novitius, nec adeo tritus i collegae mei, prius ab eis omnia intelligere et poste mecum considerare expendereque debuerim, examinatis etiam meis privatis quibusdam hominibus de hujusmodi administratione rerum gnaris, tamen nihil admodum secus invenire potui, quam quod iidem collegae mei invenerunt et observaverunt. Ac defectuum quidem ea est prima causa, quod annum proximum ubique infoecundum habuimus. Secunda, quod et messis et vindemia in haec inciderunt tempora, quibus exercitus majestatum vestrarum circumductus est per ea loca, in quibus nomine earundem majestatum vestrarum coëmptae erant decimae. Quas dum egenus miles hostilium partim evastandorum agrorum studio, partim indignatione egestatis minus considerat, promiscue et decimales et reliquos omnes omnium fructus, quos potuerunt assequi, corruperunt et diripuerunt. Tertia vero privatorum quorundam licentiae imputatur; quorum nomina, quia majestas vestra a domino Francisco Pesthiensi, praecipuo proventuum majestatum vestrarum administratore intelliget, scribere ipse praetereo. Acrius tamen corripiendi erunt, ut et inposterum a simili temeritate abstineant, et male usurpata restituant, quum in ea saltem invalere non debebant, quae majestatum vestrarum erant, quaeque si tam rapaciter attingere non verentur, qua ratione, quibus legibus, quave humanitate a privatorum fortunis abstinebunt? Nec defuit, quantum intelligo, per administratores majestatum vestrarum curare, quam diligentissime fieri potuit, earundem collectionem decimarum, sed haec impedimenta obstiterunt, quum ne meis quoque Agriensibus, quos ad reponendum colligere mandaveram, parsum sit, decimatori-

bus meis et officio et agris, magno certe et duplici vestrarum majestatum detrimento, exactis, nimirum quod, ut Cassovia, Saaros, Murano (sic) ita et Agria pari cura majestati vestrae sustentaretur.

Sed de defectibus et de neglectu commeatuum haec habui. Et recuperatio eorum quoad pro hoc anno jam non admodum ea fieri potest, quae sufficere deberet, quandoquidem direpti, et a diversis usurpati fructus decimarum, ita etiam huc illuc distracti sunt, ut vix jam inquirendi eos ratio supersit praeter eos, de quibus majestas vestra sacra a domino Francisco Pesthiensi dignabitur gratiose intelligere. Hisque mandato ejusdem vestrae majestatis serio recuperatis et repositis, reliquum quod ad justos anni hujus commeatus pertinebit, supplendum erit pecunia. Nec de vino in tantum laboratur, cujus competens aliquanto habetur copia, verum tritici est penuria, quod nullibi minore pretio poterit comparari, quam, ut mihi dicitur, in comitatu Sepusiensi, qui hoc annonae genere caeteris abundat magis, eoque fovet ferme ipse solus omnes hos alios comitatus vicinos et has civitates. Qua causa maturandum etiam esse existimo cum pecunia, quia paulo post verendum est, quod accrescet eidem tritico pretium non solum alibi, sed etiam Sepusii.

Discussimus autem inter caetera illud quoque, num alicunde vel corrogari vel imperari possit aliqua summa tritici, ut in regno nostro fieri consuevit. Sed modum nullum reperimus, quum passim omnes populi cum plebe simul annonae tenuitate laborent; suntque infiniti, qui, cum annis aliis maxime abundarint, hoc egent, et jam emptitio pane vivunt. Quare subsidium videtur in sola pecunia esse repositum,

qua necessarium triticum coëmi possit et debeat. Caeterum, quoniam majestas vestra gratiose mihi mandavit peculiare aliquid scribere pro informatione comparandorum praefatorum commeatuum, referam quaedam, quae imposterum usui esse poterunt, quandoquidem non videam, quod huic praesenti anno sine paratae pecuniae sumptu subveniri possit. Sunt, clementissime rex, in his partium superiorum comitatibus plures et Strigoniensis et Agriensis ecclesiae proventus in quartis et decimis, quos quum capitula, praepositi et archidiaconi bellorum et turbulentorum hominum causa pro arbitratu suo accumulare in sua horrea nequeant, agrorum dominis, et quibus possunt, divendunt. Propterea quotannis, ubi primum divi Gregorii festum appetere incipiet, uti jam nunc, duobus aut tribus mensibus ante, administratores redituum vestrarum majestatum debebunt hujusmodi quartarum et decimarum nomina in suis rationibus annotare, et majestati vestrae sacrae ad scitum dare, ejusque litteris regiis tam capitula et archidiaconos, quam etiam nos ipsos qui praesimus capitulis, inhibere, ne hujusmodi venales decimas quartasque cuipiam alii vendant, et in arendam locent, quam sacratissimae caesareae et vestrae regiae majestati. Sed quia domini terrestres conabuntur huic emptioni pluribus locis obsistere jure vetusto regni, meo judicio nunc in comitiis mentio fieri deberet, quo publice decerneretur, jus hoc decimarum cujuscunque terrae dominis liberum majestatibus vestris fore, hoc praetextu potissimum, quod his has arces et civitates finitimas earumque praesidia fovere nutrireque cogantur publico regni commodo et conservationi; quum ipse etiam de Agriensibus decimis, quae remotius ab Agria fuerint,

opius Cassoviam ac Saaros, quas pote ro ad eas
ere, quas ex conventione conferre debeam. Unde
dubie ea quotannis commeatuum cogetur copia,
s pars etiam in pecuniam converti fortasse poterit,
rugi cumulatores et curatores eorum fuerint. Tutela
ien memoratae quartae ac decimae debebunt
ipestive esse provisae; messis enim ac vindemiae
npore primum militibus vestrarum majestatum de-
ni sua stipendia oportebit, ne occasione egestatis
reptionis licentiam arripiant. Deinde ut eodem tem-
ore in quolibet comitatu, in quo fuerint decimae
t quartae hujusmodi vestrarum majestatum coëm-
ptae nomine, excubet una equitum cohors, et rapinam
omnium inhibeant. Quod idipsum mihi quoque circa
Agriam erit faciendum, quum jam auspicato anno me-
liore ratione geretur mihi cura decimarum quam
gesta sit proximo, quem ut episcopatus mei primum
habui non aliter, quam pro paedagogo et tyro-
cinio meo, daturus operam non ita multo post, ut
omnes superflui et inanes sumptus partim resecentur
partim tollantur omnino et mei et aliorum, ut plus
habeant milites, qui etiam sine hoc habent sane
omnia.

Si quid aliud ad facultatem commeatuum augen-
dam excogitare potero interim, scribere ad majesta-
tem vestram sacram non praetermittam, perscripturus
etiam paulo post, quae et ad statum et ad com-
meatus Agrienses attinebunt, ubi primum cognovero
et constituero, quae ibi erunt cognoscenda et con-
stituenda. Eo enim hoc biduo profecturus, reliquas
commissiones omnes differam, dum et dominus Dobo,
et dominus Telekessy aderunt; ea sola sane et sol-
licitudine et cura aestuans, quam inprimis Agriae de-

beo. Deus opt. max. majestatem vestram sacram incolumem et felicem servet. Eperiessii XV. Januarii 1559.

CXVIII.

Oláh Miklós esztergomi érseknek Verancsics Antal.

Ad reverendissimum dominum archiepiscopum Strigoniensem Nicolaum Olahum.

15. Quod ego praesentibus comitiis Posoniensibus interesse nequiverim, uti pro mandato sacrae regiae majestatis debebam, et arcis meae Agriensis commodum postulabat, volebatque et suadebat reverendissima domina vestra, cui ego in omnibus tam libenter obtempero semper, quam hilariter et cum summa animi voluptate: primum obstitere mihi complures commissiones publicae hic et Cassoviae obeundae, cura deinde status Agriensis magna ea quidem ac multiplex, postremo vero defectus sumptuum non exiguus et plus quam verus. Nam superioribus mensibus in aula nimis, et ad fundum usque totius parvuli mei peculii exhaustus, si quodpiam vel exile fuerit aliquando mihi, dum rem et stipendia militum Agriensium sollicito, ne in ipso quoque episcopatu meo vel tantum ex parte mea tertia parati subsidii reperi, quo aere me alieno sperarem posse liberare, nedum ad novos sumptus comparandos, quibus iterum nec

adhuc visa Agria tam repente istuc recurrere deberem.

Quum itaque tam longum tamque periculosum iter, Turcis et rebellibus obsessum, parvo impendio peragi haud quaquam facile possit; hic vero tantis detinear negotiis, mihi quidem satis difficilibus, et ex necessitate incumbentibus: vestram reverendissimam dominationem obnixe et filiali fiducia rogo, ut nec ipsa ob hanc meam absentiam indignetur mihi, nec me tam apud omnes reliquos dominos magnates, quam etiam apud sacram regiam majestatem paterne recuset excusare, cui de hoc jam binis litteris scripsi, et certus sum gratiam mihi ejus majestatis non defuturam.

Caeterum quod ad hos fines attinet, magno sane in discrimine versantur, et fortasse in quanto nunquam ad hoc tempus. Hic enim qui pareat, nemo est; qui imperare velint contendantque perpetrare quicquid cuique libuerit, tam multi sunt, ut neminem excipiam, quia sane omnes, nullo certo, nullo digno moderatore in medio existente, et omni ex parte hostibus imminentibus. Quid quaerit? omnia sunt confusa, omnia perturbata, omnia licentia et impunitate depravata, inclinataque ad extrema. Et nisi solida quapiam ratione mature hisdem finibus prospectum fuerit, vereor magnopere, ne una dierum talis improviso casus ingruat, cui ad occurrendum et tempus et ratio et remedia ipsa deerunt, palmasque tantummodo, stupentes et dolentes, invicem complodemus ob amissa. Populi de populatione et violentiis, milites de stipendiorum insolutione lamentantur, et variae coram pusillis aliquot nobis, qui hic praesimus quadam ex parte rebus, protestationes quotidie fiunt, dum com-

plures aliud quippiam fortasse secum meditantes sibi de periculis finium cavent. Terra vero ipsa universa regem expetit, et tutelam ejus inclamat. Sexcenta alia sunt hujusmodi, quibus est summo studio, summa celeritate providendum, si praesertim contra nos expeditio Turcae comprobatur.

Quum autem dominationem vestram reverendissimam summum et serium conatum, pro sua primaria authoritate et singulari amore, quo est in patriam, ultro etiam adhibituram esse sciam, quo fessis et jam labantibus rebus nostris maxime modo succurratur, quando ad eum cardinem rerum perventum esse videat, quo solo extrema regni nostri fortuna haeret: omissis caeteris impraesentia, Agriam ei peculiariter commendo, oroque, ut quum de conservatione finium reliquorum in comitiis referetur, sic Agriae consulendum et prospiciendum curare non gravetur, ut persuadeat sibi, vel secundam vel tertiam futuram, quae sit vim et impetum hostis exceptura. Nec attingo reliqua; sed considerata arcis Agriensis magnitudine, et numero militum, quo teneri debeat, in id potissimum dignabitur incumbere, ut aliqua certa firmaque constituatur ratio, qua crebrius jam memorati milites ejus praesidiarii accipiant sua stipendia, quandoquidem et pars proventuum tertia, quae est illis assignata, ad hoc sit perexigua, et commeatus annui reliquum fere totum vendicent sibi.

De his duobus exercitibus quod possim scribere, parum hactenus uterque gessit, quod esset memorabile, et nostrum diebus proximis jam inferiorem fore verebamur, quod Tibisci glacies remittere inceperant. Sed quatriduum est, quod denuo speramus meliora. Uno enim tempore, allatis exercitui a majestate

ia pecuniis, et glacies Tibisci vires et milites mos resumpserunt, sic ut jam dominus Telekessy dominus Teykovycz stratagema et impetum, quemnodum heri intelleximus, in hostes meditentur. us Opt. Max. adsit illis, et faciat victores. Ac de me, od restat, Agriam tandem hoc biduo proficiscar, ssoviaque mittam ad comitia; quos missurus sum, stram reverendissimam dominationem rogo, digne· eos pro sua gratia, qua me singulariter fovet, hare commendatos. Valeat felix et diu vivat. Eperies· 15. Januarii 1559.

CXIX.

Maximilián csch királynak Verancsics Antal.

ra regia majestas domine domine mihi semper clementissime.

Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meo- 1559. jan. 29.
i in gratiam vestrae sacrae majestatis humillimam mmendationem. Ad XXII. diem hujus mensis veni riam cum domino Franc. Pesthiensi; ad XXIIII. travimus peditum ordinem, equestrem vero die tero; in ipsa autem lustra invenimus pedites 317, ites vero 545, et jam stipendia utrisque numeras, peditibus eo numero, quo sunt inventi, equitibus taxat 400-tis, quia reliqui officiorum administrane fruentur. Dabuntur autem tam peditibus, quam

equitibus trina stipendia, computatis huc 1025 flore-
nis qui sunt ad pedites Eperiessii conductos inpens
quorum etsi mora satis jam molesta sit iis, in quo
ea summa est distributa, ferent tamen, modo dignetur
majestas vestra sacra gratiose mandare ne illa lon-
gius prorogetur, quum interim aliis etiam de causis,
potissimum vero de his tam mediocribus, ut dicunt,
et seris solutionibus, tantum negotii habuerimus cum
ipsis militibus, ut vix eis restiterimus quum abitum
etiam minitarentur. Quapropter Franciscum etiam
Jakossyth alterum ex castellanis capitaneisque
supremis, alterum Franciscum Gemes capita-
neum peditum, et Stephanum Pelyny militem
summa contentione ad majestatem vestram cum his
petitionibus mitti institerunt, quas ex supplici eorum
libello majestas vestra dignabitur cognoscere.

Dedimus autem omnem operam, ut sedatius
agerent, et a majestate vestra opperirentur certam
de expeditione Turcarum principis notitiam, ipsi
tamen vicere, et nos coacti sumus accommodare
nostras voluntates eorum instantiae, moniti loco et
tempore, ubique et cum omnibus dexteritate usi, ne
quid disturbaremus in hoc ipso praesidio, quod totum
est ex veteratus*), et ita inter se concors, atque uni-
tum, ut, si vel pauci ex eo digredi incepissent, totum
sane labefactari oportebat, non parvo hujus loci cum
detrimento et periculo.

Et quum haec ita sese habeant, venientque in
notitiam vestrae majestatis tempestive: reliqua ipsa
majestas vestra, ubi aderint, sapientissimo suo consi-

*) Így; az iródeák hibájából; Katona, exulceratum-ot nyomtatott helyébe.

lio, suaque gratia benignissima, a qua nemo unquam non contentus, non satisfactus abscedit, in animis et voluntatibus eorum tranquillabit, et moderabitur. Quanquam ut majestati vestrae humillime dicam, quod ad verum attinet, haudquaquam motum et sollicitudinem hanc horum praefectorum et militum lenem esse dignetur existimare; mirum enim est in quam et in quantam indignationem concitantur ubique milites finitimi tam diuturna insolutione stipendiorum, et nisi certior aliqua ratio constituatur, et crebrius aliquid accipiant, et satisfiat illis de praeteritis creditis, omnino verendum est, ne periculosum una dierum aliquem tumultum committant, idque potissimum sub his de expeditione magni Turcae rumoribus, quorum colore ac praetextu, non mediocriter in quandam majorem libertatem videntur abduci, quod suam operam expetibiliorem fore, ut magis necessariam, arbitrantur. Ideo et majestas vestra, pro suo sapientissimo consilio, et pro rerum omnium, quae de Turca apud eam habeantur, veriore notitia, sic dignabitur eos ab se gratiose expedire, ut et animi eorum conquiescant, et his finibus consulatur; illud in fine expeditionis nunciorum eorundem haudquaquam praetermittendum, sed etiam, ubi clementius ad petitiones illorum responderit, exacte ac solenniter abeisdem cognoscendum erit: an constanter et ipsi milites, et praefecti eorum toleraturi sint obsidionem in hac arce Agriensi, si quo casu ea cingeretur, necne? nunc enim explorandi sunt de hoc eorum animi, et omnis ratio arcis hujus retinendae, ea tempestate ingruente, constituenda, et firmanda, postquam ipsi etiam milites cum praefectis suis ad protestationes descenderunt, alterque praefectorum personaliter

istuc venire voluerit. Nec differatur res, ut mature jam deinceps munitionibus arcis hujus, constitute omnium consensu, insistamus, quia praeterit tempus, et sensim ver succedit.

De modo autem subveniendi solutionibus praefatorum militum Agriensium, etsi a me non est majestati vestrae, dominis consiliariis ac dominis regnicolis ullus demostrandus, ille tamen inter alios unus satis commodus esse videretur, ne hii duo comitatus, Hevesiensis et Borsodiensis, quopiam deputentur ab Agria, sed potius alii etiam aliqui eis adjungantur, uti antea quoque, non ita pridem, factitatum fuisse constet, esto, quod ego ne in hoc etiam velim aliquid meo instinctu agi, quod non dubitem, et majestatem vestram sacram, et omnes dominos consiliarios, ac dominos regnicolas Agriam habere et habituros commendatam.

De Turcis quod hic in adventu meo offendi exemplum litterarum cujusdam hominis in medio Turcarum commorantis, mihi non, sed praefectis meis noti, hic inclusum ad majestatem vestram misi. Caeterum palam hic fertur, et a captivis etiam confirmatur, agros et villas ultra Tibiscum per totam eam regionem in timaros, principis Turcarum nomine distribui, augerique apud Bala Zenthmyklos, in Zolnok, Lippae, et in castellis apud Gywlam factis praesidia Turcarum, ut timari hujusmodi facilius possessione occupentur et retineantur.

Ad hoc itaque advertendum est, clementissime rex, et in memoriam revocandum, sic enim et annis superioribus tractum eum terrae a Lyppa ad Transsylvaniae fines porrectum fuisse usurpatum, et in potestatem redactum. Et quod Varadinum etiam

ostuletur, ne id quidem est (quantum pro judicio neo) ambiguum, ex eo enim mox et Gywlae vim exernam afferent hostes, et in eos omnes comitatus mperium constituent, deducentque ad effectum illud andem, quod nos etiam ex Turcia non semel scripseamus, dolis et astu Transsylvaniam circumventuros, on vi; nec est dubitandum quin haud ita multo post ncipient commeatus ex Transsylvania postulare, et n Hungariam contra majestates vestras exercitum ubere emitti, ut hinc simul et hominibus et victu exauriatur Transsylvania, illinc ipsi sine negotio qua oluerint, et fortasse etiam bifariam et trifariam um Valachis in eam irrumpant, et potiantur ejus dominatione. Vult enim Turca Transsylvaniam, et quilem dum in vivis est, ut ea manes illius apud inferum sustententur, quia sepulcro et basilicae suae llam inscripsit, et addixit. Sed caeci rebelles, qui oc non perspiciunt. At certe prope est, ut extrema conequantur, nisi et ex alto Deus advenerit, et majestaes vestrae consilium inierint, ut eam praeripiant. Et er Deum etiam oro, clementissime rex, dignetur ita ajestas vestra in considerationem accipere et proucere in medium, ut nunc tandem regni hujus saluti onsulatur, si consuli possit. Quia terra ultra Tiiscum amissa, amittetur et Transsylvania, et Tibiscus, et hi fines omnes, qui Tibisco adjacent, de ltimis rebus laborabunt, omniaque postmodum ard a erunt remedia, ubi sic ex parte omni circumvedientur.

Postremo, ubi praefecti et milites Agrienses nstabunt pro augendo hoc praesidio, tam peditibus, uam equitibus, non petulanter agunt. Circumstant nim Agriam Bala Zenthmiklos, Zolnok, Hathwan,

Bwyak, Zonda, Salygo, Fylek, Chew, Zechen, et plura alia hujusmodi loca, in quorum quatuor quatuor zangziachi sedent, et munita sunt omnia non mediocri hominum numero; imminentque arci huic nimis propinque, quod poterunt referre domini consiliarii. Et hac potentia hostium solliciti Agrienses nec reliquo exercitui vestrae majestatis magno adesse possunt auxilio, nec admodum multi et longe audent ab Agria excurrere. Sic itaque cuperent esse aucti, ut hoc utrumque, quum occasio posceret, praestare possent. Si enim dimissis in praesidio arcis 400-tis vel 500-tis equitibus et totidem peditibus, ipsi pari numero excurrerent, quo vellent, memorabiles profecto res hoc praesidium gerere posset divina concedente gratia. Caeterum ubi pedites antea totidem fere servabantur in oppido, quot in arce, nunc 200-tis in arce habitis 100 in oppido retinentur, propter portarum custodiam, et nocturnas vigilias. Quum autem nec arci sufficiunt 200-ti propter ejus magnitudinem, nec centum oppido: attigi de hoc, in fine, ut quum nuncii partis hujus meminerint, majestas vestra sacra etiam a me aliquid intelligat, et sit ante informata. Cui Deus opt. max. donet et vitam longissimam, et prosperitatem quam maximam et sempiternam. Agriae 29. Januarii 1559., ejusdem vestrae sacrae regiae majestatis servitor subjectissimus, Agriensis.

Czímzete: Serenissimo et pientissimo principi, domino domino Maximiliano, Dei gratia regi Bohemiae, archiduci Austriae, duci Burgundiae etc. domino et regi mihi semper clementissimo. Posonii. Cito, cito, cito citissime, cito

CXX.

Maximilián cseh királynak Verancsics Anta·

Sacra majestas regia domine domine clementissime.

Memini me superioribus mensibus aliquoties, 1559. febr 1.
ccasionibus postulantibus, plura in consilio majesta-
ım vestrarum fuisse loquutum, ut majestates vestrae
ohiberent duella finitimorum cum Turcis depugnan-
ı, quod non alia causa provocarentur nostri, quam
in fraudem aliquam conjicerentur, explorarenturque
m ipsi, quam arces et loca, quae duellis hujusmodi
signantur. Qua praxi et Fylek et aliae non paucae
ces et loca, et fere quidquid hactenus et in Croatia
in Sclavonia, et in Hungaria finitimorum locorum
r sua tempora amisimus, incipiendo a Belgrado,
ud quod quotidie duellis certabatur, amissum est et de-
rditum, nec adhuc didicimus ea cavere, quae nobis
riunt perniciem, et in Turcarum fraudes et praedas
s deducunt.

Proximis diebus Turca quidam arcis Fylek mi
em quendam domini Bebek in singulare certamen
ovocaverat, et ex condicto inter eos convenerat,
apud arcem Haynachkew pugnaretur. Michael
arkewzy arcis ejus praefectus quum apud me hoc
rtamen fieri concessisset, plures ex finitimis nostris
confluxerant, in quibus mei etiam aliqui famuli
grienses, aegerrime dimissi, sed dimissi tamen ad
equites, ne vicinis pro usu defuissem militum

praesertim in re ante jam adhuc multo, quam ego Agriam redissem, acta et constituta. Die itaque abhinc tertia, quae erat dicta certamini, quum in locum nostri convenissent, Turcae quoque prodeunt ex Fylek arce circiter 50, nec in locum pugnae designatum veniunt, sed a longiore spatio depugnationem duelli ostentantes, litteras ad nostros dant, nunciantes: timere se propius arcem accedere, quod intellexissent, Agriensem episcopum et dominum Bebek in insidiis esse cum suisgentibus, eaque causa tam paucos de suis militibus cum adversario suo in pugnae locum dimisisse. Caeterum prodirent in campum, et aequo ac patenti loco certaretur. Qua conditione visus Turca nostris factus esse inferior, de qua in condicto jam transacto nulla fuerat facta mentio, prodire renuerunt, atque interim facti per judicem certiores ad mille Turcarum haud ita multum longe ab eo campo, in quem evocabantur, bifariam in insidiis latere, renunciarunt, commilitonem suum et honori et condictui suo satisfecisse, eum adesse in loco pugnae designato, exspectareque provocatorem adversarium. Sic extracta die collocutionibus hujusmodi per internuncios, nostri illinc abscedunt primis tenebris, vixque duobus milliaribus progressi invadunt, verum eis ibi non inventis, villam conburunt, et in praedam vertunt quidcunque et quoscunque in ea inveniunt. Exemplum sane opportunum vehementer ad roborandas monitiones meas, quibus hos finitimos nostros assiduo sollicito, ne Turcis credant, neque cum illis familiarius agant, quum quicunque fraudem et perfidiam velint pingere, Turcam pingant. Doleo tamen casum eorum, qui abducti sunt in captivitatem, inter quos nobilium etiam aliquot erant familiae; doleo etiam loci peri-

culum, cujus gratia rem hanc quoque tam multis prosequor, humillime supplicans, ut majestas vestra sacra simul cum dominis consiliariis dignetur rationem aliquam inire, et constituere, de arce illa Haynachkew vendicanda a periculo, et meliore quopiam statu conservanda; quia si perierit, circumventa erit, Agria, et fines isti pejus periclitabuntur. Distat a Fylek uno milliari, ab Agria sex, a Zenderew totidem, et a Putnok quatuor, qua est hosti via Cassoviam. Sedet autem loco eminenti et natura munito, male tamen et praesidio et munitionibus provisa. Qui vero praecst illi Michaël Saarkewzy, homo est plebeus, et licentiae plenus, nonnisi vagos et viles homines adjunxit sibi, et nisi praedatione promiscua uteretur, arcem eam tenere non posset. Cum Turcis autem, ut vicinus et eorum ingenii vel ignarus, vel negligens, ut ex nostris multi,modo agit familiariter, modo hostiliter. Turcae vero, ut ex usu, et natura sua facere solent, omnibus in rebus ei sese pro occasionibus accommodant, opportunitatem captantes, qua eum corripere possent, brevique id futurum formido, nisi cum eo transigetur aliquid, quo firmiore statu ac ratione consistat; nunc enim gravissima aegritudine laborat, et ea tali, quod dicitur una hora pluribus locis lectum commutare, tanquam phrenesi laboraret. Nam cum Turcae irruperant, unus ex militibus meis apud eum remanserat, qui vidit et illum cum morbo suo conflictantem, et qua etiam ignavia ac inscitia homines ejus bombardarum ejaculationibus navabant operam, quique vix sciebant quo loco tormenta essent collocanda et dirigenda; miraturque etiam nunc, quod vel hucusque locus ille non perierit.

Arx itaque illa, clementissime rex, quum sit loco

commodis nostris posita opportuno, munitaque non tantum loco sed etiam opere satis commode, possetque non admodum magno impendio conservari, quum non sit magna: consulerem humillime ut lustraretur commissariis aliquibus, qui essent viri militares, et vel cum hoc Michaële Saarkewzy modo et ordine quopiam necessario componeretur, vel aliquid aliud inveniretur quo arcem illam incolumem haberemus, quia in periculo manifesto versatur.

Ego hominem (quantum sciam et possim) officiose tracto, quia et ipse totum sese mihi obsequentem offert. Immo, quia proxime etiam nunciaveram illi pluribus verbis ne Turcis temere crederet, neve duella hujusmodi admitteret, et id genus alia multa, renunciavit: se nunc demum cognovisse vera esse, quae toties illi et scripseram et nunciaveram; quodque inposterum et meis usurus esset consiliis, et duella hujusmodi non admissurus. Quae duella si majestas vestra omnibus finitimis interdicere dignabitur, haud dubie non mediocriter finibus suis consulet, quum jam ego quoque ita milites meos instruxi ad eludendos provocatores hujusmodi, ut jam rarius provocent, cessentque ubi me non assentiri intelligant. Quandoquidem ipsi etiam Turcae, quum excusatione legitima volunt sese subducere cuipiam negotio hujusmodi, ad passam rejiciunt, sic nos quoque fucum fuco excludamus, et rebus nostris, quoad ejus fieri possit, consulamus oportet.

De rebus illorum aliis id solum perlatum est ad nos, hoc biduo Fylekum venisse novum praesidem, hominem juvenem, et nunc primum tyrocinio principis emissum, qui pro suis viribus partem aliquam ignominiae antecessori suo Velesano clade proxima

iustam reparaturus, militarem se et acrem virum his praeturae suae initiis ostentat, videturque non omnino quieturus; unde et apud arcem Haynachkew perpetravit hoc facinus in pagum deditium, et scalarum magnam copiam dicitur fabricare. Nos et apud ipsum et apud alios nobis suspectos tenemus exploratores, intenti ad omnium motus, ut non offendamur improviso, quum interim castellis etiam quibusdam, nobis adjacentibus, jam summisimus subsidia, destructuri paulo post, ubi gelu remiserit, et ligonem terra admiserit, unum in pago Arlo, quod est nobis in III. milliario Fylek versus, idque ob hoc solum, si teneri nobis non poterit; ea nunc potissimum occupati cura, ut quod est in Kaza detrahatur, speroque quod brevi detrahetur, humillimeque majestatem vestram sacram edocebo proximis litteris quicquid in hac re confecero. Quam Deus optimus maximus incolumen et felicem servet. Agriae 1. Februarii 1559.

CXXI.

Verancsics Mihály, testvérbátyjának Antalnak.

Salutem opto et felicitatem.

Post illas dominationis vestrae reverendissimae litteras per Belgramonium missas nullas alias in hanc diem habui. Signum est eam longius a Vienna, uti scripserat, recessisse; ad quas tamen litteras ego 1559. febr. 9.

prope trinis responsum dedi via veneta. An eas acceperit, omnino ignoro. Sed quoniam opera domini Zachariae Scaramelli missae sint, in eam opinionem venio, non periisse, et ideo eadem toties repetere superfluum arbitror. Ex praesentibus autem haec habebit: Nos omnes incolumi frui valetudine, ipsum vero parentem etiam athletice. Sola tamen uxor mea, quod uterum gerat, suo solito more omnibus rebus fastiditis summopere nauseat. Mea vero aegritudo adhuc mecum inducias habet, brevi tamen exspiraturas, cum instet mensis Martius, quem nulla ratione est evadere; quamvis huic podagrae etiam succenseam, eo nomine, quod ante festa natalitia suum officium facere neglexerit, distuleritque in hos menses, quibus me in itinere ad vos esse oportuerat. Tamen quoniam video festinandum esse, erit operae petium, quamprimum pedibus insistere potero, vel semisanum iter invadere. Nunc ad alia.

De dissidiis domesticis Turcarum imperatoris et filiorum nil certius est, quae sine dubio illum domi hoc anno retinebunt; particulariter autem nescitur hic, quid inter illos secutum sit hucusque. Sed et maria a classibus quiescent, multi enim apparatus in ea re audiuntur. Quid caesarea majestas in ista Germanorum diaeta concluserit, omnes provinciae istae hiante ore exspectant.

Quod ad nostram civitatem attinet: inter alias urbes vicinas annona commodiore fruimur, licet carissimo pretio omnia emantur, panis praesertim. Oboriuntur etiam ab aliquo tempore nocturna furta per apothecas et domos; nuper tamen deprehensus unus suspendii supplicio affectus est. Is erat Petrus Rancolinovich Placarius, propter quamdam butegam

mercatoriam expilatam, ablatis pecuniis et panno. Novo autem anno prima Januarii nocte praecedente parum adfuit, quin magna ex parte civitas conflagraverit; nam ignis erat accensus in Gorica circa domum Thomae Prahulich, cum spiraret vehementissimus Boreas, ita ut nemo vel accedere propius potuerit ad exstinguendum; tamen praeter omnium opinionem, singulari Dei miraculo exstinctum est incendium in medio cumulo ligneorum aedificiorum, non multis absumptis domibus. Aliud nihil est tale scitu dignum, nisi si hoc: quod Franciscus Semiunich Civuleta mortem obierit, desponsata in mortis articulo Dragna concubina ejus, et turpiter et indigne ad damnum filiae suae unicae.

Noster autem consanguineus dominus Michaël Lucich ex Venetiis satis honorifice rediit. Auctum enim est illi stipendium duobus ducatis plus; praeterea creatus est capitaneus super viginti equites croatos, primos qui in hac provincia vacaverint, tempore vero belli super quinquaginta. Christophorus vero frater ejus cogitat mecum venire ad dominationem vestram reverendissimam, nondum tamen totaliter secum deliberavit.

Joannes Bassanus, qui isthic degit penes dominationem vestram reverendissimam, huc ad parentem suum dominum Petrum dedit litteras, quibus extollit miris praeconiis favorem et gratiam ejus erga se, quando ipse pater in dies non cessat paria referre in utrumque nostrum, et licet antea quoque nos amave rit, tamen nunc singulari officio et veneratione exhib adeo ut nuper, cum nescio quid agelli emere voluis sem, nec aes suppeteret, ultro obtulit de suo se mutuaturum florenos 100. De cujus voluntate ego

id quod hic possidet, scripseram prioribus meis dominationem vestram reverendissimam, sed huc que responsum non habui, exspectamus tamen qu tidie.

Porro has litteras accepit a me noster Tranquil lus qui meta (?) solum causa divertit huc, ut accipia hasce litteras; quem cum interrogassem, num vellet ad dominationem vestram reverendissimam usque proficisci, negavit, nisi si Viennae fuerit, inquit. Quod reliquum est, nos Deum pro dominatione vestra reverendissima sedulo precamur, ut diu incolumis felixque nobis supersit, et ut gloria et fama ejus cum ubique, tum in hac nostra honorabili conditione quotidie crescat et augeatur, ut omnes posteri, sua in hac domo beneficia consecrata videant et fruantur. Ex Sibenico die 9. Februarii 1559.

Servitia sua commendat Franciscus Butrisith cum debita reverentia, eamque salute impertit. Salutabit autem dominatio vestra reverendissima meo nomine omnes suos praecipuos familiae charos, praecipue autem dominum Joannem Bassanum, et Joannem Pechy, et Lackonem. De Belgramonio nihil habeo. Bene valeat. Michael Verancius frater et servitor.

Czímzete: Reverendissimo domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi, comiti perpetuo Hewesiensi, sacratissimae cacsareae majestatis consiliario etc. domino observandissimo. Verancics Antal kezével: Receptae Agriae 19. Martii 1559.*)

*) A levélhez külön papiroson néhány cryptograph sor van mellékelve, e bevezetéssel: Interim, hisce diebus praeteritis, s e zárszavakkal: ipsa optime capiet consilium ex praeteritis.

CXXII.

Maximilián cseh királynak Verancsics Antal.

Sacra regia majestas, domine domine mihi semper clementissime.

1559. mart 6

Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam vestrae sacrae regiae majestatis humillimam commendationem. His nostri carnisprivii feriis passa novus Budensis Tuigon omnes finium suorum praesides convocaverat Budam, et proxime eorum in hos fines nostros excursionis factae acceptaeque cladis causam de mandato sui principis judicialiter discussit. Praesides fere universi omnem rei utriusque culpam in Kazzum passam, cui hic successit novus, contorquebant, eum et excursionem et praedam in deditorum pagis fieri praecepisse, lucri cujuspiam studio captivorum, quo hoc egressu suo et provinciae principem et praetorianos ejus passas donis conciliare sibi potuisset, quum descendisset Constantinopolim, expurgaturus suam de his ipsis accusationibus contra se factis innocentiam. Passa vero, etsi vicissim in praesides culpam, quam in se contorserant, retorqueret, Filekiensem tamen nomine Velisanum totius rei et motae et male gestae reum faciebat; eum inprimis ad se detulisse, Emericum Telekessy castellum Zerench cum exiguo milite obsidere, se cum Francisco Nymethy conjunctionem et mutuam intelligentiam habere, edocerique ab exploratoribus, mi-

nime levibus fundi ac fugari illum facile vel mediocribus copiis posse, foreque, ut eodem hoste victo, vel ab obsidione saltem depulso, et honorem et utilitatem non solum ii qui gessissent rem, sed etiam ipse passa Kazzum esset habiturus; hisque urgentissime et suasionibus et hortamentis adhibitis, eosdem apud se institisse totis viribus, ut ex praesidiis quanto majorem militum numerum potuisset, evocaret, et eos in unum convenire juberet.

Tanta itaque ad assentiendum opportunitate inductus, qua exercitum majestatum vestrarum vel interceptum vel saltem depulsum iri ab ea obsidione arbitrabatur, fateri se quidem in hoc dumtaxat peccavisse, si quid pecavisset, non invitum, quum in hostes domini sui, non autem in subditos eosque deditiios copias emisisset. Hisque ambarum partium rationibus auditis, Kazzum passam fuisse absolutum, ac Ezicum ire permissum, profecturumque illinc etiam Constantinopolim, nisi se muneribus redemerit, domini ac tyranni sui crudelitate absterritus.

Velisanus omni primum honore atque officio spoliatus, in vincula postremo et carcerem conjectus est. Nec parsum caeteris quoque praesidibus, quorum pars sponsorum fide conservati gratiae, ut Hatvaniensis et Vaciensis, pars, et fere omnes reliqui abjecti, ac mandato principis Constantinopolim missi, ut ibi gravius castigentur.

Haec exploratores nostri Buda nobis attulerunt, addidereque, palam inter Turcas affirmari principem eorum magna sollicitudine aestuare ob dissidium filiorum, suscepturumque haudquaquam contra nos, sed contra filium juniorem primo quoque tempore expeditionem, quod ille, jacta jam in omnem even-

tum alea, non in fratrem solum, sed etiam in patrem hostilem animum declaravisset; hisque de causis novum hunc Budensem passam habere in mandatis, ut pacem cum majestatibus vestris curet, ne princeps eorum hac intestina seditione domi occupatus, foris faceret aliquam in finibus jacturam.

Ubi advertendum erit ad tam callidi hostis ingenium, providereque diligenter oportebit, ne aliqui cum eodem hoste subiti tractatus, nimirum proximis similes ineantur, et nova quaepiam legatio in ejus casses ad simplicissima verba conjiciatur exemplo nostrae superioris, qua quomodo sese tyrannus ille cum vestris majestatibus gesserit, notius est quam ut refricetur ejus commemoratio; eritque magnopere cavendum, quod humillime dico, ne iterum illudat inimicus, quamquam ab ejus amicitia paceque non est fugiendum, si bello certare nequiverimus. At prius certa fide praenoscendum esse arbitror, an sit acturus sinceriter, ne postea (rem) vanis et contentiosis tractatibus tempus extrahat, dum perturbationes suas domesticas componat, uti fecit nostro tempore, quum Muztapham filium sustulerat.

De reginae Isabellae gentium conatibus, quarum adhuc per majestatum vestrarum ditionem pars magna vagatur, quid eadem habeat aliunde, nescio; ad nos tamen affertur, duo ab eis castella erigi in comitatu Zabolch, alterum in oppido Nagykallo, alterum in Zalka pago. Eched arci domini Nicolai Bathory vicino, ut ex eis Kiswardam obsessam teneant et premant donec ad deditionem compellant. Quae castella etsi a Kiswarda III. duntaxat milliaribus nostris distent aut circiter V, et videantur non admodum ei nocitura: quia tamen, ubi firmabuntur, omnem eam circumjacentem regionem sibi confestim vindicabunt;

haud dubie et Kiswarda brevi succumbere cogetur, et quicquid Agria decimarum in districtibus illis obtinuerat, habere desinet. Quod non solum ipsi Agriae afferet detrimentum, sed etiam arcibus et civitatibus, quae nomine majestatum vestrarum his in partibus sustentantur, imminuet commeatus, quandoquidem, uti scripseram proxime Eperiessio, illis in locis hae habentur decimae, quarum pars aliqua ad eas addici posset, quae commeatibus Cassoviae et arci Saaros quotannis ex hoc episcopatu assignari debent; id quod jam haudquaquam commode fieri poterit, si castella illa constiterint et evaluerint.

Quare tempestive occurrendum erit, clementissime rex, viribus aliquibus majoribus huic futuro detrimento. Alioqui si illud admiserimus, credat majestas vestra, Joannis posteritatem multo majores extemplo spiritus sublaturam, neque in hoc termino metam fortunae suae posituram, sed ulterius progressuram. Quo futurum maxime timeo, ne, quanto latius ipsa fines dominationis suae propagabit, tanto plurium subditorum vestrae sacrae regiae majestatis studia infirmentur, propter saeculi hujus et hominum et morum et temporum infelicitatem. Nec id loquor sine dolore animi vehementissimo. Ubi tamen quaevis natio coeperit hinc et inde vi majorum hostium subjugari, quam sua tueri sese possit, in id plerumque levitatis cadere consuevit. Quo magis majestas vestra sacra dignabitur serio et ad hos et ad illos fines respicere, quia res hunc in modum praesertim a Turcis, partim a rebellibus labefactatae, diu certe sine praesenti aliqua defensione non consistent.

Quod vero de Michaële Saarkewzy et de arce Hajnachkew proximis litteris scripseram, morbus

ejus in dies ingravescit, et interdum jam mania etiam dicitur laborare; ego intentus curae, ne arx illa quopiam alio a majestate vestra recideret eodem Michaële praefecto ejus moriente, familiarem quendam meum, non insulsi ingenii hominem, ad eum misi, jussique, ut in arce apud aegrotum tamdiu desideat, donec aut convalescat, aut decedat, agatque interim quicquid occasio suaserit, quo aut idem aegrotus moriens, aut milites ejus, ubi vita ille excessisset, arcem eam mihi sub vestrae majestatis nomine commendent, quam ego, si ad manus meas deveniet, ea cura et fide conservabo, donec de statu ejus aliter eadem majestas vestra statuerit, qua debebo quam diligentissima, vestramque sacram regiam majestatem humillime matureque edocebo, quicquid deinceps consequetur. Quam Deus opt. max. felicem atque incolumem servet. Agriae 17. Februarii 1559.

CXXIII.

Maximilián cseh királynak Verancsics Antal.

Ad majestatem regiam Maximilianum Bohemiae.

Proxime mihi et capitaneis meis majestas vestra 1559. mart.
sacra mandavit, ut bona quaedam domino Bebek, ad suos aliquando, praesertim vero ante et suam et paternam notam pertinentia, diu jam a Turcis subjugata et a nostris quoque vi armorum possessa, ut

pleraque alia, ab iis, quibus ob fidelia merita per sacratissimas majestates vestras fuerunt collata, reddi curaremus. Quod mandatum quoniam subito non sumus exequuti, humillime supplico, dignetur sacra majestas vestra gratiose nobis veniam dare. Nam visa eorundem bonorum tam majestatis caesareae, quam vestrae regiae in plures milites donatione, haudquaquam id eorum juris ausi sumus praecipitanter infringere, sed omnem rem ad judicium pro regni consuetudine et libertate utrarumque partium remisimus, non omnino sine gravi indignatione domini Bebek; quum aequitas suadeat,ut iis militibus alia bona reponantur ex majestatum vestrarum munificentia, etsi his eos privari oportebit, quandoquidem nulla exstent eorum demerita, propter quae sic eadem illis de plano adimi deberent.

Sed ad hoc mandatum alia quoque eodem tempore duo accepimus, alterum, ut possessionem Zolnok, arci in ipsis portis adjacentem Nicolao Enyey, alterum, ut oppidum Czegled, non a Pesto longe situm, Alberto cuidam Beleny nomine monialium Budae Veteris reddi curaremus; quae bona cum aliis pluribus, quum jamdudum a Turcis subjugata sint, a nostris tamen militibus metu armorum suorum non tam possidentur, quam in officio retinentur, coguntur-que reditus ac census regios ad arcem Agriensem administrare, de quo saepe jam ac saepius tractatum est in consilio apud vestras majestates; quidam, qui bona hujusmodi sua esse asserunt, nec ea tamen suo, sed Agriensium periculo et sudore tenere volunt, alieno clypeo, non suo utentes. Credat majestas vestra sacra, quod hos milites tanta propterea indignatio corripiet, ut si nondum bene pacatis cum

Turca rebus eadem bona avellentur ab Agria, intra breve tempus tam multi dilabentur, ut dimidia pars vix eorum remanebit; cladis enim et malorum tempore quum ii ea bona, quorum fuerunt, pro derelictis habuerunt, nunc quum jam vident teneri ac utilitatem ex eis aliquam capi posse, ad parata alieno sanguine et virtute recurrunt. Vestra tamen majestas sacra dignetur clementer scire, quod si desinent Agrienses per eas partes excurrere in quibus sunt similia bona, nec dominus Bebek ex Zenderew, nec Nicolaus Enyey ex Patak, nec moniales Posonio aut hinc eorum substitutus poterunt ea obtinere.

Et tametsi ipse etiam putem me habere spiritum Domini, nec tam rapaciter vel aliena affectem, ut impudenter ecclesiasticis abuti velim: Agriae tamen nisi hac etiam ratione consuletur, hoc statu regni rebus sese habentibus quo nunc habeantur, neque camerae tantis sumptibus sufficiant; juro humillime vestrae sacrae majestati, male eandem Agriam habituram, utcunque vestrae sacrae majestati consulitur. Quoniam autem et dominis (sic) monialibus ex conventione ipsimet Czegledienses reditus suos quotannis pendunt, cur se quidam tam impudenter in hoc officium ingerant, satis mirari nequeo, et praesertim hic Albertus Belleny, qui quum olim obsidione Agria cingebatur, et viri fortes ac boni eam obsidionem subire non verebantur, ipse tunc et Agriam destituit, et majestatum vestrarum stipendia, quae diu fecerat antea, rejecit, nunc tamen et ipsius Agriae fovetur gremio, et alienis periculis otio suo prospicere contendit; quod quam indignum sit, majestatem vestram sacram considerare non dubito, et supplico humillime, dignetur mihi ignoscere, quod haec tam

verbose fuerim persequutus. Multa enim fere quotidie a majestatibus vestris postulantur aliter quam postulari deberent. Sed jam postquam eadem majestas vestra sacra videt. et hunc Albertum hoc officio et pane bonorum militum indignum esse, monialesque esse satis commode provisas, nec dominum Bebekum jure hos milites privare posse, qui ab initio penes unam fidem in servitio majestatum vestrarum permanserunt, et modo etiam permanent; ac verendum sit, ne qua Agriae accersatur perturbatio, si bonorum hujusmodi detrahetur illi sustentatio, quorum in conventione etiam mea tanquam in inventario facta est non levis mentio: majestas vestra sacra dignabitur secum clementer expendere, quam sit hoc periculosum factu, quum in comitiis etiam responsum dederit nunciis Agriensibus: ex proventibus episcopatus Agriensis milites ejus foveri oportere, donec ex cameris vestrarum majestatum provideri poterit. Quod si ita omnino fieri debebit, ut omnino debet, et fit quotidie, quantum fieri possit: quorsum Agriae hujusmodi bona detrahi debeant, ex his jam vestrae sacrae majestati liquido constare potest. Et restat me de hiis ipsis bonis ad pacatiora tempora retinendis exspectaturum mandata, quae et majestatibus vestris utiliora et militibus Agriensibus erunt gratiora; daturus interim omnibus verba, quae potero aptiora, ad rem differendam et impediendam, quia haec finitima loca tueri non possunt nisi hominibus et sumptibus. Et majestatem vestram sacram Deus. opt. max. diu felicem et incolumem servet. Agriae VI. Martii 1559.

CXXIV.

Ferdinánd császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima caesarea et regia majestas domine domine Imperator et.

Quoniam quaecunque successivis diebus in his fini- 1559. mart. 7.
bus accidant, quaeque ipse etiam Agriae rerum geram, non praetermitto ad sacram regiam majestatem Bohemicam dominum meum clementissimum scribere diligenter, ad vestram quoque sacratissimam majestatem caesaream si itidem non facio, ea causa fit, quod occupationibus et curis ejusdem maximis et multiplicibus nolim addere molestias; in quo siquid fortasse videar deliquisse, et defuisse meo officio, supplico humillime, dignetur majestas vestra sacratissima clementer mihi ignoscere. Caeterum quum his diebus ex Turcia litteras accepissem de non levibus rebus operaque Rogerii Tassi venetae majestatum vestrarum postae ad me perlatas, et ad sacratissimum regem Bohemiae subito datas, eam earum partem in latinum ex Italico traduxi, et ad vestram sacratissimam majestatem misi, quae de rebus magni Turcae et ejus filiis Persaque et Philippo rege scribebantur; nec id feci quia ea sacratissimae vestrae majestati essent ignota, sed ut apud me, ratione loci ex quo sunt datae, considerata

non supprimerentur sine sacrorum meorum principum scitu.

Praeterea quod pari ratione videtur ad ea facere, quae his ipsis litteris continentur, est apud nos homo quidam nostras, ob quoddam crimen, servatusque in carcere cum captivis, eorundem lingvae non ignarus, Turcis tamen ignorantibus. Nuper itaque, quum unus ex iisdem captivis, qui pecuniam, qua se redimeret, Budam quaesitum, sponsore sui dato dimissus fuisset,et rediisset vacuus,a caeteris captivis hoc nomine interrogabatur, quidnam eorum princeps moliretur,essetne expeditionem in Hungariam facturus, quoque totus reliquus ejus rerum status haberetur, et id genus alia. Respondit, nunc statu res ejus esse pessimo, alterum ex filiis cum eo agere hostiliter, eumque illi eripuisse Aegyptum, et in dies potentiam ejus contra patrem augeri, nec possibile esse,ut expeditionem Hungaricam hoc anno suscipiat, quin potius, si quod bellum gerendum erit ei, iturum adversus filium,cui cum Persa et foedus amicitiae, et armorum societas intercessisset, ac demum totam Turciam hoc tumultu esse perturbatam ac sollicitam; atque supramemoratus homo, quaecunque Turcae inter sese de hujusmodi dolentissimo animo contulerant, observavit, et nobis recensuit die postero.

Noster quoque explorator,quem Budam miseramus, ut intelligeret aliquid tam de motu praefati magni Turcae, quam de novi hujus passae actionibus, retulit, ab amico quodam suo sibi esse dictum, nihil certi constare de ejusdem Turcae in Hungariam expeditione, huncque rumorem modo valde intendi, modo remitti, nesciri tamen, quanam id causa nisi si difficultates tegerent, quibus nunc laborant, et potius cum ipsum

Turcam nullam habiturum contra nos expeditionem credi oportere,neque habiturum,quia a filio et ex Asia metueret complures; alioqui hoc tempore naves apud Belegradum onerari frumento, quod subvehetur Budam, illudque si quum advectum fuerit, reponeretur ad servandum,venturum Turcam; si vero aut exponetur venui, aut distribuetur inter milites, non venturum, signum erit. Et haec de Turcicis rebus;ego vero, ua cum praefectis meis, novum hoc ver assequuti, opeibus quibusdam Agricusibus operam dare incepimus,)eum opt. max. assidue orantes, ut majestatem vestram acratissimam diutissime felicem et incolumem servet, uisque sacratissimis conatibus atque vigiliis optatos iccessus cedat. Agriae 7. Martii 1559.

CXXV.

Nádasdy Tamás nádornak Verancsics Antal.

Ad magnificum dominum comitem palatinum Nadasd.

Illustris et magnifice domine, domine fautor et atrone mihi semper colendissime. Salutem et ser- 1559 mart 7
itiorum meorum propensissimam commendationem. abeo maximas gratias vestrae magnificae domina- oni de novis rebus, quas communicavit mecum, nec aetermisit his tot et tantis comitiorum negotiis occupata, mihi etiam vacare plusculum. Quam ego qui- m benevolentiam vel potius gratiam singularem et ficiis meis studiosissime promereri contendam, et

nova novis compensabo. Verum ubi de capellani mei*) Romae apud sanctam sedem apostasiae et lutheranismi causa in carcerem conjectum esse scribit, quem pro mea et pro caeterorum reverendissimorum dominorum fratrum meorum confirmatione eodem miseram nuncium, etsi id tempestive cognovisse non mediocriter placuerit, ut mature de substituendo quopiam alio curam gereremus, quod est omnino factu necessarium, dolui tamen vehementer, qui et ipse in id calamitatis, miser satis alioqui, et a me et ab aliis de sola apostasia praemonitus, quum lutheranum esse nunquam deprehenderim, impegerit, et negotium nostrum intricaverit. Sed quid? res humanae fere omnes sic se habent, ut etiam hae, quae optimis consiliis gubernantur, perturbationibus suis non careant. At nos electi prospiciamus rebus nostris oportet, quemadmodum jam ad eosdem perscripsi, quid nobis faciendum esse sentiam. In Imperio autem faxit dominus Deus, ut omnia publico Christianitatis, nostri praesertim afflictissimi regni commodo et gerantur et constituantur, nec dubito respiraturos jam nos, postquam sacratissimus rex noster ad ejusdem imperii clavum accessit. Res vero Gallicae si cum Flandris convenient, orbis ipse a malis conquiescet. Sed diffido Gallo, metuoque vehementer, ne Turcae socio et confratri suo operam mutuam reddat, juxta illud: „mutuo muli scabunt", donec tyrannus ille domesticum incendium exstingvat. Ideo solertissime erit advertendum, ne et Gallus spe pacis nos eludat, et Turca opprimat improviso, dum rumores belli domestici spargat, quasi hoc negotio intestino praepeditus

*) Így. Világos hogy, capellanum meum'-nak kellene itt állani.

parsurus esset nobis, quo omne tempus nostrorum apparatuum frustra efflueret. Ego ab his de utroque hoste suspicionibus divelli nunquam facile possum, quippe, quae prima et potissima Christianorum perditio est, Turcae credidisse; secunda et ultima: foedus atque amicitiam cum eo contraxisse. Quod ipsum et de Gallo, et de posteritate Joannis teneo, qui Turcae armis freti et amicitia ac societate irretiti, ingenio etiam ac maleficiis ejus sese accommodant,ut vincant, et fructu scelerum suorum potiantur.

Sed de ejusdem Turcae motibus ac domesticis turbis, deque Persae victoria, quam adeo ingentem dicit superioribus mensibus de Tartaro retulisse, censeo nihil esse dubitandum, si litteris fides est adhibenda, quas mihi per hosce dies ab eo amico ex Turcia attulerunt, cujus antea etiam vestrae magnificae dominationi scripta ostenderim, et nunc in specie has ipsas ejus litteras solito more meo ad majestatem regiam dominum nostrum clementissimum miserim, traductione earum in his expressa, quo et dominatio vestra magnifica et mei caeteri domini observandissimi eadem intelligerent. quum sint et multa, et non sine, ut videtur mihi, consentanea ratione exarata.

Quod (inquit) ad Tattae amissionem attinet, quae capta est sub induciis, doleo; sed ii ob illatam a suis vobis hanc injuriam semper dubitaverunt, quod caesarea Romanorum majestas, ubi September excessisset, esset eis motura bellum, agressique ob hunc metum artificia et praxes suas, sedulo ostentarunt id captivitatis Tattae plurimum suo displicuisse principi, quo interim ab apparatu belli contra se faciendo supersederetur, nec nostris armis vexarentur. Hisque de causis mandaverant suis finitimis, ut quieti stude-

rent, nec excursiones facerent, summa adhibita diligentia, ne caesarea majestas ad movendum ei bellum provocaretur, veritus incommoda, quae sibi ex hoc accidere potuissent, quamquam plus fortasse detrimenti, quam utilitatis retulisset, et tametsi decrevisset ab armis sese continere hoc tempore, quod haudquaquam pro praesenti rerum suarum satis adverso statu habeat modum finitimis suis succurrendi, propterea tamen non intermisit commeatuum et munitionum curam. Mox enim in istos fines mitti Danubio mandavit pulveris tormentarii magnam copiam, et globos ferreos, pro majoribus machinis, quorum minimi XVIII, maximi XXIIII occharum essent ponderis, duodecies mille, et ligones, et palas, et id genus alia instrumenta, usibus fossilibus in bello necessaria; saccosque crassioris telae centies ac octogesies mille, tumulis excitandis ad obsessorum murorum altitudinem superandam et conscendendam; postremo fusores quoque bombardarum misit Budam; et hinc multi conjiciunt, quod sit anno insequenti oppugnaturus Viennam. Verum pro opinione secretorum et familiarium quorundam amicorum, maxime vero N. nostri, tui peculiariter studiosi, qui ait se ab N. quodam affine suo, intimo et domestico ministro Turcae intellexisse, animum ejusdem esse propius ad Transsylvaniam accedendi, quod omnino eam provinciam apud se deliberaverit obtinendam, et basilicae suae, quam aedificavit recens, summittendi, sic eam nomine suo dotaturus et ditaturus proventibus ejus, ut aeque ac reliquae majorum suorum eleemosynas erogare possit. Quapropter mirifice doleo, reginam has tam magni momenti res non perspicere, neque providere, vitareque, ne ipsamet suum evertat tandem domina-

tum; deberetque sane sedulo cogitare et prae oculis habere Szokoli, Raduli, et cujusdam tertii, primariorum hominum Valacchiae Transalpinae casum, quos hic princeps, fide et salvo suo conductu ad se perductos, mari haud ita multo post, juxta vicinas huic urbi insulas, summergi fecit.

Sic vereor reginae quoque ipsi eventurum, si Deus quodpiam remedium non interposuerit, quo hic princeps propositum mutet. Quippe quem audio dixisse quod ipsemet Bebecchi mortem et sanguinem ulcisci ac ejus bona, tanquam servi sui, occupare velit; nam ipse Bebek ductorem se ejus exercitui futurum receperat, persuasus, quod hac ratione ad summam quampiam rerum esset evasurus, nimirum si effundendo humano sangvini, variisque formis excogitandis, quibus alienos status perturbaret et fortunam everteret operam daret. Quapropter justo etiam Dei judicio ad tam ignominiosam mortem cum complicibus suis perductus est. Neque ex his considerat regina subtiles horum astutias et occultas deceptiones, qui simulantes et persuadentes illi primum se Zygetum, Comarum, Viennam, et dehinc Agriam oppugnaturos, utinam potius, Gyula et Zigetto pertentatis Transsylvania non sit prima, quam experiantur, et eam sine evaginatione gladiorum, fidei, amicitiae et benevolentiae colore sibi vendicent. Quia ii summa sunt dexteritate, summo artificio ad inveniendas occasiones, quibus aliena regna intercipiant. Nec plura de hoc dixerim, quamquam haec etiam, quae sum hucusque persequutus, in bonum et quidem in eum finem exposui, ut ob oculos ponerem, quae accidere possent.

Sed propterea ex parte altera nihil habemus certi, nec firmum facere possumus judicium, si hic

princeps ad bellum extra sua regna poterit proficisci, ob diversos respectus, de quibus jam deinceps dicam; et primum pro eo, quod videmus palam, scito, eum magna indignatione ex imaginationibus novarum rerum esse succensum, quum sit homo elatus, iracundus et intolerabilis. Unde fit, quod perturbationes etiam accipiat non mediocres, quippe cui tot etiam intra breve spatium temporis supervenerunt insperatae res, haeque adversae omnes, ut bellum, quemadmodum ex bono loco habeam, quod meditabatur apud vos gerere, meo et eorum hominum judicio, de quibus supra memineram, longe nunc est alia gerendi voluntate, quam eum diebus proximis fuisse cognosci potuit. Et videntur ejus consilia et conatus frigidius procedere metu eventuum, qui controversia et tam manifesto bello filiorum accidere possent; maximoque ex his angore aestuat, recogitando assidue secum, quam miros, quamque etiam adversae qualitatis effectus haec ipsa filiorum controversia, quae est habenda maximi, posset producere.

Quum enim pater utrumque filium, Zelimum ac Bajazicttum, longius ab se et distantius alterum ab altero collocare voluisset, ut et ipse securius regnaret, et ipsi agerent inter sese quietius, jusserat majorem Iconium in Ciliciam, quae nunc Caramania dicitur, minorem vero natu Amasiam in Cappadociam proficisci, hisque in locis zangzacatus suos gerere. Major nomine Zelimus patri parere non recusavit, minor etiam contempsit; et quia Zelimus ex priore zangzacatu, quem Magnesiae in Mysia Phrygiae habuerat, per ea loca Bithyniae in Caramaniam transire cogebatur, quae tenebat frater, multo copiis majoribus instructus quam esset ipse, metuebat sibi; ne tamen patris mandatum praeterisse videretur, et dissimularet metum

movit Magnesia cum IIII. duntaxat millibus hominum, et ingressus iter tam lente illud agere coepit, ut vix milliare unum in die promoveret, crebro consistendo, et extrahendo tempus digressibus, donec fratrem hiisdem locis excessisse, sibique tutum iter reliquisse cognovisset. Qui vicissim tantum abest ut eo proficisci voluerit, ut potius extemplo pedem firmaverit, et aggressus fuerit omni ex parte earum regionum majorem militem contrahere, coactoque XII vel XV circiter millium hominum equestrium lectissimorum numero, non ex solis Turcis sed etiam ex Persis, Curtis, aliisque nationibus, et progressus nonnisi biduum, denuo constitit eo animo, ut passum ultra nequoquam faceret.

Quo mirifice offensus parens ter ad eum per janitores suos, quos Cappizias vocant, nunciavit, ut Amasiam tandem proficisceretur. At ille vicissim suis ad patrem missis nunciis oravit summo studio, ut in suo zangzacatu, in quo adhuc erat, ex eoque excedebat, illum hiemare pateretur, vel saltem in Magnesiae urbis zangzacatum, quo frater erat excessurus, liceret ei proficisci, ibique gerere zangzacatum, aversatus Amasiae mansionem, ut fatalem locum omnibus, qui ei ex ottomana stirpe retroactis annis praefuerunt, qui nimirum omnes fuissent ab adversa fortuna vehementer infestati, et sortiti demum eventus infelices.

Verum hac illi facultate a patre non concessa, mox ad necessitatem conversus, tres filios, et tres filias, cum reliquo foeminarum suarum gynaeceo, et tota supellectile Amasiam expedivit, servato apud se quarto filio aetatis suae annos nato XII, qui cognita utcunque perturbatione parentis, divelli ab eo

nulla potuit ratione, quum insuper magnis vocibus profiteretur, se cum patre suo et vivere et mori velle, tantoque animo pueri motus pater eum apud se retinuit. Postea, quasi magno quopiam exoneratus esset pondere, ab se familia amandata, vertit animum ad fratrem bello insequendum, urgendumque ad conserendas manus, studio contentionis, quae est inter eos, finem attingendi. Zelimus, cui et animus, et vires desunt, Prusam cum admodum parva existimatione venit, esto quod sit et natu major et patri charior; unde ut est vino deditus, ita etiam avarus habetur ab omnibus. Bajazettus contra, qui et fratre est liberalior, et a tota gente sua diligitur, decrevit eodem omnino potiri, vel vivo, vel mortuo, utcumque Prusam sese subduxerit, et in ea civitate securitatem sibi constituerit. Fit itaque ex his, ut omnes qui habent rerum gerendarum peritiam, judicent jam nec rationem ullam esse redeundi Baiazettum cum patre in gratiam, posteaquam ei sese tam aperte, enseque stricto inobedientem declaravit, nec deinceps in quiete vitam acturum, ulloque loco sine suspicione, quoad vivet, mansurum, donec aut ipse fratrem, aut ipsum frater confecerit.

Quem pater adeo magnum ignem exstincturus, misit passam Pertanum ex quatuor ultimum ad Baiasettum cum trium vestium aurearum munere, eumque nomine suo moneri jussit, pareret patri, et Amasiam in designatum sibi zangzacatum sine mora proficisci non recusaret, in eoque pro sua voluntate, et mani dato moraretur, alioqui sciret, postea, errore jam commisso, omnem illi poenitentiam fore frustraneam.

Passa Pertanus legationem hanc subiturus, fertur in discessu, testamento condito de ultimis rebus

suis statuisse metu, ne eum Bajazettus partim existimationis suae amplificandae causa necaret, partim ut populis de se incuteret pavorem. Simili ratione ad Zelimum quoque Prusam legatum misit Mehmetum quatuor passarum tertium cum simili trium vestium munere, et mandato, incumbens totis viribus, ut memoratos filios in mutuam concordiam revocaret. Quod quidem difficile factu erit, quia opinio est, Bajazettum cum Persa conjunctionem et occultum foedus habere, eique omnium locorum restitutionem promisisse, quae pater ab eo acceperat elapso tempore, si ei amicus fuerit, et paterno imperio ejus auxiliis potiretur. Et tametsi res hujusmodi non sint in hoc statu permansurae, Bajazetti tamen superbia ea est, quae jam paternam exsuperat, palam et animose ostendens, quod in amasiano zangzacatu manere nolit. Et sic, legationem hanc ii duo passae quonam sint effectu peracturi, adhuc ignoratur.

Hic vero princeps dubius ex his admodum de motu Persae opportunitatibus suis consulere non omittit, apparatus intendendo, et expediendo quo ad resistendum paratus et praesto esse possit, si forte inter eos bellum exardesceret. Quum diebus proximis jam Zkender passa summus praefectus Turcae eorum finium, qui sunt ad Persiam, scripserit huc, [illegible] quibusdam signis colligere, et quasi jam plane noscere, Persam omnino motum aliquem [illegible] ineunte vere tentaturum, victoria tunc [illegible] nunc obtinuit de Tartaris. Ii enim cum LXX. [illegible] libus familiarum ingressi in provinciam [illegible] summas ejus regionis montes insederant: [illegible] e regnis suis aversurus hanc nationis [illegible] viem, filium in eos immisit pleno [illegible]

XIII. die Augusti mensis habito cum hiisdem Tartaris praelio rem feliciter gessit. Amissis enim ex suis IIII dumtaxat millibus hominum, CXX hostium millia confecisse fertur. Qui vero tantae cladi superfuerant, in montes illos ad familias suas fuga facta, salvos se fore crediderunt; sed hac fiducia frustrati sunt, quia idem Persae filius hiisdem conscensis montibus novum in eos impetum fecit, ubi post aliam victoriam omnibus maribus ac impuberibus interfectis, uxorum ac filiarum et servarum greges in captivitatem abegit.

Hoc novum verum est, et merito hic idem princeps secum in animo suo discruciari, et semetipsum rodere debet, quod scopum, quem destinaverat sibi, nequeat attingere, quum destinata hujusmodi non semper eventus obtinent, quos conceperant. Unde expeditionem aliquam contra exteros, maxime vero in Hungariam educere, non erit ei facile, quum modo res ipsius in aliam formam commutatae sunt, alium cursum tenent; haedemque pro judicio meo, si hoc statu fuerint, quo sunt impraesentia, haud quoquam poterit proficisci, esto quod hoc tempore nullibi bellum gerat, et minus ipse etiam credo quod illud vel per exiguum habere desideret, quando quidem omnes et orae Graeciae maritimae consumptae sunt fame, ac plurimis affectae malis, et respectu filii Bajasitti, contra quem immortali odio commotus est, laboratque etiam maximo metu, ne occasione suae absentiae Constantinopolim veniret, et in thesauros invaderet. Quapropter homines judicio praediti omnia hujusmodi secum expendunt, agnoscuntque, eundem ne Adrianopolim quoque hoc anno proficisci audere, quantumvis elatius animum gerat, et sese jactitet,

peroque quod confusus ad postremum remanebit. naxime si pax inter Philippum regem et Gallum consequetur, uti hic consequuturam omnes judicant, quod iis ea esset parum e re et intempestiva. Ad Algerum vero quod attinet. superioribus diebus a Hazzan aga filio Barbarosae ejus loci summo praeside venerant duae triremes, et per has nunciarat caedem nostri exercitus, quem ducebat Orani comes cujus ob audaciam nimis temere fortunae sese identidem exponendi, accidit id erroris, et clades earum copiarum accepta est. De qua sane debemus non immerito dolere, Deusque tam illorum. qui occisi, quam qui sunt capti, misereatur. Hazzan autem aga tanta victoria elatus classem integram petiit ab hoc principe, quo mox, ubi navigandi tempora subierint, expeditionem contra Oranum ducat. Cui responsum est, ut a quibusdam turcicae classis praefectis amicis meis accepi, quod ei X triremes ad futurum navigandi tempus idoneum mittentur, et si contigerit principem hunc in Hungariam cum expeditione non proficisci, ad has X addentur quinquaginta; sin vero proficiscetur omnino, hoc etiam eventu fore ut eadem classis emittatur, sed maritimis duntaxat provinciarum suarum custodiendis oris. Utque hactenus intelligere potui, jam injunctum est scribis, quibus hae incumbit cura, ut expediant mandata ad evocando remiges, et caeteram classi turbam necessariam, n id pro majore quam pro LXXX triremium numer doleoque ipse mirum in modum quod iis tant fortuna faveat. Nam proxime etiam classis XL triremium, quae ab expeditione rediit, vix remos singulae triremes per omnes foros l erunt, et quicunque hostis obviam illis isset,

dubie superior eorum exstitisset, quia vacuae erant hominibus aegreque suffecerant salvis et incolumibus domum reducendis. Licet autem satis magnam nostrorum hominum fecerint praedam, tamen de illis etiam desiderati sunt maximo numero, partim tabe diversarum aegritudinum confecti, partim vi hostium in depraedationibus et in locorum oppugnationibus caesi.

De Gallo autem oratore, Vigna nuncupato, credo, quod ei brevi succedetur, quamquam ipse dicat, se non hinc recessurum, nisi cum classe, quam promissam sibi esse jactat. Quod illum eo animo spargere existimo, ut vox in vulgus exeat, regi suo Turcae amicitiam non defore etiam imposterum, quo facilioribus et honestioribus rex ejus conditionibus pacem faciat cum Philippo. Qui orator Vigna argutis suis inventionibus, et occultis libellis supplicibus crebro huic principi exhibitis effecit, ut oratores Genuensium spe et consilio suo frustrarentur, dimitterenturque parum decore et infectis rebus.

Conqueruntur autem, quod hic princeps verbo et promissis suis quae illis fecerat, non stetisset. Quumque de his apud Hrustanum Passam agerent diligentius, responsum habuerunt, quod libelli eorum supplices, quos a Francisco franco, cognominato Turturino, acceperant, non fuissent a principe intellecti, verum postea intellectis, et cognito, quod uterentur vexillo Philippi regis, cruce rubea insignito, cum haudquaquam cum illis foedus habere velle, nisi statuerint se et amicorum amicos et inimicorum ejus inimicos fore; conditioneque hujusmodi ab oratoribus non accepta, mandatum illis est, ut intra dies VIII interdicti omnium etiam rerum mercimonialium emtione, Constantinopoli recederent; cui mandato more

gesto et eodem ad diem exequuto, solverunt hinc, eosque jam Chium pervenisse intelleximus. Franciscus vero Turturinus, qui legatus civitatis ejus diu jam hoc foedus curaverat, et crediderat. Hruztanum se pugno tenere clausum, uno momento tanta spe dejectus est, eique omnis labor, omnis industria redundavit in nihilum, nec id ob aliud quam ob avaritiam, imbecillitatem, et fastum ejus urbis magnatum. Quorum animi plane sunt hoc experimento cogniti, et haud scio qua justa et legitima ratione has suas praxes apud Philippum regem salvabunt, quove easdem ipse ab eis est accepturus animo, ea re potissimum, quod promiserant Turcae se intra biennium, ubi tres millione aureorum nummum a Philippo rege, quos ei mutuo dederant, exegissent, Genua classem imperialem amoturos, ab eodemque Philippo defecturos, quando quidem ea essent facultate et fiducia, quod tot triremes adornare possent, cum quibus cuivis principi opponere sese non dubitarent.

Unde meo quidem judicio iidem Genuenses continendi erunt bonis verbis, et quadam quasi comitate restituendam illis pecuniam suam esse censerem, quod interim cogentur in officio persistere, et sese bene affectos demonstrare, fientque hunc in modum sub manu multo meliores, et quales esse oporteat. quamquam cum Hruztano passa mira quaedam de maximis rebus, et quae universae christianitati, quemadmodum dictum est mihi, cessura essent in praejudicium, contulerunt. Hisque modo honestatis gratia silentio commissis, prosequor alia, quippe qui dum cum eodem Turturino essem una hospitatus, et animadvertissem nimis crebro et intime, et occulte illum cum passa agere, suspectum habui, decrevique nego-

ciationem ejus intelligere, quam cautissime potuissem, modumque assequutus avertendi et perlegendi scripta ejus in cubiculo, quo pene simul utebamur, reperi schedam unam ad passam exaratam, qua illi declarabat, esse sibi facultatem agendi et concludendi de induciis inter Philippum regem et magnum Turcam faciendis observandisque terra et mari. Postea idem Turturinus, quia amicus esset mihi, quum jam in procinctu esset discedendi, contulit mecum de omnibus, quaecunque egeratet transegerat, pariterque confessus est peramanter, quod cum Hruztano passa convenisset, quodque jussisset, ut reverteretur ipse ad Philippum regem, et edoceret eum, decrevisse principem suum inducias cum eodem Philippo facere, et arma terra, marique suspendere. Eniteretur propterea summa diligentia, ut a Philippo rege cum responso per totum Martium Constantinopolim recurreret, quo cognito Philippi animo, princeps etiam ejus tempori deliberare posset, an expeditionem in Hungariam sit prosequuturus, necne.

Atque his hunc in modum actis Turturinus hinc recessit, et jam vigesimus dies est a discessu ejus. Iter autem acturus erat terra Ragusium versus, inde mari Anconam transmissurus, et demum promoturus Romam, gratia de hiis colloquendi cum domino Barkas oratore Philippi regis, qui Venetiis eodem erat venturus, uti ex ejus literis, quas ex eadem urbe ad eum dederat, iter parans cognoverat. Et quantum ipse Turturinus judicabat, in magnam venerat spem, quod hoc induciarum negotium perventurum esset ad effectum. Nec defuit per me, quin in dies tam de his, quam de omnibus aliis similibus rebus diligenter et minutim dominum Augerium edocerem,

ob ejus singularem erga me benevolentiam, qui quidem summa se prudentia et regit et gerit, illud non mediocris gratiae divinitus assequutus, quod Philippus Baldus, unicus solator ejus aerumnarum ac solitudinis summissus ei fuerit, quando quidem chaus custodiae ejus excubator neminem ad illum tam turcarum, quam christianorum ingredi permittit, tametsi habeam ipse modum dandi ad eum fere quotidie literas meas, et illius recipiendi Venetias destinatas; cui quidem operae nunquam hactenus defui, nec defuturus sum etiam in posterum.

Caeterum habita ab eodem domino Augerio facultate, si modo eam mihi concesserit, ipsemet istuc veniam, singillatim coram de omnibus rebus hujusmodi rationem expositurus, veniente hoc principe in Hungariam; ubi tam cum Majestate caesarea quam cum serenissimo rege Bohemiae communicabo meam quandam opinionem, idque (uti jam dixi) si Turca Viennam et ad vicina ejus loca voluerit venire, contendamque omni studio, ut uno mense ante sim istic quam ipse aderit, quum sit mihi tale quiddam, quo, uti ipse existimo, maxime hostis exercitus poterit disturbari, quamquam alioqui omnes communiter, qui sunt ingenio praediti, judicant, quod propter causas et res superius enumeratas, haudquaquam inpraesentia, quod videmus manifeste, venire poterit. Hisque hic fine posito, reliqua quaecunque successivis diebus consequentur, perscribere curabo diligenter.

Nec harum literarum XX Novembris proximi Galatae datarum fuere alia, quam salutationes, commendationes et officia. Quibus omissis, ut ad rem nihil facientibus, ea dumtaxat ex eis verti, quae de novis rebus habuerunt, transmisique ad ve-

stra mmagnificam dominationem; quae qualia fuerint, ex eorum collatione intelliget, quae istuc aliunde perferuntur. Nam videntur mihi satis prope ad veritatem accedere, nisi hoc fortasse fallar, quod facile credam id quod maxime vellem, juxta afflictorum hominum conditionem. Sed hic etsi quotidie fere aliquid de his audimus a vicinis qui nobis imminent, et non solum armis, sed etiam rumorum terriculis premere nunquam nos desinant, ego tamen omnem istinc tam de magni Turcae expeditione, quam de Philippi regis et Galli pace opperior veritatem. Quae si revera confieret, sperarem nos quoque quieturos, fines postremo hi nihil omnibus sunt, quam antea esse soleant. Novus hic passa cum zangzachis novis omnium dedititiorum subditorum immunitates et jura commutat, eaque omnia sic astringit, ut paulo miseri post ad restim usque astringentur. Giula quoque in dies magis ac magis circumveniri coepit. Lippensis begus ubi primum iniit eum zangziacchatum, magnam copiam silvestris materiae subditis caedere et eam ad castellum, quod nuper apud Giulam erectum est, comportari mandavit, animo aliud ibidem erigendi, et jam erectum dilatandi, Gyulenseque praesidium magna et gravi esse sollicitudine, nec illud sine tumultu fore, quando praefectum novum quem hinc 27. Februarii expedivi cum homine meo praecipuo, et equitibus XL recipient. Remque aut ejus aut hujus loci exaggerare pluribus nolo, ut quam scio esse notissimam; omnes tamen hi fines magnopere laborant, et imbecilles sunt, nec aliam illorum videor mihi videre conditionem, quam quae superis ac fortunae relinquitur. Obsecro itaque dominationem vestram magnificam, et omnes caeteros dominos,

ite horum finium carum, quia hostes non dormiunt, endumque maxime est, ne, dum nos spe et studio is aliud agimus quam quod res postularet, finium uam, vel horum, vel aliorum partem amittamus, m et illud per captivos ad nos affertur, vix eorum ıcipem expeditionem contra nos facturum, emis- um tamen e primariis passis unum, cujus non aliud ndatum erit, quam Zigetum, Gyulam, Agriam et ansilvaniam tentare. Quae Transylvania quam egie adepta sit Valachiae Transalpinae dominatus. mam, nova reginae Isabellae parricidia de clarant limus enim, quod Andream Bathory a Somlyo, haelem Czyaki, Joannem Zalanczy et quosdam s fecerit recens occidi, Melchioris quoque Balas filio sub custodiam redacto, quod accersitus ab ea er venire respuerit. Atque ex hiis tam horrendis ninae praestigiis, et Georgium Bathory, et Joan- ı Terek, et Clementem Artandi, et Thomam koch in timorem fuisse conjectos, omnesque fugi- ı conspectum ejus. Verum Franciscum etiam Ne- hy, qui ad eam profectus fuerat, a medio itinere, fortasse cognitis, domum rediisse et novo cui- ı castello excitando operam dare. Quae omnia etsi incertis adhuc circumferuntur authoribus, late en obtinuere fidem, quum Turcae amasii et bene- ırii similes fructus referre soleant; quibus ut Do- us Deus saniorem mentem concedat, eosque in n reducet, oremus. Meque ac servitiis meis Ve- ıe magnificae dominationi officiosissime commen- is, eandem cum omnibus suis charissimis salvam elicem esse cupio. Agriae VII. Martii 1559.

XC. b.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

aug. 5. Summa rei totius actae, peractaeque oratorum nostrorum, apud summum pontificem legatorum, haec est. Cum primum in urbem appulissent, et audientiam sibi dari postulassent, responsum eis a pontifice est, ut exspectarent. Ad ea subjunxere oratores, aequo id animo se facturos, cum a Caesare suo in mandatis habuissent, ut se se omnino voluntati Sanctitatis Suae conformarent. Renunciavit eos tanto facilius moram ejusmodi laturos, postquam hoc mandatum haberent. Ideo etiam ex officio suo exspectarunt. Hunc in modum exspectatione oratoribus imposita, pontifex interim per omnem Italiam misit, qui consulerent jurisperitos, quid hoc casu rerum, quod papatu suo inusitatum contigisset, sibi esset decernendum. Uno enim Imperatore superstite, alium constitui, et id a Lutheranis, nec se consulto, nec apostolica sede, et novum, et absurdum sibi videri, prorsusque ignorare, quid tandem rerum agat, quod e dignitate fieret papatus.

Hac exspectatione in diem ferme sexagesimum sextum dilata, solus ad postremum D. Martinus Guzmanus privatim, et jam sub noctem accersitus a pontifice, expediti sunt paucissimis : serenissimum regem Romanorum, pium, catholicum, et praeclare ab initio semper de apostolica sede fuisse meritum, dignumque

:atiis esse amplissimis, verum, nec se quoque aucto tati et dignitati suae deesse posse. Casum hunc deo novum et insolitum, etiam deliberatione esse ifficillima, nec tam repente quidquam adhuc de illo otuisse constituere, brevi tamen statuturum, et per ratorem suum, quem jam destinasset, significaturum.

Habemus ad haec et Caletem in Picardia recu eratum, et Algirium in Africa, multorum asseveratio e captum. Sed nondum omnino affirmamus Algirium Hispanis, qui proxime aliquot millibus [illegible] itora fuerant a Philippi classe expulsi, per oppida os quosdam deditum. Caletem vi captum, ut praesi io destitutum, facileque de Calete credere potuisse. i modo acciderit. . . . . Rei tamen, quae de Calete icitur, quia adhuc in exspectatione veritas est, videimus non multo post, et significabo, quidquid constirit. Dat. Viennae 5. Augusti 1558.

TARTALOM.

1549.

I. Bornemisza Gergelynek nov. 13. 1
II. Slavicus Lukácsnak nov. 20. 4
III. *Verancsicsnak Slavicus Lukács.* nov. 27. 4
IV. Slavicusnak dec. 1. 4
V. N-nek dec. 1. 4
VI. Perneszi Györgynek dec. 4. 4
VII. Testvérének Jánosnak dec. 10. 5
VIII. N. Lőrincznek dec. 10. 10
IX. Pesti Gáspárnak dec. 13. 11
X. Pesti Gáspárnak dec. 18. 11
XI. Csáki Mihálynak dec. 19. 11
XII. Testvérének Jánosnak dec. 19. 12

1550.

XIII. Andronicus Tranquillusnak jan. 10. 13
XIV. Testvérének Mihálynak jan. 10. 14
XV. Testvérének Mihálynak jan. 16. 15
XVI. Dániel képirónak jan. 17. 15
XVII. Petrínus Mihálynak jan. 20. 16
XVIII. Dániel képirónak febr. 1. 17
XIX. Csáki Mihálynak febr. 8. 18
XX. Macarius Józsefnek febr. 8. 18
XXI. Macarius Józsefnek febr. 8. 19
XXII. *Verancsicsnak Csáki Mihály* febr. 15. 19
XXIII. Arsatius Vitálisnak febr. 24. 20
XXIV. *Verancsics Andronicus Tranquillus* febr. 25. 21
XXV. *Verancsicsnak Csáki Mihály* mart. 2. 21
XXVI. Révay Ferencznek mart. 5. 22
XXVII. Testvérének Mihálynak mart. 12. 23
XXVIII. Andronicus Tranquillusnak mart. 12. 24
XXIX. *Verancsicsnak Csáki Mihály* mart. 18. 25

Lap.

1551.

LXXIV. Gregoriánczi Pálnak nov. 18. 171

1552.

LXXV. Báthori Endrének april 15. 175
LXXVI. Oláh Miklósnak máj. 16. 177
(Az 1553—7-ből szóló, Verancsics első konstantinápolyi követsége éveiből fenmaradt, levelek a III. és IV. kötetben láthatók).

1557.

LXXVII. Egy lengyel püspökhöz nov. 20. 180
LXXVIII. Kaszun budai beglerbégnek jan. 2. 181
LXXIX. Oláh Miklósnak jan. 10. 189
LXXX. A királynak Verancsics és társai febr. 21. 192
LXXXI. Ugyanannak ugyanazok febr. 21. 195
LXXXII. Torda Zsigmondnak febr. 22. 196
LXXXIII. Maximilián királynak mart. 14. 198
LXXXIV. Perényi Gábornak mart. 22. 203
LXXXV. Mihály testvérének mart. 27. 205
LXXXVI. *Verancsicsnak Torda Zsigmond* mart. 28. 207
LXXXVII. Mágocsi Gáspárnak apr. 18. 210
LXXXVIII. *Verancsicsnak testvére Mihály* apr. 29. 217
LXXXIX. Oláh Miklósnak maj. 5. 219
XC. *Verancsicsnak testvére Mihály* máj. 25. 222
XC. b. Nádasdy Tamásnak aug. 5. 364
XCI. *Verancsicsnak testvére Mihály* aug. 22. 223
XCII. Busbek Augérnak sept. 1. 227
XCIII. Illicinus Péternek sept. 10. 233
XCIV. IV. Pál romai pápának sept. 12. 235
XCV. Nádasdy Tamásnak sept. 19. 238
XCVI. *Verancsicsnak testvére Mihály* oct. 1. 243
XCVII. *Verancsicsnak Sebridovski Antal* oct. 16. 246
XCVIII. *Verancsicsnak Dudics András* oct. 28. 248
XCIX. Sebridovszky Endrének oct. 30. 252
C. Rapicius Endrének nov. 1. 253
CI. *Verancsicsnak testvére Mihály* nov. 6. 357
CII. Egy Nagyságosnak (Teleki Imrének ?) nov. 12. 258
CIII. *Verancsicsnak Torda Zsigmond* nov. 13. 262
CIV. Pesti Ferenczneк nov. 13. 263
CV. *Verancsicsnak Rapicius* nov. 14. 266
CVI. Maximilián cseh királynak nov. 20. 272

Lap

CVII. Nádasdy Tamásnak nov. 24. 273
CVIII. Strada Jakabnak dec. 4. 276
CIX. Egy Tisztelendőnek dec. 5. 287
CX. *Verancsicsnak testvére Mihály* dec. 27. 290

1559.

CXI. Maximilián cseh királynak jan. 1. 297
CXII. Maximilián cseh királynak jan. 2. 302
CXIII. Telekesinek jan. 3. 304
CXIV. Roblem Menyhérdhez jan. 4. 306
CXV. Maximilián cseh királyhoz Verancsics, Torda és Pesti Ferencz jan. 9. 309
CXVI. Telekesinek jan. 11. 312
CXVII. Maximilián cseh királynak jan. 15. 325
CXVIII. Oláh Miklósnak jan. 15. 320
CXIX. Maximilián cseh királynak jan. 29. 323
CXX. Maximilián cseh királynak febr. 1. 329
CXXI. *Verancsicsnak testvére Mihály* febr. 9. 333
CXXII. Maximilián cseh királynak mart. 6. 337
CXXIII. Maximilián cseh királynak mart. 6. 341
CXXIV. Ferdinánd császárnak mart. 7. 345
CXXV. Nádasdy Tamásnak mart. 7. 347

A M. AKADÉMIA TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA KIADÁSAI.

20. SZ.
STANFORD UNIVERSITY
LIBRARIES
STACKS
OCT 2 9 1970

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

TIZENEGYEDIK KÖTET.

PEST, 1863.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY : ÍRÓK.

TIZENEGYEDIK KÖTET.

PEST, 1863.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

ALTORJAI
B. APOR PÉTER
MUNKÁI.

KÖZLI

KAZINCZY GÁBOR.

PEST, 1863.
EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

ELŐSZÓ.

„Chara posteritas, propriis manibus hanc Admonitionem
psi, ut eo magis observes. Ex lectione libri huius poteris
ertere, quod pluribus annis laboraverim, multa, tam manu-
ipta, quam historicos legerim, multum mentem meam terse-
, quousque veritatem rerum invenerim. Recogita ergo, quod
aliquis dabitur, qui haec scripta in hunc ordinem redigere
erit; familiam tuam vides opere et veritate descriptam, vide-
multas familias adjectas, casus mutationesque Transylvaniae
ate mea leges : praecipio ergo sub anathemate, nulli extra-
e hunc librum, sed posteritas sibi servet, et si aliquando
s inciperet scriptura deficere, de novo pariari sibi curet; in
ibus tamen, si quis desideraverit, concedere poterit, aut co-
n legere. Ita praecipio scriptor hujus et parens posteritatis.
Torjae 20-a Januarii 1732. *B. Petrus Apor.*“

Optimae gubernationis imperii et reipublicae ideam ex-
ssit Marcus Aurelius Severus Imperator, dum :
Tyrannos et crudeles in altum non evehebat,
Jus pauperi, quia pauperi, non denegebat,
Recti amantem pauperem non fastidiebat,
Reo diviti, quia diviti, veniam non dabat,
Nullum malum inpunitum abire dissimulabat,
Causas apertas ad alterum non remittebat,
Obscuriorum solus esse arbiter non volebat,
Commotus ira neminem damnabat,
Nec inter gaudia dona promittebat,
Non fuit incurius in rebus prosperis,
Nec abjectioris animi in rebus adversis,
Nil fecit mali maligniori mente,

Nec illiberarior fuit ex avaro pectore,
Non est passus fores patere adulatoribus,
Nec aures praebere calumniatoribus,
Studuit semper esse amabilis bonis,
Odiosum non recusabat esse malis,
Adjuvabat causas pauperiorum contra potentes,
Nec sinebat ab his opprimi impotentes aut minus potentes.

Selecta axiomata.

Laudet te os alienum, et non os tuum, extraneus et non labia tua.

Spes fortunam sequitur et quaerit.

Fortuna spem fugit et illi se occultat.

Honos non implet animum, sed inflat.

Optime facit fortuna quod non semper sit in eodem loco. Peregrina est fortuna, ideo de loco uno ad alium transire debet.

Nullae inimicitiae perniciosiores, quam ubi ex amicis hostes fiunt.

Si ad naturam vives, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam eris dives.

Honor eos decet, qui honores spernant, non qui eos cupiunt.

Nulla tam modesta est felicitas, quae malignantis invidiae dentes vitare possit.

Magna virtus est fortunam fugere, major eidem resistere, maxima eandem contemnere.

Dat Deus cui vult, et quando vult.

Quo quis minus aestimat se dignum honore, eo majore dignus est.

Majus dedecus est parta amittere, quam omnino non parasse.

Honor, fama, existimatio non sunt nostra, sed ab aliorum arbitrio dependent.

Calamitosus est qui timet, infortunatus qui sperat.

Nemo simul jucunde vivere potest, nisi simul honeste vivat. —

Ezeket írá Altorjai báró Apor Péter azon kötet elejére, melybe két latin munkáját másoltatá; a harmadikat, a magyart, mely az Upor ivadéka nevét fenn fogja tartani, nem hitte méltónak, hogy ama „családi hagyományához" sorolja.

A maradék nem úgy ítélt. Apor történeti munkái elpendűltek; a *Metamorphosis* a szó teljes értelmében *köz kincs* lőn. Méltán. Nyomorú viszonyaink tehetik csak érthetővé, hogy mindeddig nem a sajtó útján.

A hazai történelem mély ismerete s az a nemes közlékenység, mely mind azt a mit bír, *köz tulajdonúl* tekinti, s mit a Királyhágón *innen* csak kivételesen találunk — erdélyi barátaim szívességéből Aporra nézve is egy csomó becses adatot juttata kezemhez, az író hibás tételeinek helyreigazítása végett. Föl lesznek használva, de nem *itt*. Itt hadd álljon az író a maga valóságában. Ő nem a köz bírálat, hanem család számára írt; ne bolygassuk sírját azért, hogy nevét tapossuk.

Apor barátja volt a tudományoknak s a tudomány embereinek: mutatja az a jellemző levelezés is, mit életében még Timon bocsáta közre (Antiqua et Nova Hung. 218 l.); de, valamint a köz életben, tele a *gyönge* ember gyarlóságai- s tévedéseivel. Loyális, vallásos, hiszékeny, mind ez mértéken túl; vall, tesz és állít dolgokat, miken legalább álmélkodni fognánk, ha az író naiv *őszintesége* hagyná. Így nem haragszunk, nem kárhoztatjuk: megmosolyogjuk. Megismertet gyöngéivel őmaga, s elnézzük. Nem akarja palástolni, elhazudni őket: elénk tár mindent becsületes egyenességgel, ahogy ő maga tudja vagy hiszi.

De az a ki megtudja a mit kell választani : sok becses adatot talál e téves felfogások s hibás combinátiók szövedéke mögött. Az egyoldalúság szempontja sem teszi megláthatlanná az igazságot. Aztán e tátongó mélység két világ között, e világforradalom, mely az ösélet rengetegeit kalangyákba törte, hogy majd, kőszenűl, legyen mi mellett fűtözhessék a didergő utód — szóval: az áthidazó korszak az ó és új állami élet között, melyben Apor élt, s mely hazánkban még egy Tacitust vár, mély fájdalmával és gyilkos ecsetével — sáppadt lenyomásként tűkröződik azon elbénült téveteg világban, mit Apor, hasonló színekkel, egyes eseményekre tördelve, vázol.

Apor munkáit, az eredetiek holléttéről tudomásom nem levén, egy halmaz hibás és csonka másolatból akarám összeállítani, hónapokon át gyötrődve s gyötörve, segélyűl, barátaimat : midőn nmélt. gr. Mikó Imre úr baráti szívessége a fölebb említett (a szerző által hitelesített) másolattal meglepett. Az egyetlen *teljes* példány ez, mert 1732-ön túl is, mind végig, folytatva s toldogatva, különböző, s néha vajmi gyarló kezek által. Tekintsen meg bármely egyéb másolatot az olvasó — a Nemzeti Muzeumé teljesen használhatatlan — látni fogja, hogy históriai irodalmunk e gazdagodását azon férfiúnak köszönjük, ki, az egykori közélet koszorús gondjai között is, nem lankadó híve volt mind annak, a mi a haza ügyére vonatkozik.

A *Metamorphosist* csak idegen, régibb és újabb másolatok egybevetése után adhatám. Az a függelék, mely *Cserei Mihály* töredékes megjegyzéseit adja (444—484 l.) rendesen az Apor neve alatt kering,

élén az Apor bevezető szakaszával, ámbár szerzőjöket a szöveg is elég világosan mutatja. Csereiről azt mondja, 303 l. Apor : in plurimis me juvit in catalogo nostro tempore deficientium; eme jegyzéseit a Metamorphosis *első* dolgozására tette, s a szerző felhasználta; de a mit Cserei zsémbes őszintesége *kimond*, enyhítve s itt-ott elhallgatva. Hogy az olvasó lássa, *miként :* tevém a szakaszok elé a megfelelő lapszámokat.

A XVIII század első felének sivár irodalmitörténetét egy jelentes névvel gazdagítja e kiadás.

Bánfalva, Augustus 31. 1863.

K. G.

SAJTÓHIBÁK.

112. lap 10. sor alulról így olvasandó : quas ego (quos tamen historicos inveni) omnes perlegi. 318. alsó sor : hanem a mellette. *olv.* hanem az maga mellett. — A 21—3 ív számos hibái között jelentékenyebbek : 320. lap, 2. sor felülről : többin k *olv.* az többinek. 321. l. 15. s. alulról : Kacsulata *olv.* Kucsuláta. 323. 14. s. Urnak *olv.* Urának. 327. 2. s. a. az is *olv.* azt is. A 330—1, 336—9. lapokon a § jegyek mellőzendők. 330, 2. s. ételt olv. étket. 331, 8. s. a. Annyi leány. *o'v.* még annyi leány. 332, 5. s. a. adták etc. 337, 10. s. a. In 1690 die anno 15-a Apr. *olv.* in anno 1690, die 15-a Apr. U. o. 3. s. a. intésével *olv.* intésivel. 339, 2. s. a. jeles *olv.* feles. 341, 2. s. Erdélynek *olv.* Erdélyiek. u. o. 10. sor. fejin nyakszirtin *olv.* fejin az nyakszirton. 342, 2. sor : *selyemből szött* után kimaradt : némelyeknek az közepin ezüst fonalból varrott vagy szött. 344, 12. s. gömbölyesen *olv.* gömbölyegen. 347, 14. s. az sastollas *olv.* az sok sastollas. 348, 6. s. a. melyeken *olv.* melyen. 349, 12. s. régi *olv.* végi. 350, 6. s. mondottak neki *olv.* mondottanak néki. u. o. 6. sor alulról : mellye felöl *olv.* mellye felé. u. o. 13. sor : övig *olv.* öviig. 351. 8. s. a. többnyire *olv.* többire. u. o. 12. s a. bagariával *olv.* bagaziával. 353, 13. s a. ott belől nadrágon *olv.* ott belöl az nadrágon. u. o. 12. s. rakva *olv.* varrva. 356, 4. s. paraszt *olv.* parasztember. 359, 12. s. a. tudva *olv.* tudván. u. o. 9. s. vízben *olv.* az vízben. 360, 14. s. fejedelemnek *beadott* olyan supplicatio.

Hibák a szerző sajátságai, kiejtése, nyelvszokása stb. ellen : 324, 8. s. leányokot, asszonyokot, 325, 11. s. ajkokot, 332. 4. s. állokot. 341, 13. s. bizonyoson. 348, 4. s. szerszámokot. 350, 7. s. mindnyájon. 353, 4. s. inokot. 355, 12. s. magokot. 357, 11. s. azokot, 359, 17. s. magokot. — 338, 2. jovallották, jovallásán. — 348, 14. sor, 349, 12, 14, 360, 11. aranyas. — 358, 10. s. feltanálja. 359, 9. s. mü. — S végül : *az* helyett sok helyt *a*, s röviden mit a szerző megnyújtva használ, péld. béadják, elvészem stb.

TARTALOM.

Lusus mundi	1—115
Synopsis mutationum	117—312
Metamorphosis Transylvaniae	313—443
Cserei Mihály pótlékjegyzetei	444—484

I.

LUSUS MUNDI

USDEM ACTUS SCENICUS, PROUT IN HUMILLIMA FAMILIA
IANA, AB EXITU QUIDEM EX SCYTHIA NON INTERRUPTA
E VERE NOBILIS, SIC IN RELIQUIS EIDEM SANGUINE JUNCTIS
. FAMILIIS, OPERA ET VERITATE PETRI APOR, L.
. DE ALTORJA, AA. LL. ET PHIL. MAG. INCL. COM. DE KÜ-
LŐ COMITIS SUPR. EMERITI, NECNON INCL. SEDIUM SICULICA-
M SEPSI, KEZDI, ET ORBAJ UT ET MIKLÓSVÁR SUPR. JUDICIS
HI ACTUALIS, IN LUCEM PUBLICAM REPRAESENTATUS, AD
GRATAM POSTERORUM MEMORIAM ANNO 1727.

IN ZOILUM.

Invida mens verum depingit imagine falsi,
Falsus is est, album qui probat esse nigrum.
Fur famelle, tuum est alienam rodere famam,
Horto de proprio collige poma tuo.
Sed sine mordebis fors hunc ratione laborem:
Tunc quae te genuit psittaca lingva fuit.
Hoc vexabis opus, nonne est tua curta supellex?
Gallina ova parit garrula pauca nimis.
Mendacem reperisse stylum jactabis et ibis;
Ibis, sed vitulo qua nova porta patet.
Excipies vario risu explodesque cachinnis,
Tunc sapiens dicet: tangis, aselle, lyram.

Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam.

Hesterni quippe sumus et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. Job, c. 8. v. 8. 9.

Gloria filiorum, patres eorum. Prov. c. 17. v. 6.

Nobilitas morum magis ornat quam genitorum.

Cyprianus Soarius, Soc. Jesu, in Rhetorica: Duplex est genus hominum; aliud civile, quod honestatem utilitati, agreste aliud, quod utilitatem honestati praefert.

Seneca: Crudelius nihil est facto non nato nobile.

Sapientes confitentur et non abscondunt patres suos. Job, c. 15. v. 18.

Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.

Bonae vitae numerus dierum; bonum autem nomen permanebit in aevum. Eccles. c. 41. v. 15, 16.

Seneca: Sola atque unica virtus propria nobilitas est.

Valer. Lib. II. Optimus quisque nobilissimus est.

Claudian: ..... Partitim singula quemque
Nobilitant: hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc vigor, hunc pietas, illum solertia juris,
Castitasque thori.

Nam ut Propertius ait:

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.

Tacitus, Lib. VI. Annal.: Tiberius hoc servabat, ut mandaret honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectandi, ut satis constaret, non alios potiores fuisse.

Seneca: Habet hoc optimum generosus animus, quod concitatur ad honesta: neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida.

Cicero: Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis.

Lycurgus igitur et nos cives, inquit, nihil generositas, quae vulgo est admirationi, et ab Hercule ductum genus juvat, nisi ea faciamus, per quae ille hominum clarissimus fortissimusque est visus, per totam vitam honesta discentes et exercentes.

Noli per superbiam negare progeniem, quamvis egena sit et tu locuples, cum ipse conditor plasmarit utrumque.

Quorum gloriam miraris, eorum res gestas imitare.

Optime consultant, qui rerum futurarum exempla ex praeteritis sumunt.

Carolus Magnus imperator nihili faciebat nobilitatem, quae propriis virtutibus destituta, solo majorum sangvine superbiret. Ideoque scholas adiens, cum intellexisset plebeios discendi alacritate nobilibus longe anteire, et hos et illos ad se evocans, plebeos ad dextram, nobiles ad sinistram stare jubet, hisque ignaviam vehementer exprobrat, illis vero impense dilaudatis, suos in posterum favores amplosque dignitatum gradus pollicetur.

Diogenes interrogatus, quinam mortalium omnium essent nobilissimi? qui divitias, inquit, gloriam, voluptatem, vitam contemnunt, contraria vero, hoc est paupertatem, ignominiam, laborem, mortem praeclare sustinent ac vincunt.

Redux Tyrnavia ex Hungaria anno 1696, ubi stu-
a mea juridica et philosophica absolveram, magnum
um patriae patrem, ecclesiae romano-catholicae per
aciam columnam, Stephanum Apor, cui in discessu
eo ante triennium Spectabili valedixeram, Illustris-
num Comitem salutare mihi gaudio erat; discedens
ndem venerabar ut Supr. Judicem Reg. Sedium si-
licalium Csik utriusque Gyergyó et Kászon, et
el. Tabulae Judiciariae Reg. assessorem, necnon uni-
rsarum tricesimarum dacicarum Arendatorem su-
emum: ast redux colui ut exc. Regii Gubernii Con-
iarium intimum, thesaurarium regium, dictarum
el. sedium una cum fato officio et supr. Capita-
um; et vix patriam meam videre potui, accessit
lem et officium supr. Comitis Cottus Thordensis;
d nec hic stetit clementia augustissimae domus
istriacae, verum et totius Transylvaniae Generalem
ueri eundem mihi licuit, haec postulantibus ejus-
m meritis. Tantis ergo honoribus cumulatum desi-
ratissimum meum patruelem considerans, et humil-
iae familiae Aporianae, et sorti meae gratulari jure
rito poteram: sed ut ait poeta:

Invidus invidia corrumpitur intus et extra,

iterum:

Invidus alterius rebus marcescit opimis,

a miseria caret invidia: invidi, in tanto honoris
stigio videntes dictum illustrissimum meum pa-

truelem, non virtutem, quae illum evexit, carpere. verum humillimam hanc familiam mille conviciis et mendaciis proscindere non erubescebant. Saepe eundem monui, ut ex archivis aliisque instrumentis publicis litteralia instrumenta conquirenda curaret: verum saepe conquerebatur, litteralia instrumenta humillimae hujus familiae universa, eaque antiquissima, quae solus vidisset, per fratrem suum germanum, Lazarum, patruelem aeque meum, Constantinopoli deperdita fuisse. Egit tamen, et paucula quidem ex Archivo Capitulari Carolinensi exceperat. verum ut ulterius procedere posset, et patriae motus, et mors ipsius inopinata interturbavit. Saepe tamen me in vivis admonuit, ideo me non ut patruelem, sed ut filium servasse, ut successu temporis huic humillimae familiae inservirem. Egi ego et ante et post mortem ipsius, et hinc inde, ut potui, humillimae hujus familiae instrumenta conquisivi atque notavi: quae posteritati meae absque invidia tertii transscribo. Nam de omnibus inclytis familiis honorifice loqui, nec ullam ad injuriam provocare intendo; sed nec alia mihi mens est, nisi ut humillimam hanc familiam ab exitu ex Scythia nobilem fuisse probem. Dabunt itaque veniam omnes inclytae familiae dacicae, si sine ulla injuria illarum, antiquitatem hujus humillimae familiae demonstravero. Si vero absque ulla ratione quis hoc opus meum vellicare praesumserit, respondeo ipsi cum poeta:

Invide livor, abi, non haec tibi scripsimus. Audin?
Rodere vel noli nostra, vel ede tua.

Scio recte illud Ovidii:

Et genus et proavos et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra reor.

Quod ipsum, dum adhuc poeta pro exercitio dedu-

cendo pro themate datum excepissem, recordor poema meum sic conclusisse:

Is proprio de sole micat, quem dives amoenos
Circum deduxit juvenem facundia campos,
Quemque dein sapiente jubet pallescere charta.

Ex quibus concludo: majorum acta non secus nostra fore, nisi nos ipsi nostra faciamus.

Nemo vero dubitare poterit de antiquitate hujus humillimae familiae, si literas ex Capitulo Carolinensi authentice exceptas et hic subjectas legerit. Videbit jam ante annum Christi 1311 comitis titulo insignitam; sed ut ab exitu plane de Scythia ad hunc usque praesentem annum quo haec scribo, scilicet annum Christi 1727, quilibet videat non solum simplicem nobilem, ast vere nobilem fuisse: paucula ex lectis et per me visis subjicio.

Non nego a majoribus meis plurima, tam de antiquitate, quam officiis et possessionibus hujus humillimae familiae me audivisse, sed quia propria laus sordet, consulte ea praetermitto; ea solum refero, quae ex libris, ex archivis et litteris comprobare valeo. Et primo quidem in anno 1700 spect. Dnus Georgius Lázár de Gyalakuta, ex antiquissima familia Lazariorum, nuper incl. sedis Maros supr. Judex Reg. produxerat antiquissimum librum (fuerat Chronicon Thurocii gothicis characteribus impressum) pie defuncto patrueli meo, Comiti Stephano Apor, qui ob vetustatem et initio et fine carebat, in quo acta et nomina eorum heroum describebantur tam ad Constantinopolim, quam cum rege Andrea II ad Damiatam et Babyloniam Aegypti, qui eundem sequebantur, gloriosusque eorundem cum eodem rege reditus, inter quos heroes et Oporii describebantur, locum tamen dubitandi, an Oporiorum familia

eadem fuerit moderna cum familia humillima Aporiana, subministrabat, cum non describebat locum certum et possessiones eorundem. Verum postquam ex archivo Capituli ecclesiae Carolinensis excepissem litteras hujus humillimae familiae Aporianae, ut liquet ex litteris subjectis ad annum 1311 et ad annum 1324: amplius dubitare non potui, praecipue cum et gloriosae memoriae imperatoris Sigismundi confirmatorias ad annum 1402 (quae, proh dolor, in incendio meo Galaczіensi, cum reliquis facultatibus meis, combustae sunt) super arce Bálványos, Oporiorum olim, nunc Aporiorum, acquissivissem, et legissem Opourium eandem fundasse, Oporios auxisse, et hodie Aporios possidere. Cum ergo eadem jura possessionaria, eadem insignia habeamus quae Opourii vel Oporii olim, aut quis Opouriorum vel Oporiorum familiam defecisse et eorum bona per Aporios nova donatione impetrasse probet, debet fateri, Aporiorum hodiernam familiam eandem esse, quae quondam fuit Opouriorum vel Oporiorum. Neque litterae O et A substantiam rei mutare possunt, ut ex multis, illisque clarissimis Hungariae familiis demonstrare possem. Accipio tantum duas hodie in Transylvania clarissimas et illustrissimas. Nonne antiquissima familia Vesselényiana antiquitus scribebatur de Vessen? Nonne illustrissima familia a duce Szabolcs descendens Csákiana quondam scribebatur de Csák? Cum vero hodiernae hae illustrissimae familiae habeant easdem possessiones, eadem jura, eadem insignia, quae antiquitus illis nominibus compellatae, quod addantur in illustrissima familia Vesselényiana aliquot syllabae, et in illustrissima familia Csákiana addatur littera I, et non de Csák, sed de Keresztszeg hodie intitule-

tur, quis negat ambas illas familias illustrissimas a dictis praedecessoribus legitime descendere? Possem et plures adducere, sed consulto praetermitto. Idem ergo esto judicium et de humillima familia Aporiana. Jam ergo authentice comprobando hodiernam humillimam familiam Aporianam eandem esse ac Oporianam: qui fuerint Oporii, si adhuc exstat liber dictus apud haeredes Lazarios, poterit quis videre. Sed et apud omnes veteres Hungariae scriptores Oporios fuisse palatinos apostolici regni Hungariae lege ad annum Christi 1300, sub Andrea III rege Hungariae in catalogo palatinorum, et leges Oporium palatinum vajvodasque Transylvaniae; lege ad annum circiter 1308 in catalogo vajvodarum Transylvaniae, et leges Ladislaum Oporium vajvodam, qui excussit coronam e capite Ottonis Bavari, et restituit ad coronationem Caroli I. Sed et hujus Caroli I donationem inspice in Dok Kaszon ad annum 1324, nam expost circa annum 1479 inceperunt Oporii vocari Aporii, ut ex subjectis ad praefatum annum patet. Ladislai vero vajvodae huius filius erat Stephanus, qui in vajvodatu successit — Stephanus hic a Ludovico rege exercitui ungarico in Neapoli praefectus erat — alter vero filius ejusdem Ladislai vajvodae Andreas, qui relicto fratre in Neapoli a rege, fratri in vaivodatu successerat; hic ab eodem rege praefectus erat exercitui contra tartaros, qui siculos infestabant. Germanus vero frater dicti Ladislai vajvodae, Comes Joannes Opor, cuius filius Stephanus, huius Petrus, qui cum Nicolao vajvoda et pro-vajvoda contra Lajcum valachicum regulum sub dicto gloriosissimo rege in bello valachico gloriose occubuit. Filius huius Alexander; Alexander habuit tres filios, in arce Bálványos habitantes, qui

amore capti cuiusdam magnatis, Mike nomine, filiae (de familia Mike lege P. Sam. Timon Soc. Jesu ad annum 1200, et catalogum palatinorum), pro legitimo matrimonio expetebant, sed cum petulantioris genii fuerint, dum parentes uni eorundem tradere nuptui noluissent, tunc Torja oppidum existens (cuius privilegium etiam jure patriae confirmatum fuit Appr. Const. part. III. tit. 78. art. 1), tempore publicarum nundinarum ex foro rapiunt, sed infeliciter; nam primus statim occiditur, secundus usque ad templum Fel-Torjense persequitur, et ibi perimitur, tertius, Stephanus nomine, virginem secum in arcem ducit, et, nolentibus etiam parentibus, matrimonio jungit. Hanc nonnisi unicam filiam genuisse invenio, nomine Helenam, cognominatam Aporfi, claudam, sed cum patrimoniis abundasset, a plurimis matrimonio expetitam, ut tamen clare constat ex contractualibus inter familiam Aporianam et Henterianam, ut inferius patebit.

Dum cum Ludovico rege Oporii, ut supra notatum est, in Italia bellassent, quidam ibi stationem fixerunt, ut multi fide digni Italiam peragrantes mihi retulerunt, in Italia et hodie Oporianam et Aporianam familiam ungarico nomine gloriantem exstare; quare ex eadem ipsa familia quidam ex Italia, ut antiquae nostrae litterae testantur, et a proxime dicendis confirmabitur, ne patrimonium antiquum Oporianum ad alienigenas deveniret, quidam Mathaeus Burczia Apor, ex Italia descendens, claudam superius dictam Helenam legitimo matrimonio jungit; quae tres proles genuit: Stephanum, Lucam, et Barbaram. Haec Barbara omnino sine semine defecit; per huius defectum, jure sangvinitatis, viva superstitum memoria, peril-

lustris Dnus Michael Henter de Sepsi Sz.-Iványi certa bona jure acquisivit. Scriptum est Mathaeum Burczia alias Apor duos habuisse filios, Stephanum et Lucam; Stephanus quidem fratri suo minori Lucae divisionem ex bonis paternis noluit concedere, tandem vero inter ipsos contractualiter conventum fuit. Dum rursum filius Lucae, Mathaeus, in anno 1550 ab Aporiis divisionem petiisset, tunc ab Aporiis tale responsum obtinuerat, quod sint parati, quoniam Mathaei parens Lucas, et Stephanus Apor erant uterini fratres, et Lucas primo incepit nominari Burcsa, dum ad habitandum descendit in Sepsi Sz.-Iványi. Ego putem, a populo fuit nominatus, corrumpendo Burczia Apor in Burcsa, nam in prioribus litteris hunc Lucam et Kis-Henter nuncupatum video, dum Stephanus Apor eidem ex bonis Aporianis divisionem noluit concedere; convenerunt tamen, ut bona in Sede Sepsi existentia concesserit fratri Mathaeo, ea conditione, ut in virili sexu deficiente familia Henteriana sive Burcsaiana, eadem bona redeant ad familiam Aporianam, prout nuper, dum Dna Clara Henter, consors Spect. Dni Samueli Torma de Csicsó-Keresztúr, et Christina Henter, Spect. Dni Clementis Béldi de Uzon, divisionem voluissent celebrare cum suis fratribus uterinis, non aliter se defendere poterant, nisi in facie incl. Sedis Sepsi authentice has contractuales produxissem, contradixissemque divisioni. Hinc patet familiam Henterianam et Aporianam eandem esse. Stephani hujus filius, iterum Stephanus, fundator templi Felső-Torjensis, et Ladislaus, vice castellanus arcis Viennensis (Confer certa ex parte Bonfin. Dec. 2. Libr. 10. et Istvánfi Lib. I. Cap. 1. §. 5. cum litteris ex Capitulo exceptis annis 1311, 1324, 1479, 1521,

1584., et sic invenies). Ladislai filius rursum Alexander, Alexandri Michael, Michaelis Andreas, Andreae Lazarus, Lazari Joannes, Joannis Baro Petrus, Baronis Petri Barones Josephus, Joannes et Ladislaus Apor, legitimi haeredes arcis Bálványos (pono expresse arcis Bálványos, nam recordor a senibus me audivisse saepe, quod audiverint a majoribus suis, se vidisse titulum dicti Ladislai vajvodae ad frontispicium palatii arcis Bálványos); fratres vero Joannis, genitoris Baronis Petri Apor, videbis inferius. Sed nec obstat siculos aequali omnes privilegio et libertate fuisse usos, et quod nec patiantur inter se libertate esse superiorem, et quod eandem minimus habeat immunitatem, quam maximus, prout cum Olaho omnes annales quos legi conveniunt, sed et his temporum injuriis, quamvis servare non possimus, semper tamen hanc libertatem jactamus. Speciali tamen aliqua libertate Oporios vel Aporios fuisse gavisos, exinde colligere est, quod arx Bálványos cum pagis Alsó- et Felső-Volál, Karatna et Peselnek, Szárazpatak et Kanta, antiquis et haereditariis possesionibus Oporiorum in medio siculorum, in Comitatu Albensi posita sit, prout etiam in annexis ex Capitulo exceptis Torjam inCottu Albensi positam invenies, et hoc ideo fuisse puto, ut ad arcem subditos, vel ut vocant jobbagyones, habere possint, salva permanente libertate siculica. Certum enim et indubitatum est, ex omnibus annalibus constat, inter siculos nullum fuisse jobbagyonem vel subditum, sed injuria temporum sic primo aliquos redactos in statum colonicalem (prout multorum regum et principum mandata meis oculis legi): Cum gloriosissimi reges et principes frequentia habuissent bella, mandatum ad siculos tale dabatur:

Quicunque non insurrexerint ad praesens bellum, privilegium amittent et in statum colonicalem redigentur. Tales ergo, qui ad bellum non proficiscebantur, aliis bene meritis pro jobbagyonibus sive subditis dabantur; prout aliquot donationes tales vidi. Et sic primo jobbagyonum inter siculos initium factum est.

Praeterea et reliquis summisque officiis functos Oporios historiae docent, et si quis perspicaci oculo invidiaque seposita genealogiam Opouriorum vel Oporiorum ex antiquis Hungariae monumentis legerit, inveniet eos recta linea descendere ab Árpád, filio Almí ducis de sangvine Atilae, ut bene advertit Perillustris Dnus Stephanus Gyöngyösi, quondam vicecomes inclyti Comitatus Gömöriensis, in opusculo anni 1693 Leuchoviae impresso, in praefatione, in quo connubium celsissimi quondam Transylvaniae principis Joannis Kemény cum celsissima principissa Anna Lónyai rythmice describit.

Sed hic quis objicere posset, praeclarum hunc virum solum adulatum fuisse defuncto patrueli meo, Comiti Stephano Apor, cum annales hungarici dictent, quod Árpádi filius fuerit Zoltán, Zoltáni Toxus, Toxi Gejza, Gejzae sanctus rex Stephanus, et quae objectio si in vivis eidem objecta fuisset, credo, emeritus senex me doctius scivisset respondere. Nihilominus, in quantum ex conjecturis eruere possum (ita enim steriles sunt scriptores hungarici, qui genealogias solum gloriosissimorum regum referunt, et nomina solum eorum procerum, qui vel gloriose vel vero fataliter se sub iisdem gesserunt, et nonnisi aliquarum illustrissimarum familiarum truncum apponunt, sed eo sterilius de familiis transylvanicis loquuntur, ita, ut quasi sit impossibilis etiam praecipuarum familiarum deductio ex

annalibus hungaricis per successiva tempora et secula, nisi privata litteralia instrumenta habeant), praefatum emeritum et bono senio confectum virum sic salvo : Non constat Árpádum unicum solum filium Zoltánum habuisse; quod vero hunc solum historici apponant, factum est ob solam genealogiam gloriosissimorum Hungariae regum , sed ex hoc non licet argumentari, quod tam Árpád, quam reliqui sex duces Hungarorum, solum illos filios habuerint, quos historici nominant, et non plures; veritati ergo magis conforme est, ducem Opourium secundo genitum Árpádi filium fuisse, sub cuius auspiciis hungari bellum adversus graecos gerebant. nam ad talem expeditionem primi ducis filium delegare et honestum , et rationi consonum est. De huius ducis imperio Bothundus ad Constantinopolim giganteae molis graecum in singulari certamine occidit, de quo et Bonfinius Dec. I. Libr. 10, et superius dictus liber apud haeredes Lazarianos. Si ergo contuleris litteras exceptas ex Capitulo, et legeris Opour: concordare cum huius ducis nomine, non inficiaberis; nam et Opor et Opour nostrum fuit cognomen, quin imo in charta antiqua, sed non authentica, video nobis aliquando et cognomen Opar tribuisse, sed hoc solum per errorem fuisse putem, cum combinare non possim cum Opariis in historicis hungaricis relatis. Et sic supposito Opourium ducem secundo genitum fuisse Árpádi, facile etiam hodiernam humillimam familiam Aporianam ab Árpád descendere concludes sic : Opour aedificavit arcem Bálványos, restauravit Opor, hodie, nulla superveniente nova donatione, possident Apor, ergo Opour, Opor et Apor sunt eadem cognomina : adeoque et eadem familia est.

Sed haec hucusque de identitate familiae Aporianae, Opourianae et Oporianae opere et veritate dicta sufficiant.

Sed quod ab anno 1311, usque ad annum 1521 et ad annum 1584 semper haec humillima familia vere nobilis fuerit, subjectae litterae ex Capitulo excerptae de seculo ad seculum sub gloriosissimis regibus Hungariae clare ostendunt. Sed et tunc, et nunc et semper nobilem fuisse, solus lector fateberis, si recto corde exigua haec scripta legeris. Neque putes, dum aliquando in annexis legeris quendam Aporium de Sz. Márton titulari, alium a nobis fuisse Aporium, nam antiquitus non solum Felső- et Alsó-Torja vocabantur exiguae possessiones Aporiorum: sed All-Torja etiam vocabatur Sz. Miklós-Torja, ut leges in annexis ad annum 1479, Felső-Torja vero etiam Sz. Márton-Torja, a dedicationibus scilicet ecclesiarum, prout ex scriptura supra sacristiam insculpta lapidi templi Felső-Torjensis videre quis poterit, hoc modo: Anno 1516. In honorem Sancti Martini episcopi erexit Stephanus Apor. Vel tunc vere nobilis familia, quae divis templa erigebat, et vere vel inde nobilis, quod nullus ex illa haereseos labe infectus fuerit. Erexerat haec humillima familia templum aliud supra pagum Karatna Deo Eucharistico sacrum, de quibus duobus templis inferius adhuc pauca, cum hodie sub acatholicis gemant.

Nobilis erat haec humillima familia sub gloriosissimo Hungariae Atlante Mathia Corvino, ut apparet ex Istvánfio, cap. 1. § 3. ubi describit, post mortem praefati gloriosissimi regis Mathiae, adventantem augustissimum imperatorem Maximilianum ad Viennam Stephanum de Zápo-

lya non exspectavisse; quem loco sui reliquerit, ignorat quidem, in aliquibus tamen scriptis invenit eidem Ladislao Uporio nomen fuisse. Hunc vero non Uporium sed Aporium fuisse, testabatur meus desiderabilis patruelis Comes Stephanus Apor, dicens, se certo vidisse inter litteras per fratrem suum germanum Constantinopoli deperditas, authenticum testimonium, in quo scribebatur: vice castellanus arcis Viennensis Ladislaus Apor. Sed et magnus ille vir, vere apostolus Hungariae et factis et scriptis, Gabriel Hevenesi soc. Jesu, in binis litteris ad pie saepius nominatum Comitem patruelem meum scriptis (spero has litteras et hodie exstare) testabatur, se certo invenisse illum non Uporium, sed Aporium fuisse. Et nonne in suis scriptis scriptores nominum litteras saepe variant? etiam certo saepissime, ut historias legenti patet, ob non plane claram informationem. Acta huius Ladislai lector legat alibi. Quid mirum? nam sub Uladislao II. alter cognatus noster siculus Simon Nyujtódi (cujus castelli fundum hodie possideo) arci Strigoniensi erat praefectus vice-castellanus, ut id ipsum apparet ex privilegio inclytae sedis Kászon.

Nobilis erat haec familia humillima sub Uladislao II, dum scilicet duce Georgio Siculo plebs contra nobilitatem insurrexisset regique bellum indixisset, et rursum, siculi tumultuassent in nativitate Ludovici II, ubi seposita vita, facultatibus, ut debebat, regi suo fidelis persistebat, subque vajvoda Joanne Zápolya, inter fideles, et quidem, ut traditio certa fert, ut dux siculorum in fidelitate persistentium militabat, ut hoc clare apparet in annexis litteris ad annum 1521 et annum 1584.

Nobilis erat haec humillima familia sub Ludo-

ico II. rege Hungariae, sub quo, tempore funestae xpeditionis Mohacsianae, aliquot Aporii sub vajvoda oanne de Zápolya pro conservatione regni arma ripuerant, ducemque praefatum sequebantur. Cur utem regi periclitanti una cum armada transylvanica ppetias ferre nequiverint? quia scriptores hungaci de intentione ducis variant, et ego indecisum elinquo.

Nobilis fuit haec humillima familia, ut rursum edeam, sub Uladislao II. anno 1505 et 1506. Item ab augustissimo imperatore et rege Hungariae Ferinando I. anno 1555, ut ex Constitutionibus Generalibus totius inclytae nationis siculicae apparet in illa Agyagfalva, Zékely-Vásárhely et Udvarhely, rout hae fideliter conservantur in archivis incl. edis Udvarhely. Et non solum nobilis, sed ex priis nobilibus nationis siculicae, prout clare constat x Constitutionibus anni fati 1506, in Villa Agyagalva, quas incl. natio siculica sic concludit: Factae ant hae conclusiones loco, anno, dieque supra notas in primatu Anderae Lázár Gyergyóiensis, in praeentia primorum sedis Udvarhely: Joannis Bőgözi ic Joannes Bőgözi erat Supr. Capitaneus sedis Udarhely), Pauli Nyujtódi, Antonii Kaczai, Joannis et 'etri Benedekfi, Bethlenfalviensium, et Joannis Gerelyfi. Ex sedibus Maros autem et Aranyas: Leonardi apaffi, Michaelis Gyalakuti, Gaspari Barcsai, Nicolai Barcsai, Nicolai Thót, Francisci Alárd, Georgii Tatár, ndreae Deenes. Ex sedibus Csik et Kézdi: Blasii ázár, Joannis Blasko, Alexandri Győrfi, Emerici ecz, Joannis Czakó, Damiani Urko (Urban?), Berardi Czirják, Antonii Kun, Stephani Apor et Ladisai Csomortányi. Ex sedibus Sepsi et Orbai: Valen-

tini Kálnoki, Michaelis Laczok, Blasii Czirják, Petri Daczo, Michaelis Mikó, Stephani Mihályfi, Nicolai Biró. Sed praeter hos innumerabilium multitudinum populi, qui pro bono regni nostri siculici parati essent mori et etiam fidelitatem conservant erga sacram coronam.

Hic duo nota Lector: Plurimae ex his nobilibus familiis ubi sunt? Et nomina eorum sepulta sunt. Nota secundo: Svadeo omnibus dominis siculis, has tres Constitutiones legendas, in quibus et cultum apostolicae salvificaeque religionis orthodoxae romanae viguisse, et fidelitatem summam erga reges Hungariae sacramque eorum coronam servasse, nec non justitiam summe administrasse quondam siculos cum voluptate leges.

Nobilis erat haec humillima familia sub Joanne II de Zápolya, qui princeps, per Blandratam ariana peste infectus, prohibuerat per omnes ditiones suas, integros per tres annos, ne oblatio munda, alias ab ortu usque ad occasum solis offerri Altissimo solita, sub ditionibus suis offerretur. Et ut a majoribus meis, fideque dignis senioribus nobilibus quondam certo intellexi: egit Michael Apor cum conjuge sua Barbara Andrásia, ex illustrissima familia Andrásiorum, atavus et atavia mea, et in cavernis, cellariis locisque occultissimis sacrificantibus et orantibus veris illius temporis apostolis interfuit, quos authoritate fovit, pane nutrivit; vidisses in illo miserrimo statu ecclesiae romano-catholicae miseros catholicos clam illuc convolasse, cum lacrymisque panem angelorum cum voluptate intrinseca animi adorasse. Conservavit itaque zelo suo vere catholico partem illam Siculiae ab Arianismo. Sub hoc tamen Michaele ali-

quam eclipsim passa erat haec humillima familia, cum enim cum Bercsényiis et Andrásiis fidelitatem regi Ferdinando servassent aliqui Aporii, et ex Transylvania exivissent, amissione bonorum mulctati sunt.

Nobilem fuisse hanc humillimam familiam sub principatu Stephani Báthori, ex post regis Poloniarum, testabatur quaedam scriptura in quodam libro apud Illrimum quondam comitem Samuelem Kálnoki, quae sic habebat (appono, ut aperte et veritate omnia fiant, prout vidi) idiomate nativo: Itt hála Estván kerály mikor lengyel kerályságra mene, azon éjjel meghala Estván pap is, et universa ejus bona depraedata sunt per Estephanum Apor. Scilicet: hic pernoctavit (idest in Kézdi-Vásárhely) Stephanus rex, quando ad capessendam coronam regni Poloniae iret, eadem nocte etiam Stephanus sacerdos mortuus est, et universa illius bona depraedata sunt per Stephanum Apor. Haec pro intermedio, scripsitque, ut putem, homo idiota, cum hac de materia ejusdem anni litterae relatoriae apud me existentes aliud doceant. Quamvis Nicolaum Apor inter duces siculorum. Békesio consensisse contra Stephanum Báthori scribit Bethlenius, Libro VI, folio 317.

Nobilis fuit haec humillima familia tempore principum Christophori et Sigismundi Báthoriorum, quorum aliquot privilegia et consensuales prae manibus meis habeo, sed et patet ex subjectis ad annum 1584, et diem penultimam Maji.

Nobilis fuit haec humillima familia sub Andrea Cardinale et principe Transylvaniae Báthori, cujus primarius aulae familiaris Stephanus Apor, cui non tantum ad mortem usque fidelis exstitit, sed et in

morte socius esse voluit, modice tamen prius, quam Cardinalis cum Mikóne interficeretur.

Nobilis fuit humillima haec familia anno 1303, dum cum potioribus Transylvaniae proceribus Joannes senior et Joannes junior, Andreas, Laurentius et Thomas Apor campos Barczenses proprio sangvine irrigarunt.

Hic jam incipit humillima haec familia plenam eclipsim pati. Nam, ut praeattactum est, amiserant quidem quidam Aporii certa sua bona ob fidelitatem regis Ferdinandi; conservaverat tamen atavus meus, Michaël Apor, arcem Bálványos in statu existentem, cum annexis pagis in Comitatu Albensi, praeterea possessiones portionarias in Alsó et Felső-Torja, Esztelnek et reliquis annexis in sede Kézdi, item possessionarias in Pálos et Petek, prout et hodie certa jugera in his ultimis pagis de nomine Aporiorum nuncupantur. Verum Michael hic nactus erat filium Andream, hominem crudelissimi genii, praepotentisque irae, cui dominari non valebat, qui duxit in uxorem Barbaram Lázár, Petri Lázár de Szárhegy filiam, prius quidem conjugem Georgii Daczó de Sepsi Sz. György, ex qua 24 proles procreaverat, masculam tamen nullam post se reliquit praeter natu minorem Lazarum duodennem. Hic ergo Andreas prius in subditos suos saevire incepit, paucique crudelitatem ipsius tolerare poterant, major pars ibat qua poterat, prout litterae relatoriae illius temporis me docent. Crudelitatem tamen suam egregie solvit et nos posteri deflemus. Nam dum duo cancellistae quosdam rusticos jure patriae repeterent, ipsos baculis in tantum excepit, ut in centonibus auferrentur, hic Director Fiscalis eundem evocari curat, et certo amissurus erat et

vitam, nisi inclyta familia Lazariana, jam per uxorem juncta, gratiam eidem vitae impetrasset.

Amisit tamen tunc possesiones Petek et Pálos, amisit possessionem majorem ad arcem Bálványos pertinentem, vix arce et exiguis possessionibus in Cottu Albensi et sede Kézdi retentis. Hinc nihilo melior factus, perrexit in eadem crudelitate, et ubi jam fere omnia dilapidasset, moerore confectus periit cum Moyse Siculo ad Coronam, anno 1603 (et hic primo arx Bálványos desolari coepit, cujus tamen rudera majori ex parte et hodie exstant), relicta post se uxore Barbara Lázár, et unico, ut supra, filiolo; quae nihil marito melior, quae adhuc exigua maritus non amiserat, mulier haec pessumdedit, relicto unico filio in vastissimo aedificio All-Torjensi (nam ex post curiam All-Torjensem in minorem quantitatem avus meus reducere coepit, est morte praeventus, avia perfecit) annorum 14, cum duabus metretis siliginis solum, ascenditque in bona sua Csikiensia, egit et cum his sic, prout et bonis Háromszékiensibus, ita, ut demortua matre unicus filius nihil invenerit in manibus suis. In hoc tamen laudandi, quod fidem orthodoxam strenue defenderint, ut constans majorum traditio et hodie in ore omnium Torjensium depraedicatur. Neque hoc Andrea vivente, aut uxore ejus templum Fel-Torjense occupari poterat, quibus mortuis subito occupatum est, avo meo puero existente. Quin imo dum Commissarii exmissi fuissent ad evertenda altaria, heterodoxisque tradenda templa, velut altera Penthesilea, assumtis foeminis et puellis ante Commissarios cursitabat, ab ereptioneque templorum arcebat ut hodie etiam populi in ore, cum hac comminatione: Szent Asszony úgy segéljen, ha ide jösz, meg kell

halnod, id est: Sancta Domina sic me juvet, si huc veneris, debes mori. Sicque felix mulier in hoc, partem illam Háromszékiensem, quae et hodie verum Deum vere colit, una cum Sede Csik a labe conservavit; hinc forte meruit, quod et hodie in templo Felsö-Torjensi tumba ipsius, una cum tumba Catharinae Apor, conjugis Joannis Kálnoki, incorrupta et quasi solum ante aliquot dies inposita videatur, quas paucos ante annos curiositatis ergo solus aspexeram, quamvis in tumba corpora earundem non inspexerim.

Talem ergo eclipsim passa humillima familia Aporiana. Jam redeo ad unicum surculum antiquae hujus nobilis familiae decem et quatuor annorum, avum scilicet meum, Lazarum, quem adhuc in nativitate sua quondam vere Lazarum futurum pater praedixerat, cum amissis omnibus prolibus votum fecerat, quod si adhuc ipsum prole mascula bearet Deus, quo majoris mendici nomen inveniret, ad illius nomen filium suum baptisari curaret; miserioris sortis nomen ergo cum non inveniret Lazaro, sic Lazarum filium suum baptisari curavit. Hic materia primo datur calumniandi calumniatori, sed an vera? judicet justus Philaletus; cave tamen calumniator, ne talibus calumniis Deum offendas, qui potens est fors cras tecum sic agere, qui hodie gloriaris in familia et divitiis, ne intra momentum Irus efficiaris. Divitiarum enim et paupertatis medium unicum solum momentum est. Lazarus ergo annorum 14, discedente matre, in vastissimi aedificii All-Torjensis (cujus et hodie fundamenta exstant, et praeter quod et aliud jam vix remanserat) quodam cubiculo ad ignem sortem suam deplorans, superveniente quodam antiquo nobile servitore patris, Andrea Bartha, qui et penes puerum

remanserat, interrogatus: cur ploraret? respondit: juste ploro; en mater cum duabus metretis siligiuis me reliquit, num ego aliquando panem triticeum comedere potero? A quo consolatus et in spem erectus, fideliter curam pueri gerebat. Evoluto anno uno, jamque puero annorum 15, svadere coepit, ut duceret in uxorem filiam annorum 14 antiquae familiae Melchioris Nagy de Bibarczfalva, locumtenentis capitanei sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbay ut et Miklósvár; svasit et persvasit. Indicitur dies nuptiarum 15 annorum sponso et 14 annorum sponsae (nomine Frusianae), egit architriclinnm Thomas Bassa, famosissimus ille vir, principis consiliarius et Sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbay supr. capitaneus, sponso in propinquo sangvine junctus. Prout vero Bassa sponso, sic Bassiana sponsae a propinquo sangvine juncta fuerat, et ipsa die nuptiarum a tenera hac virgine interrogabat: Soror, inquit, scisne ollam pultium coquere, cum jam nubas? Vixit non multis annis cum hac uxore, sic tamen vixit, ut potiorem partem bonorum a patre abalienatorum feliciter recuperaverit, erat enim ingenio et prudentia singulari, prout et hodie fama inter nos circumfert. Sed et quidam nobilis Andreas Könczei de Karatna in die obitus avi hujus mei in quodam suo libro mortem ejus sic notavit: „Anno 1643. 15-a Augusti, mortuus est Lazarus Apor, qui ingenio et prudentia pollebat.“ Ex hac uxore aliquot proles suscepit: masculas quidem superstites nonnisi duas: Andream et Franciscum; Franciscus in aula Excellmi Generalis Cassoviensis Adami Károlyi educatus, redux in patriam, juvenis a multis gestis, sed vel a choreis in Transylvania notissimus, in juventutis flore mortuus est

in Csik Rákos anno 1667; Andreas vero genuit Franciscum, Franciscus Volfgangum et Lazarum, modo superstites nepotes meos charissimos; et Volfgangus quidem mansit coelebs, Lazarus vero duxit uxorem Theresiam Kapi, filiam Joannis Kapi et Clarae Vitéz, filii Gabrielis Kapi et Mindszentianae, perpetui haeredis arcis Kapi, in Cottu Sârosiensi. Adeoque et familia Kapiana in Hungaria, et Mindszentiana in Transylvania, antiquissima; prout vero Theresia Kapi ex patre antiquissima est familia, similiter a matre Vitéziana, prout omnes fasti testantur. Filii Lazari Apor: Emericus, Stephanus, Lazarus, Gabriel, filia Elisabetha. Mortua uxore prima aggressus est anno 1627 ducere aliam, Juditham Imecs, quam et anno sequenti 1628 feliciter duxit. Erat haec familia Petronellae Thomori, filiae Laurentii Thomori, nepotis archi-episcopi quondam Colociensis, et bani Serviensis, Pauli Thomori, qui cum rege Ludovico II ad campum Mohács pro patria gloriose occubuit. Petronella haec Thomori prius quidem erat conjunx Nicolai Mikó de Bodok (qui genuit rursum Nicolaum, qui Stephanum, qui Franciscum et Joannem Mikó de Bodok, modo superstites; Joannes Mikó hactenus coelebs); Francisci vero filii a Sophia Bethlen Paulus, Nicolaus et Franciscus. Pauli conjunx Clara Bethlen; filiae Francisci Mikó: Susanna et Maria; Susanna nupsit Emerico Bánffi de Losoncz; filia vero dicti Stephani Mikó Helena, quae nupsit Danieli Vas de Czege, cujus filii Nicolaus, Georgius et Daniel Vas. Mortuo vero Nicolao, secundo nupsit Stephano Imecs, antiquissimae inter siculos etiam familiae, quorum etiam antecessoribus erat demandata interemptio Templariorum in monasterio Haraly in

sede Orbai. Hic Stephanus Imecs, demortuo Melchiore Nagy de Bibarczfalva, successerat in locumtenentia Capitaneatus Sedium Siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbay ut et Miklósvár, Serenissimo Sacri Rom. Imperii et Transylvaniae Principi Gabrieli Bethlen charissimus. Horum ergo erat filia Juditha Imecs.

Sed quia huc devenimus, de regio sanguine hanc Juditham Imecs procreatam sequens genealogia ostendit, prout ex conventu Colos Monostoriensi authentice excepi et penes me habeo.

Truncus Nicolaus Báthori, uxor ejus Sophia Bánffi, horum filius Stephanus Báthori, regis Poloniae Stephani Báthori pater, filia Barbara Báthori, haec nupsit Andreae Czire, horum filia Petronella Czire, quae nupsit Nicolao Valkai de Nagy-Eskellő (iste Nicolaus Valkai cum conjuge sua Petronella Czire ejusdemque matre Barbara Báthori quiescunt in templo Nagy-Eskellőiensi, ut apparet ex epitaphio lapidi inciso; requiescant in pace). Haec quatuor filias habuit: Annam, Barbaram, Susannam, Elisabetham. Elisabetha nupsit Laurentio Thomori; hujus filiae iterum Petronella et Anna; Petronella nupsit quidem primo Nicolao Mikó de Bodok, secundo Stephano Imecs de Nyujtód; hujus filia Juditha superius dicta, quae nupsit Lazaro Apor de All-Torja; hujus proles jam inferius denominabuntur, et inter reliquas genitor meus, Joannes, cujus filius ego, Petrus, filii mei ex comitissa Barbara Kálnoki Josephus, Joannes et Ladislaus, filiae Susanna et Anna; Susanna nupsit comiti Joanni Haller de Hallerkő, quae sine semine defecit, et reliquae proles mortuae sunt.

Sed ab ordine et avo meo tantisper recedere li-

ceat, quousque et reliquas inclytas Transylvaniae familias a Nicolao Báthori descendentes descripsero, ne meam exaltare et illas defraudare videar. Scriptum ergo est, Nicolaum Valkai quatuor habuisse filias: Annam, Barbaram, Susannam et Elisabetham, Elisabetham nupsisse Laurentio Thomori; Anna ergo nupsit Franciso Edenffi, et sine semine defecit; Barbara nupsit Stephano Borsovai, cujus filius Sigismundus Borsovai, cujus filia Elisabetha, quae nupsit Georgio Sükösd, cujus filia Elisabetha, quae nupsit Stephano Petki de Királyhalma, inferius cum suis titulis laudando, cujus filius Joannes Petki, supremus Judex Reg. sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon, cujus filius modernus Comes David Petki, supr. Comes Cottus Colosiensis, cujus filius ex comitissa Sara Zichy, Comes Stephanus, vivat; filiae Susanna, consors Illrmi Dni Cómitis Francisci Kornis de Göncz-Ruszka, et Rosalia, consors Comitis Stephani Mikes de Zabola; reliquae filiae nubiles sunt, scilicet Barbara, Clara et Anna Petki. Filiae Joannis Petki: Sara, consors Illrmi Dni Joannis Toroczkai de Toroczkó Sz. György, Tabulae Reg. assessoris; Sarae Petki filii: Balthasar et Ignatius Toroczkai; filiae: Christina, consors Joannis Béldi, item Maria Toroczkai. Theresia Petki, consors Illmi Dni Georgii Bálinth de Tövis, Exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii; filii Theresiae Petki: Stephanus et Sigismundus Bálinth. Filiae dicti Stephani Petki: Catharina, quae nupsit Stephano Lázár de Szárhegy, supr. Judici Reg. sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon; cujus filia Elisabetha Lázár, quae nupsit comiti Samueli Kálnoki de Körös-Patak, cujus filia Barbara Kálnoki, consors Baronis Petri Apor; reliquae pro-

les Kálnokianae describentur in deductione familiae Kálnokianae.

Secunda Elisabetha Petki, quae primo nupserat Thomae Nagy, cujus filia Sophia Nagy, quae nupsit Petro Daniel de Olosztelek, cujus filius Josephus Daniel, supr. Judex Reg. sedis siculicalis Aranyas; filiae: Barbara Daniel, consors Joannis Nemes de Hidvég, et defecit, Maria Daniel, consors Comitis Martini Keresztes de Sárpatak, supr. Comitis Cottus de Kükellő, cujus filiae: Clara, consors Baronis Emerici Perényi, Catharina, consors Baronis Francisci Andrási, Maria, consors Baronis Pauli Perényi, Barbara, consors Samuelis Bethlen de Iktar; item filiae nubiles: Sophia [1]), Theresia dictae. Elisabetha Petki secundo nupsit Paulo Telekesi in Ungaria, et defecit.

Dicti Josephi Daniel a Maria Macsesdi filii: Joannes, Alexius, filia Sophia, consors Volfgangi Csongrádi, cujus filius Ladislaus, filiae: Maria, Barbara. Dicti Josephi Daniel a secunda conjuge, Anna Toroczkai filia, Petri Toroczkai, filii: Gabriel, Petrus, filiae: Catharina, Christina, Theresia. Dictae vero Clarae Keresztes a Barone Emerico Perényi filii: Carolus, Alexius; Barbarae vero Keresztes a notato Samuele Bethlen de Iktar, filius Dominicus, filia Barbara.

Tertia Juditha Petki, quae nupserat Joanni Damokos de Alsó-Csernáton, cujus filius rursum Joannes, cujus filii: Alexius, Antonius, Joannes, Franciscus; filia Barbara. Judithae vero Petki filiae a Joanne Damokos: Susanna et Catharina; Susanna nupsit Petro Jankó de Zágon, cujus filii: Francis-

[1]) Sophia nupsit Laurentio Baroni Révay (későbbi jegyzet)

cus, Stephanus et Petrus. Franciscus mansit in seculo, Stephanus intravit Ordinem Sancti Dominici in Polonia, et nominatus Casimirus, Petrus factus Soc. Jesu religiosus. Catharina nupsit Stephano Boér de Nagy-Nyujtód, cujus filius iterum Stephanus, filia Anna, quae nupsit Joanni Szeredai de Sz. Rontás.

Barbara Petki, quae nupserat Benedicto Henter de Sepsi Sz. Iványi, nuper supr. Judici Reg. sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon; filii Ladislaus et David.

Susanna Valkai nupsit Ladislao Sombori, cujus proles Elisabetha et Gabriel; Elisabetha nupsit Andreae Lázár de Szárhegy, hujus genitor, Stephanus, sub Joanne Sigismundo, Primarius siculus, frater vero Stephanus et Petrus. Stephanus currente saeculo 1500, sub Sigismundo Báthori praetorianorum ductor, qui etian in proelio Andreae Báthori Cardinalis cum Michaele vajvoda Transalpinae fortiter pugnando, in conflictu mansit, qui Stephanus etiam sub Stephano Báthori, rege Poloniae in bello moscovitico clarissimus fuit. Stephanus vero, genitor Andreae, qui sub Maximiliano archi-duce, et Sigismundo Báthori cum turcis ad pagum Keresztes viriliter occubuit. Parens vero hujus Stephani, rursum Andreas, totius Transylvaniae cancellarius, qui et primatum inter siculos tenuit, ut apparet ex Constitutionibus incl. nationis siculicae ad annum 1506, in villa Agyagfalva; ita et Istvanffius. Andreae hujus secundi filius ab Elisabetha Sombori Stephanus, hujus rursum Stephanus, omnes supr. judices regii sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon; hujus Stephani filius Comes Franciscus Lázár, incl. Tabulae Reg. assessor, cujus proles: Drusiana Lázár, consors Spect. Dni Davidis

Henter de Sepsi Sz.-Iván, adjuncti provincialis commissarii; filii: Ladislaus, Adamus, Gabriel, Franciscus, Michael, filiae Christina, Catharina, Barbara, Clara. Sed ad decorem hujus illustrissimae familiae Antonius Lázár, a prima conjuge, Margaretha Korniis de Göncz-Ruszka, factus religiosus Soc. Jesu, et in hac sacra religione piissime cum fama sanctitatis liem suum clausit. Sed etiam antiquitas hujus illrmae familiae apparet ex eo: quod retroactis quinque saeculis (si paucos annos excipias) semper supremum officium gesserint in sedibus Csik, Gyergyó et Kázon. Filia vero dicti ultimi Stephani Lázár., soror germana Comitis Francisci Lázár, Elisabetha, quae nupsit comiti Samueli Kálnoki de Köröspatak, cujus filia Barbara, consors Baronis Petri Apor, cujus filii: Josephus, Joannes et Ladislaus, filia Anna. Reliquae proles Elisabethae Lázár specificabuntur in deductione familiae Kálnokianae. Saed haec antiquissima familia facile primores suos ostendet adhuc a tempore Toxi ducis, avi sancti primi regis Stephani, qui ad Ismacham Thuringiae capti, et a consociis hungaris redemti sunt; nec etiam facile redemtos crediderim, nisi et tunc inter primores fuissent, teste Bonfinio Dec. I. Libr. 10. Capitaneos Ungarorum fuisse scribit Beham, fol. 7. item Thuróczius P. II. c. 9. Sed vel inde gloriari potest, quod inter omnes Transylvaniae principes gloriosissimus, Gabriel Bethlen de Iktar, matrem habuerit Drusianam Lázár, conjugem Volfgangi Bethlen de Iktar, filiam Andreae Lázár Cancellarii ex conjuge sua Barbara Gyalakúti.

Notavi superius Laurentium Thomori habuisse etiam filiam Annam, quae nupserat Stephano Cseffei de Noszaj, cujus filius Ladislaus Cseffei, proto-nota-

rius regni, et sine semine defecit. Secundo vero nupserat supr. comiti Sigismundo Hatvani, sed nulla prole superstite, et in hac Anna Thomori nomen Thomorianum cum honore sepultum est.

Sed Petronella Thomori praeter Juditham Imecs habuit plures etiam proles, nempe Michaelem Imecs, qui in adolescentia mortuus est; filias Helenam et Frusianam. Helena nupsit Michaeli Jankó de Maxa, cujus filia Helena, quae primo nupsit Ladislao Mikó de Oltszeme, qui absque prolibus mortuus est, secundo Stephano Gyulai de Várad, cujus filius Ladislaus, cujus filii ex Baronissa Anna Haller (magni illius Joannis Haller, a sanctitate vitae notissimi, thesaurarii Transylvaniae, trium regnantium principum, nec non augustissimi Leopoldi imperatoris, exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii intimi, Cottus Tordensis supr. comitis, nec non Catharinae Kornis de Göncz-Ruszka, filia): Gregorius, Joannes (hujus filius Stephanus) et Ladislaus; filiae: Julianna, consors spect. Dni Pauli Béldi de Uzon, hujus filius Antonius; secunda Juditha, prius quidem consors spect. Dni Stephani Toroczkai de Toroczkó Sz.-György, filiae hujus Anna et Barbara; quo deficiente, secundo consors spect. Dni Petri Macskási de Tinkova, cujus filius Ladislaus. Tertia filia Anna, mansit virgo. Frusiana nupsit Simoni Boér de Kopocsel, cujus filii: Sigismundus (in gratiam principissae Apaffianae, Annae Bornemisza factus Calvini assecla et obtinuit vice-capitaneatum Fogarasiensem), Franciscus et Paulus, filia Sophia; Sigismundi filius Paulus; Francisci filii: natu major Simon, arcis et districtus Fogarasiensis supr. Capitaneus; filii ejusdem: Andreas et Emericus, filia Juditha, consors spect. Dni Nicolai

Kereszturi, supr. judicis Reg. incl. Sedis Maros. Secunda Sara, consors Gabrielis Jósika de Branicska, cujus filii David et Gabriel. Nicolai Keresztúri filii: Michael et Stephanus. Tertia Susanna, nubilis. Secundo-genitus ejusdem Francisci Franciscus, supr. Capitaneus arcis Somlyó et incl. Cottus Krasznensis supr. comes, cujus filius Josephus, qui duxit in uxorem Barbaram Haller, Georgii Haller, exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii intimi filiam, nec non Annae Kornis de Göncz-Ruszka, sororis moderni Excellmi Dni Transylvaniae Gubernatoris, nec non Illrmi Dni Comitis Stephani Kornis, exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii intimi, ac per Transylvaniam supr. commissarii, sororem vero minorem Evae Haller, consortis Illrmi Dni Comitis Ladislai Gyulaffi de Rátóth, Incl. Sedis Siculicalis Udvarhely supr. judicis regii ex antiqua hungarorum stirpe. Tertio genitus Francisci Boér filius Gabriel, cujus filius Franciscus. Superius nominati Simonis Boér tertio genitus filius Paulus, cujus filius Ladislaus, Ladislai filius Ladislaus. Filia vero praefati Simonis Boér, Sophia, filii: Samuel, Stephanus et Josephus Boér.

Agressus, ut supra, jam anno 1627 ducere in uxorem avus meus aviam: non prius eidem prudens virgo nupsit, quam prius avus meus prolibus a prima uxore susceptis ratam de omnibus portionem pater extradaret, ea conditione, ut ex Dei benedictione si proles habuerit, etsi unicam, ne ansam contentionis daret cum prolibus primae uxoris, prout hoc clare constat ex testamento avi mei. Conditio inpleta, et ut

supra, feliciter anno 1628 matrimonium contraxerunt; vixerunt invicem annis 15 pacifice. Et quia per matrimonium hoc pulchra portio bonorum accessit avo meo, oeconomisabant ambo sic, ut jam (praeter accepta per Fiscum, ut supra) universa bona abalienata tam a patre, quam a matre in Háromszék et Csík recuperarent, prout hoc apparet ex deliberato coram magno illo viro Stephano Petki, inter reliqua officia sedium siculicalium Csík, utriusque Gyergyó et Kászon supr. Capitaneo anno 1648 celebrato, ubi proles a prima uxore, mortuo marito, aviam meam cum suis prolibus in bonis maternis reacquisitis impetere volebant. Non solum vero reacquisiverunt abalienata, verum pluribus bona adhuc sua exigua auxerunt.

Sed calumniatori rursum hic calumniandi datur ansa, sed an recte? Philaletho judicandum relinquo. Objiciet ergo calumniator: hunc Lazarum fuisse vicejudicem regium per 15 annos sedis Kézdi; ad quam calumniam respondeo:

Primo: Ostende ante hunc, aliquem Aporium vice-officium gessisse, ostendam ergo tibi, si vis, ante hunc plures Aporios suprema officia gessisse. Respondeo secundo, retorquendo: Lazarus Apor erat v. judex regius per 15 annos Sedis Kézdi, non nego, sed eodem tempore illius collegae erant in sede Sepsi Stephanus Kálnoki, parens Comitis Samuelis Kálnoki, in sede Orbai Sigismundus Mikes, expost principum consiliarius et supr. stabuli praefectus, parens Michaelis et Clementis Mikes, illius quidem totius Transylvaniae Generalis et consiliarii, hujus vero Regni Praesidentis, Siculorum Generalis, prius sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklós-

vár supr. capitanei, expost incl. Cottus Albensis supr. Comitis et regni proto-notarii, genitoris Comitis Michaelis Mikes; et quod mirum, tantis officiis fratres suos germanos functos, minor tamen eorum germanus Thomas Mikes sequebatur ut v. judex regius Sedis Kézdi; in sede Miklósvár Ladislaus Kálnoki. Objice ergo et his inclytis familiis, livor, quod quondam fuerint v. judices regii, prout haec patent ex protocollis incl. sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár. Sed an fuisti in judicio Dei? Quis scit, si Lazarus hic pluribus potuisset annis vivere, num et hic ob singularem prudentiam promotionem suam perdidisset? mortuus enim est in optimo quasi aetatis robore, anno suae aetatis 48, vel inde vero nobilis, quod illustrissima familia Mikesiana tantisper nota infecta, quamvis subito in gratiam recepta, universa bona Mikesiana donatione mediante huic Lazaro erant collata per principem Rákóczium, prout et donationes actu prae manibus meis exstant; quam primum vero eadem illustrissima familia in gratiam recepta fuit, amore fraternitatis universa restituit. Tertio: dum illa tempora, quo avus meus officium hoc gessit, fuerint valde tempora bellicosa, turbulenta et mirabilia, ut ex scriptoribus transylvanicis constat, lege vero patriae, ut habetur Approb. Const. parte 5. edicto 58, vice-judices regii ab expeditionibus bellicis erant immunes, hinc vel primariae familiae vice-judices regii esse ambiebant; prout etiam hodie vel ipsi vice judices regii in sedibus Siculicalibus Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár semper ex primariis familiis eliguntur et constituuntur [illegible] et nota, inter siculos saepius ex vice-officialibus [illegible] tos fuisse supremos, et consiliarios principum, [illegible]

apparet ex protocollo Trissediensi praeter fatum Sigismundum Mikes in persona Thomae Nemes.

Mortuo ergo anno 1643, aetatis suae, ut supra, annorum 48 Lazaro, relicta vidua Juditha Imecs cum 6 prolibus masculis, Lazaro, Petro, Stephano, Joanne, genitore meo, Volfgango et Sigismundo postumo, matrem prolium harum principissa Sophia Báthori, celsissimi quondam principis Georgii Rákóczy junioris vidua, ad servitia sua sollicitavit, quae tamen minorennitate prolium suarum semper se excusaverat, adultis vero prolibus (exstant litterae) scribit, jam nullam habere excusationem posse, cum proles adoleverint, lataque praedia in quatuor pagis ex proprio patrimonio promittebat; opinor ob famam insignis oeconomiae et religioni catholicae addictissimae. Utinam non respuisset, fors et culina mea hodie pinguior esset.

Hac relicta vidua templum supra Karatna anno 1660, ut in relatoriis apud pie defunctum patruelem meum Stephanum vidi, ipso die Theophoriae sacro vi raptum, sic: dum processio perrexisset ex templo All-Torjensi more solito ad sacrum hunc locum, praelatumque fuisset vexillum quod avia mea curaverat, et cui nomen suum acu inpictum erat, calvinistae vi obviam ruentes, „non huc feres amplius Juditham Imecs", et sic miseri catholici in illis temporibus turbulentis et a devotione turbati et templo privati sunt. Obiit haec pia mulier anno 1676, circa 10 Decembris, ex moerore mortui filii Joannis.

Lazarus, absolutis Tyrnaviae studiis, redux in patriam, principi Georgio Rákóczio in infausto conflictu ad Gyalu unus ex custodibus corporis erat, a latinitate et militia illo tempore laudatissimus. Ex-

ost sub expeditionibus ad Szathmárinum, Böszörény, Fülek et Viennam tam sedium siculicalium epsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár, quam sedium iculicalium Csik, utriusque Gyergyó et Kászon caitaneus supr. substitutus, adeoque post praeclara geta et fidelia obsequia a Celsissimo principe Michaele Apaffi post reditum ab obsidione Viennensi supremo Capitaneatu actuali incl. sedium siculicalium Csik triusque Gyergyó et Kászon, necnon protonotariatu onatus erat. Priusquam vero haec officia adire potuisset, mortuus est in curia sua nobilitari Kis-Nyujódiensi, anno aetatis patris 48, Christi 1683.

Petrus tantisper aulam principis Georgii Rákózy junioris secutus, expost cum eodem in regnum Poloniae cum armada pergens, in deplorando illo onflictu vel potius laniena, ubi exercitus transylvaus vel totaliter deletus, vel in miseram captivitatem bductus fuisset, gloriose in conflictu periit. Erant in oc conflictu funestissimo duo Aporii: jam nominatus Petrus, et frater ipsius a patre germanus, Andreas. Hic n diram captivitatem Crimensem ductus, postliminio patrimonio suo divendito, aereque aviae meae liberaus, saepe miseram suam in illa captivitate calamitem, me etiam puero audiente, describebat, sed e litterae ex eadem captivitate novercae suae, aviae meae scriptae, et a me conservatae testantur.

Hinc, invide livor, fors iterum accipies materiam calumniandi, dum magnum illum comitem Stephanum ab ovo describam; sed in fine suo respondebit Philalethus. Stephanus ergo hic inter reliquos fratres puer petulantior, sed qui semper cum advenis et ignotis conversaretur, notitiamque contraheret, ex quibus actibus suis tunc adhuc bonum omen capiebat,

a matre reliquis fratribus postpositus; cujus petulantiam dum mater compescere non valeret, tradidit eundem magno illo viro, cujus fama in Transylvania perennis erit, cui dum et turca principatum Transylvaniae offerret, gloriose respuit — scribo: magno viro, qua et ecclesiae catholicae acerrimo propugnatori, et patriae patri ac defensori, Stephano Petki de Királyhalma, totius nationis siculicae Generali, aulae principis supremo magistro, consiliario intimo, incl. Cottus de Kükellö Comiti nec non sedium siculicalium Csik utriusque Gyergyó et Kászon Capitaneo utrobique supremo, magno, ut scribo viro, sed qui vere illud poetae observavit; „Verus amor miserum nunquam contemnit amicum", eo magis consangvineum. Nam Stephanus, etsi ex humili familia Aporiana fuerit, valde tamen proximus erat cognatione huic magno viro. Suscipiens ergo in aulam suam magnus hic vir petulantissimum hunc puerum, ubi ut domi, sic hic petulantissimus (quae scribo, ex ore ipsius desideratissimi mei patruelis Stephani habeo gloriabundi), petulantiam ejus magnus vir omni conamine frangere nitebatur, subinde scuticae non parcens; sed scutica dum eundem punire volebat, solebat dicere: deponite tapetem super quem jaceat, consangvineus enim meus est." Subinde nudipedem penes carpentum circumducebat, et mille quidem modis et mediis petulantia pueri frangebatur; ast disciplinam puer ferre non valens, semel clam ad matrem discessit; mater, egregie verberibus excipiens, verberatum domino remisit, ubi secundam castigationem, si non majorem, similem rursum acquisivit. Subinde vestibus nudatum herus suus puniebat, tunc etiam ad matrem confugit, quae materna misericordia tacta, vestes ipsi honestas cu-

ravit, remisit tamen ad herum. Herus dum interrogasset, ubi vestes accepisset, et gloriabundus respondisset: has mihi domina mater curavit: detractae subito vestes, dominus Stephanus tapeti incumbens, egregiam rursum scuticam acquisivit, vestes matri remissae, addita scriptura: si vellet mater, ut Dominus illum instrueret, abstineret a similibus, sciret enim in tempore, quales vestes fieri deberent Stephano, jam ipsi curae esse. Et cum magnus ille vir, videns ingenium pueri, omnibus mortificationibus eundem castigaret, tertio ex Maros-Szent-Gyögy, dum dominus et domina ad meridiem quiescerent, iterum clam discedit, sed ex proximo nemore revertitur, et jam herum et heram, ad parvam portam sedentes invenit, quibus audacter obviam it, lodicem suam sub ulnis portans; quem cum interrogasset herus: ubi fuisti, Stephane? respondit: aufugeram, Domine; ad quem herus: quousque aufugeras? ad proximum, inquit, nemus. Ad quem herus: cur ergo redivisti? recogitavi, inquit: si domum ivero, mater mea me egregie verberari curabit, et remittet, et hic adhuc melius verberabor; hic sum, videris, domine; si semel curaveris verberari, bis non patiar. Cui subridendo herus et hera dixerunt: Intres solum, Stephane. Duravit haec mortificatio petulantiae tribus fere annis. Interim princeps Georgius Rákóczy junior considerans quidem et pueri petulantiam, sed et dexteritatem et prudentiam et activitatem in agendo, saepe ad magnum virum, herum Stephani dicebat: Videbis, domine frater, adhuc in tempore praeclarissimus vir efficietur ex Istók, sive Stephano, eo enim nomine compellabatur tam a principe, quam hero suo, quam reliquis dominis, in hoc tunc etiam valde laudatus, quod sem-

per fidelissimus fuerit hero suo. Discant hic parentes, quomodo petulantes proles educare debeant. Post plurimas ergo toleratas mortificationes, contigit semel, ut Stephanus ab hero mitteretur ad supremum principis clavigerum, ut mitteret ipsi ex principis vino; probabiliter impeditus claviger respondit: minimam suam curam nunc majorem esse; quod responsum dum retulisset hero, herus componens cultrum et strophiolum (ad prandium enim erat), nulli quidquam dicens, recta vadit in aulam principis, et intra portam ad se accersiri curat supremum clavigerum; quem dum interrogasset: quisnam officialis suae celsitudinis esset? respondissetque: se supremum clavigerum esse, rursum reponit: quis ergo ego? respondit: scio quod Dominus sit supremus aulae praefectus; cui reponit: talis et talis inter supremum aulae praefectum et supremum clavigerum magna distinctio. Tunc clavigerum ad nauseam verberari curat. Hinc claviger terrefactus, etsi Stephanus pleno dolio vinum desiderasset, non denegasset. Dolio quidem non, sed convocatis urfionibus et majoris characteris nobilibus juvenibus, ex principis vino Stephanus convivia faciebat; quod ubi herus suus rescivisset, dissimulavit, et bonum omen pronunciavit, dum cum se majoribus conversaretur. Contigit autem, ut ad salutandum principem intrarent in Transylvaniam Comites Zrinyi et Draskovics, cum quibus quidam Pater Paulinus, cujus pulchro cantu dum mirifice delectaretur princeps, contigit, ut omnes in prandio bene biberent, et ad coenam Pater non compareret; dum vero interrogasset princeps, ubi esset Rudus Pater? respondissentque principi: non posse venire, nam ad fornacem se ponens, habitus ad dorsum combustus est,

subito princeps suam albam chlamidem adferri curat, cujus subductura sola constabat, ut pie defunctus patruelis referebat, tribus millibus leoninis (leoninus constat duobus flor. hung.) eandemque Patri mittit et donat, et subito ut adveniret, mandat. Sub coena jam laetus princeps, ut magnificentiam suam coram dominis Hungariae ostentaret, ordine dominos alios vestibus pretiosis, alios ornamentis equorum, alios armis donare incipit, solus magnus hic vir, Stephanus Petki, nihil acceptare voluit. Contigit autem, ut more solito ad mensam crapulatus obdormiret, tunc surgit princeps, et clam 100 aureos sacco ejus imponit, digito comminans Stephano his verbis: „Istók, Istók, tudd meg hogy én vagyok az erdélyi fejedelem," id est: Stephane, Stephane, scias me esse principem Transylvaniae. Postquam vero magnus hic vir discessisset cubitum, et mane surrexisset, induta tunica, more solito, ut crapulatam tergeret frontem, excipit strophiolum, excidunt aurei, de quibus dum Stephanum interrogasset, quis sacco imposuisset, respondissetque: se tantisper in negotio heri a tergo ipsius discessisse, probabiliter tunc sunt impositi — exclamavit: „Chare princeps, tuum est hoc donum." Dumque ad principem intrasset, et princeps interrogasset: „Domine frater, dixitne tibi aliquid Istók? sive Stephanus: dumque reposuisset: nihil, rursumque interrogasset: invenissetne aliquid in sacco? respondit: „Omnino; et statim adverti, Vestrae Celsitudinis clementiam esse." Ibi princeps narravit, quomodo imposuisset 100 aureos, et comminatus fuisset Stephano. Tunc rursum princeps: Domine frater, sicut saepe dixi, honora Istók, sive Stephanum, praeclarus adhuc ex illo vir efficietur; ecce puer et ad unam comminatio-

nem nostram qualem fidelitatem servavit!“ Ex aula in hospitium discedens, magnus hic vir jubet, ut Stephanus jam mensae suae assideret (dicebat pie defunctus patruelis meus: maluisset nudipes ex regno exire, quam illi tabulae assidere; debuit parere vel propter solum metum). Expost jam omnia heri sui prae manibus habens, a petulantia correctus, adhuc duobus annis penes herum suum mansit. Post haec magnus ille vir procuravit illi matrimonium cum Barbara Veres, filia filiae Matthiae Huszár, prius conjuge Stephani Szeredai. et quia a patre Stephani multae proles relictae erant, creavit primo vice-judicem regium inferioris Csik. Sed Stephanus et tunc, quis esset futurus, ostendit, dum duos tresve scyphos argenteos. quos a majoribus acceperat, pignori imponebat, et tamen semper cum se majoribus convivabatur. Mansit in eo statu, donec anno 1678 Paulus Béldi ad portam ottomannicam confugisset (quamvis Stephanus jam bis Constantinopoli fuisset, et trans mare bonam partem terrarum peragrasset), cum Volfgango Bethlen et Clemente Mikes contra Béldium Byzantium missus, ibi feliciter confectis rebus principis, pro laeto nuncio referendo remittitur ad principem, qui dum principi exposuisset, fratrique suo Lazaro (qui Béldio adhaerebat, et mirabiliter eundem Constantinopoli a captivitate complici liberaverat) gratiam impetrasset, rursum a principe accipit gratias has: creatur supremus arendator tricesimarum transylvanicarum, donatur bonis Valentini Kálnoki, aeque partem Béldianam secuti, et Constantinopoli in captivitatem detrusi. Mortuo autem magnae memoriae viro Joanne Petki, supr. judice regio sedium Csík, utriusque Gyergyó et Kászon, sub Magno Cibinio in castris earundem

inclytarum sedium supr. judex reg. electus et creatus est a celsissimo principe Michaele Apaffi, et paulo post etiam Tabulae Judiciariae ut vocant Regiae assessor confirmatur, et vita ejusdem celsissimi principis durante his officiis functus. Mortuo enim Fogarasini, invaserat Thökölius regnum Transylvaniae, et exiguam militiam caesaream multitudine ad Törcsvár obruit; praesens in hoc conflictu, vix evasit, ubi tamen magna pars Transylvaniae Thökölio adhaesisset, mansit in fidelitate augustissimi Leopoldi inconcussus Claudiopoli. Jam qualia merita in ecclesiam Dei, in regem legitimum, in patriam habuerit, calamus meus exprimere non potest; scio historicos memoriae prodituros posteritati; tu inde conjice, Lector, quod supremus in terris Christi vicarius binas (quas ut gemmas custodio) litteras ipsi scribere non sit dedignatus. Conjice, secundo, non secus acquisivisse suprafata officia, nisi magna virtute. Scio acta hujus magni viri ad consummationem saeculi duratura. Mortuus est Cibinii anno 1704, dum tunc etiam in fidelitate augustissimi sui regis subsisteret. Ut vero educationem suam posteritati transcriberem, saepe me monuit.

Sequitur Joannes, genitor meus, qui necdum duorum annorum uxoratus, dum ego 3-ia Junii anni 1676 natus fuissem, ille 2-da Decembris eodem anno peste exstinguitur, a sanctitate vitae, et a bona oeconomia laudatus, me relicto in testamento fratri minori Volfgango. Sed et hic homo juvenis anno sequenti 1677 eadem peste exstinguitur, me relicto fratri suo majori Stephano.

Sigismundus infans unius anni mortuus.

Vidisti, Lector, avum meum et aviam suam, habuisse filios; habuerunt et filias duas;

et Sophiam; Barbara nupserat Perillustri Dno Francisco Tordai de Somolyom (de qua familia et in quibusdam gallicis scriptoribus, sed latino idiomate, multa laudabilia legi), cui convixit medio solum secundo anno, nam maritus ipsius etiam mansit in nunquam satis deplorando conflictu polonico. Viduitatem servavit annis quinquaginta et uno cum summa laude, ita, ut merito concionator assumserit textum S. Pauli (I. ad Timotheum cap. 5. versu 3.) Honora viduam, quae vere vidua. Est mortua anno 1708, anno aetatis 78. Sophia vero virgo nubilis mortua est.

Ex tot tamen prolibus avi mei Lazari et aviae meae Judithae Imecs unicus nepos per misericordiam Dei vivo ego, Petrus, qui haec scribo, qui an serviverim ecclesiae Dei et patriae, etsi intentio non defuit, tamen certus non sum. Interim de actis meis qualia testimonia habeam a Dno Dno Gubernatore Transylvaniae Comite Sigismundo Kornis, et ab antiquitate familiae et a variis animi corporisque dotibus vere excellentissimo, Suae Ssmae Caes. Regiaeque Mattis Generalibus Commendantibus, reliquisque officialibus per manus fidelis Notarii in Ordinem reduci curavi; illa lege, posteritas, et si quae digna inveneris quae sequaris, sequere, sin minus, fac opera digniora. Vidisti superius, nondum me medii anni infantem, et jam orphanorum panem comedisse, fortuna me lusit et illusit, quam nec laudo, nec culpo, nihil aliud tibi, posteritati, transscribo de actis meis, nisi quod sacrae salvificae apostolicae romanae fidei omnibus viribus intendissem servire, sed vel inde glorior, quod ad viginti vel viginti quinque nobiles animas e faucibus Diaboli ad salvificam hanc fidem traduxerim, et quidem aliquas tales, de quibus dicebatur : citius

me ex petra aquam educturum, quam illas conversurum. Operante tamen mecum Spiritu Sancto, viderunt omnes illas catholicas, et obstupuerunt. Legisti, posteritas, superius, nunquam Oporium vel Aporium labe haeresis infectum, nec tu ergo familiam tuam commacules, Apoc. 2. v. 10., sed esto fidelis usque ad mortem, id est ad consummationem seculi, et dabitur tibi corona vitae. Sed et vos, filios meos charissimos, Josephum, Joannem et Ladislaum, paterne moneo, ut et vos, prout ego, hanc admonitionem meam paternam non solum observetis, sed et ad posteros sub anathemate transcribatis.

Initium fundationis arcis Bálványos haereditariae Aporiorum.

Arx Bálványos sive idololatriae, prout in Confirmatoriis Sigismundi imperatoris superius declaratis vidi, fundata fuit ab Opour. Nam postquam S. Rex Stephanus devicisset Gyulam ducem, et etiam Transylvaniam ad cultum veri Dei deduxisset, siculi tamen parere nolebant, sed super montem petrosum excelsum in sylvis multis annis ad idololatriam ad hanc arcem ascendebant; hinc ad hunc usque diem arci huic nomen mansit Bálványos vára, sive arx idololatriae, quae tamen exteriori muro aucta erat tempore regum Hungariae Belae IV, circa annum 1236, et Ladislai IV, Kún László dicti, quando rex Béla exulare ob tartaros coactus, et sub Ladislao duobus annis per tartaros vastata fuit patria, tunc enim armis victualia ad hanc arcem praedecessores nostri deportabant, et sic se conservabant.

Corollarium totius operis.

In gratiam illorum, qui forte vexis, cachinnis, calumniis, irrisionibus, jocis hoc meum exiguum opus exceperint, brevissimum hoc corollarium appono. Primo : forte negabis fur famelle, Opourium fundasse arcem Bálványos; ego parum tecum disputabo, sed reponam: aliquis fundavit et erexit; rusticus et ignobilis non fundat, non erigit arcem, ergo qui fundavit arcem Bálványos et erexit, erat nobilis, quocunque nomine vocites. Secundo : controvertes, quod moderna familia Aporiana non descendit a fundatore arcis Bálványos. Libenter tibi concedam, si saeculum, annum vel mensem, imo unicum diem demonstraveris, quod a fundatione ejusdem arcis aliqua alia familia possederit. Si ergo demonstrare non poteris, fatearis, quod a fundatore descendat familia Aporiana. Inficiaberis, quod non tempore idololatriae sit aedificata; sequerer opinionem tuam, si vel ipsum nomen non corresponderet. Sed cum post idololatriam aedificatam non inveniam, nisi auctam, nec tu ostendere poteris, opinioni tuae subscribere non possum. Miraberis me Oporios palatinos et vajvodas scripsisse; si ad palatum non scripsi, desine mirari, et alios loco illorum ad praefatos annos substituas. Sed an ex praestantioribus historicis et litteralibus instrumentis aut monumentis substitues? valde dubito. Cum cachinnis excipies nos descendere ab Árpád; videas, habeas tuam recreationem, sufficiet mihi et hoc, quod fundator arcis Bálványos rusticus non fuerit, a quo meam familiam descenderc ex praecedentibus rationibus negare non poteris, cujus etiam prae-

decessores haud ignobiles esse crediderim. Quidquid ergo ad praecedentia dixeris, ex hoc corollario negare non poteris, quod familia Aporiana ab exitu ex Scythia non fuerit nobilis. Quod erat probandum, et scopus totius operis.

N. B. Ubi lex patriae praescribit de territorio Aporiano, Compil. Const. Part. III. tit. 8. art. 2. territorium arcis Bálványos est.

Protestatio.

Protestor vero coram Deo, in nullius inclytae familiae invidiam hoc opus, pluribus annis elaboratum, et fere tribus in ordinem redactum, edidi, prout nec ullam inclytam familiam vel minimum laesi; quin imo nec attigi, nec ulli, nisi invido, injuriam feci. Secundo : non ad exaltationem familiae meae laboravi, sed quasi sub anathemate a meo pie defuncto patruele, Comite Stephano Apor hic labor mihi erat impositus. Tertio : quod vix crediderim posteros meae familiae tantam notitiam potuisse habere, cum et ego, ob plurimas vicissitudines temporum, aliquot antiquas litteras nostras perdiderim. Tu ergo vel sola posteritas, charum habe hunc laborem meum, et excusatum me scias, quod non descripserim majorum meorum officia et possessiones, quas a majoribus amplissimas habuisse, et plurima gessisse officia, certo intellexi. Interim, ut vidisti superius, patruelis meus Laurus anno 1678 universa fere litteralia instrumenta paradiderat Constantinopoli : hic vero ea solum apparatum, quae ex archivis, libris, monumentis comprobata sum; satius judicavi audita negligere, quam authentice comprobare non valuissem, nec vana aliorum exponere.

FAMILIA KÁLNOKIANA.

Barbarae Kálnoki matris proles meas esse scripsi; ne ergo huic antiquae familiae suus honor desit, paucissimis attingam. Fundavit itaque hanc inclytam familiam Andreas Nemes de Kálnok; hic, dum in montibus Carpaticis gloriosissimus rex Ludovicus I. venatione se delectaret (venatione enim mirifice delectabatur in juventute, teste Bonfinio), et jam ursa in praedam regem destinasset, hic Andreas in bolum ursae se objecit, et gloriosissimum regem a praeda ferae bestiae liberavit. Hinc huic inclytae, respective illustrissimae familiae ursa pro insigni data, quo insigni et hodie utitur, ut id apparet ex litteris armalibus ab eodem rege datis. Hujus filius Stephanus Nemes de Kálnok, cujus filius Mathaeus, hujus Demetrius, hujus Andreas, hujus Valentinus et Michael deficiens, hujus Valentini superius in Constitutionibus nationis siculicae laudati, Petrus, supr. judex regius trium sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai, a conjuge sua Clara Burcsa; sed hanc verius Aporianam fuisse vide superius. Petri hujus filii: Valentinus et Thomas; Valentinus Tabulae Reg. assessor; Valentini filia, ex conjuge sua Anna Petki, filia Spect. ac Magf. Joannis Petki de Ders, Transylvaniae cancellarii, Drusiana, quae prius consors Joannis Kemény, ex-

ost Thomae Bassa, filius vero Joannes, aeque Tabulae Reg. assessor et sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai supr. judex reg. qui audacter contralixit sanctioni pragmaticae contra religionem catholicam et vel praecipue contra Societatem Jesu, ut apparet ex protestatione anni 1606. Filius hujus Joannis a conjuge sua Catharina Károlyi, filia Stephani Károlyi, serenissimi Poloniarum regis Stephani Báthori campestris capitanei ex conjuge sua Sara Bethlen, filius Stephanus, cujus filius ex conjuge sua Anna Béldi, filia Clementis Béldi, totius nationis siculicae Generalis, acerrimi propugnatoris fidei romano- catholicae, ut apparet ex epitaphio lapidi sepulcrali inciso, ex conjuge sua Margaretha Bánffi, Comes Samuel Kálnoki, qui philosophiam Viennae Austriae absolvit, expost penes Excellmum Dnum Petrum Comitem a Zrinio, Banum Croatiae familiaris, tam politicis, quam militaribus operam dabat, a quo etiam singulari gladio donatus fuerat. Redux in patriam, quia virtus invidiam secum trahit, quamvis et in scientiis doctissimus, et in militaribus expertissimus, difficillime evadere poterat; primo dum Viennam Austriae Kara-Mustafa vezérius obsedisset, et ut se sequatur, Michaeli principi Apaffio imposuisset, tunc primo constituitur substitutus supr. capitaneus sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár; unde dum rediisset, et in anno 1686 Emericus Comes Thököli, ut inimicus patriae cum suis hungaris et certa turcarum manu ad Hunyad [illegible] lisset, adversus praefatum hunc Comitem a [illegible] Michaele Apaffi cum valida siculorum manu [illegible] tus, hunc non solum profligavit, verum et [illegible] anicseros in unum cumulum sepeliri curavit. [illegible]

anno aeterna memoria dignus Generalis caesareus Fridericus Comes a Veterani, quartirisans in Máramaros, totius patriae supr. commissarium ea dexteritate egit, ut quousque praefatus Generalis vixerat, semper ei charissimus fuerit. Et jam primo post tot labores factus est supr. judex reg. sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklosvár; dum vero anno 1690 Generalis Donatus Comes ab Hejzler, non virtute, sed paucitate suorum ad Törcsvár praetenso principi Emerico Thököli cedere debuit, ut fidelitatem regi suo servaret, Coronam profectus, unde quasi per vim a praefato Thökölio extractus, regi tamen fidus manebat, ubi omnia molimina hostis laudatissimo Dno Generali Veterani communicabat; tandem in suspicionem Thökölyi incidens, ad Csík Lázárfalva in diram captivitatem incidit, et in praesentissimo vitae periculo versabatur, nisi fidelissimi servi correspondentionales litteras clam subripuissent. Expost inter spem vitae et mortis, sub eadem dira captivitate in Valachiam abductus, sperans et spirans, novem mensibus in illa captivitate detinebatur; per gratiam Dei ex illa liberatus et adhuc aliquo tempore in Valachia moratus, clam ad fidelitatem sui regis redivit. Anno tandem 1695 a Transylvaniae Statibus in procancellarium Transylvaniae electus, et ab augustissimo Leopoldo imperatore confirmatus, Viennam se contulit, quod officium ea dexteritate gessit 11 annis, ut in diplomate, in quo Comitem ipsum creat, charissimus fuisse praefato augustissimo imperatori videatur, nam merita ipsius longe lateque commemorat; sed vel inde cum laude se gessisse appareret, quod in ultimis annis consiliarii thesaurariique transylvanici honore ipsum condecorat. Verum haec

officia adire non poterat, cum in illo turbatissimo Hungariae et Transylvaniae statu Viennae mortuus sit 6-ta Octobr. anni 1706, aetatis 66, et sepultus apud admodum Rndos Patres S. Augustini de larga manica extra urbem Viennensem. Solitus erat hic bonus Comes dicere, ut caeteris paribus qui vult elevare suam familiam, semper uno gradu se ex altiori conjugem ducat, et uno gradu ascendet, descendet vero eodem gradu, dum se inferiorem duxerit; quod adagium ita observasse lineam hanc Samuelis Comitis video, ut fere omnes principes familiae in Transylvania eidem conjunctae fuerint.

Comes hic Samuel Kálnoki a Comitissa Elisabetha Lázár conjuge sua unicum reliquit filium, Adamum, supr. capitaneum sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon, cui nullus in Capitaneatu successit; Deo notum, an succedet aliquando aliquis; qui etiam anno 1719, die 1-ma Julii in peste obdormivit. Reliquit vero filios ex conjuge Maria Mamuka, graeca, Dominicum, Antonium, Thomam, Pium sive Samuelem, Franciscum et Josephum, item filias Justinam, Catharinam et Theresiam. Justina infelici connubio juncta Baroni Sigismundo Jósika de Branyicska, Catharina feliciori Comiti de Lamesande de Salin, caesareo centurioni ex regimine Linevill, Theresia adhuc virgo.

Praefatus C. Samuel Kálnoki a dicta conjuge habuit filias: Sophiam, Annam, Barbaram, Susannam et Agnetem; Sophia nupsit Joanni Boldogfalvi de eadem, quae et in virili sexu defecit, filia superstite Sophia, quae primo nupsit Adamo Mikó de [illegible] qui sine semine defecit, secundo Joanni Buda [illegible] nupsit Francisco Lugosi de Magyar-Peterd. [illegible]

posteri Ladislaus et Sigismundus Lugosi, filia Elisabetha, quae nupsit Paulo Comiti Conspurg. Barbara nupsit Baroni Petro Apor de All-Torja, cujus proles superius saepe nominatae. Susanna, monialis, ingressa monasterium Posonii, disposita Budam, modo Pestinum. Agnes nupsit Bartholomeo Comiti Ferrati, italo ex Neapoli, cujus filii Mathias, Michael.

Quia vero dictum est Petri Kálnoki secundo genitum fuisse Thomam, Thomae hujus filius Benedictus, Benedicti filii: Michael, Ladislaus et Joannes; Michaelis filii a conjuge sua Catharina Damokos, Valentinus, Petrus, Michael, Thomas, reliqui defecerunt; sed Thomae filius Michael, et Joannes, quorum posteritates videbis in deductione familiae Nyujtódianae. Benedicti secundus filius dictum est quod fuerit Ladislaus, cujus filius Volfgangus, Tabulae Reg. assessor, cujus filius Josephus, cujus filia Theresia, consors Ladislai Kendeffi. Filia vero dicti Volfgangi Kálnoki Eva, quae nupsit Josepho L. Baroni a Farmetin ex Foro Julio. Benedicti tertius filius Joannes, duxerat in uxorem Catharinam Apor, quae jacet in templo Fel-Torjensi, ut apparet ex inscriptione; sed defecit.

Posthuma gloria familiae Thomorianae.

Quia vidisti, Lector, superius, quod haec humillima familia Aporiana etiam suam originem ducat a Laurentio Thomori, quae inclyta familia ultimo defecit in Anna Thomori, prius conjuge Stephani Cseffei, expost Sigismundi Hatvani: ingratus essem,

si hujus familiae meae saltem memoriam posteris non relinquerem.

Notus est ex historiis Paulus Thomori, archiepiscopus Colocensis et Bácsiensis ecclesiarum canonice unitarum, et banus Severiensis sive Syrmiensis, quem quidem aliqui tristissimae, nec satis ab Ungaris deplorandae cladis Mohácsianae authorem scribunt, excusant alii, et certo, Lector benevole, evolve decreta Ludovici II, pervolve historias, considera regnante Ludovico II tempora, videbis non solum Cibinii in Transylvania Islebiensis doctoris tubam tristissimum classicum sonuisse, ut apparet ex litteris admonitoriis ejusdem Ludovici II ad Cibinienses datis, sed etiam per totam Hungariam quasi bellum adversus magnam nostram Matrem et haereditariam Dominam Mariam promulgasse, ut constat ex decretis ejusdem Ludovici II, et quidem ex constitutionibus Budensis Diaetae anni 1523 art. 54.

Utinam bonus rex Ludovicus non solum hanc legem sanxisset, sed imitatus fuisset gloriosum Hungariae regem Mathiam Corvinum, praedecessorem patris sui, a quo dum Joannis Husaii asseclae audientiam impetrassent, petiissentque ut verbum Dei (ut ipsi loquebantur) liceret eisdem seminare in regno Hungariae, interrogati a rege, num semen quod seminare velent, simile esset illi, quod S. rex Stephanus, Ladislaus et reliqui seminarunt? respondentibus illis, quod purius sit illo, inquit rex: „si purius, certo excrescet“, et subito extra Budam una cum libris vivos sepeliri curavit; unde factum, quod vivente glorioso rege Mathia similis farinae homines Ungariam tentare ausi non fuerint. Ita de schismate Hungariae Florimundus Remundus.

Certo si, inquam, hunc regem fuisset secutus Ludovicus, nunquam tot calamitates quae secutae sunt, Hungariam lacerassent, hinc est quod recesserimus a testamento patris nostri et apostoli Sancti protoregis Stephani, Decreti ejusdem I. cap. 1. c. 2. et c. 3, item testamenti ejusdem conditione, in quo magnae suae matri Mariae suam legat Hungariam ab omnibus posteris semper colendae. Ne mireris ergo, si accidit id, quod in S. Emerico omnibus nobis praedixit ejusdem Decreti I praefatione. Secunda ratio: irati numinis vindictam considera; qui enim non honorat matrem, inhonorat filium, nec est consilium adversus Dominum. Tertio: sub ipso saeculo V a morte divi regis videtur ac si advenisset fatalis periodus Hungariae; nam sub Uladislao II disciplina militaris sensim defecit, licentia magnatum crevit, oppressio pauperum dominata est, ita, ut si recto corde illa tempora consideraveris, tempora Ludovici II nonnisi ultimam ruinam minantia experieris. Non ergo Thomoraeo, sed praedictis rationibus lacrymarum imbre nunquam abstergendam cladem Mohácsianam adscribe, qui omnibus excusationibus adhibitis, invitus belli dux creatus fuit, alias, ut omnes notant, vir religiosissimus, purae et sanctae vitae, maximae et in bellicis experientiae. Nonne praecedenti anno ita deleverat turcarum exercitum, ut qui cladis nuntium Sultano referret superstitem permiserit neminem? Sed et aliqui humili loco natum eundem scribunt; sed forte non noverunt familiam illius. Ex qua familia fuerit vero, et quae familiae descendunt ab hac antiqua familia, paucis describam, ut ex Capitulo Carolinensi et Conventu de Colos Monostra excepi.

Et quamvis hanc inclytam familiam ante Ula-

dislai II tempora de nomine deducere non valeam, constat tamen ex ejusdem Uladislai II nova donatione Stephano Thomori data, Budae in festo Beatae Barbarae Virginis anno Dni 1514, super Csúcs, Galacz, Gabod, Gese, Kövesd, jam hanc inclytam familiam pridem ante Uladislai tempora exstitisse. Nam in eadem Donatione clare sic habet: Litteras etiam et litteralia instrumenta sufficientia super inde habuisse, sed tempore praeteritae insurrectionis rusticorum et malefactorum inter alias suas res direptas et depraedatas; ex quibus clare constat, jam ante Uladislai tempora possedisse praefatas possessiones Thomorios. Sed jam ad rem.

Dictum est de Paulo Thomori, cujus pater Stephani Thomori patruelis erat et Pestini habitabat; Stephanus Thomori vero Vice Vajvoda Transylvanus et Vice Comes Siculorum, qui et Tökös et Magnus scribitur, habuit duos fratres carnales natu minores: Stephanum, saecularis, et Sigismundum, ecclesiastici ordinis, Praepositum scilicet Thermarum superiorum Budensium ac Custodem et Canonicum Albensis Transylvaniae ac Ssmae Regiae Mattis secretarium, qui defecerunt. Dictus Stephanus Thomori sex proles habuit: Catharinam, Margaretham, Georgium, Aegidium, Blasium et Demetrium de Szucsák ex conjuge sua legitima Helena Mike; scripsi legitima, nam prima, Margaretha Majláth, pro illegitima est habita.

Demetrius habuit has proles: Joannem, Nicolaum, Paulum, Stephanum et Michaelem, item filiam Elisabetham et Annam.

Nicolaus cum rege Joanne I de Zápolya, dum Ferdinandus I imperator incluso rege obsedisset Bu-

dam anno 1530, penes regem fidelissime se gessit, pro qua fidelitate donavit ipsi pagum Fejérd, in qua donatione fidelitatem et fidelia servitia abunde commendat rex Joannes, cui charissimus erat, nam etiam Budae penes regem mortuus est. Hic est fundator primus templi Kövesdiensis, cujus nomen et insigne super tabernaculum et hodie videtur.

Nicolai hujus filius Laurentius, cujus filiae Petronella et Anna; Anna, ut superius notavi, prius consors Stephani Cseffei de Noszoly, expost Sigismundi Hatvani; Petronella, sicut saepe dictum est, prius consors Nicolai Mikó de Bodok, secundo Stephani Imecs de Nyujtód, cujus filia Juditha, cujus filius Joannes Apor cum fratribus et sororibus superius nominatis. Joannis Apor filius Baro Petrus, Baronis Petri filii Josephus, Joannes et Ladislaus, filiae Susanna et Anna. Susanna, ut saepe notatum est, consors Comitis Ioannis Haller, sine semine defecit.

Sed quot inclytae familiae ingrediantur in hanc familiam Thomorianam, in gratiam eorundem qui in sanguine majorum gloriantur, brevissime appono.

Stephani ergo Thomori Vice Vajvodae filia major et prima Catharina, quae nupsit Paulo Décsei, quae defecit. Secunda Margaretha, quae nupsit Francisco Baládffi de Csapó, cujus filia Sara, consors Petri Baranyi, cujus filia Elisabetha, consors Joannis Mohai, cujus filii: Volfgangus, qui defecit, Ladislaus et Joannes. Dictae Margarethae Thomori filii: Michael et Sigismundus Baládffi, Michaelis filiae: prima Magdalena, consors Laurentii Tétei, cujus filius Balthasar Tétei; secunda filia consors Joannis Fűzi, cujus nomen non invenio, quae plures superstites reliquit, quorum aeque nomina non invenio. Sigismundi Ba-

ládffi filia Margaretha, consors Joannis Váradi, cujus proles Sigismundus, Stephanus et Gabriel.

Tertia proles Stephani Thomori vocabatur Georgius, cujus rursum filius Georgius, cujus filius ex Anna Cseh, consorte sua, Stephanus, cujus filia Anna, prius consors Fabiani Viczei, deinde Andreae Komáromi. Filius vero hujus Stephani Thomori junioris Joannes, sed omnes defecerunt.

Dicti Georgii Thomori senioris filia Clara, consors Volfgangi Siger, cujus filia Anna, consors Georgii Geréb de Fiádfalva, cujus filius Andreas Geréb, capitaneus, sed defecit, filia Anna Geréb, consors Pauli Ugron, cujus filius Joannes, cujus proles: Franciscus, Helena, Barbara, Sophia, Daniel. Item dictae Annae Geréb proles sunt: Andreas, Thomas, qui defecit, Stephanus, Michael et Elisabetha Ugron, consors Joannis Horváth (possessorum quondam pagi Csúcs) cujus filii: Moyses et Daniel.

Secundus filius dicti Stephani Vice Vajvodae Aegidius, tertius Blasius, uterque defecerunt. Quartus Demetrius Thomori de Szucsák, cujus proles: Nicolaus, Paulus, Stephanus, Michael, Elisabetha et Anna. Nicolai genealogia deducta est superius in Laurentio et Petronella Thomori, reliquorum vero posteritates non inveni praeter Pauli et Elisabethae. A Paulo vero descendunt familiae C. Nicolai Bercsényi, Joannis Lázár de Gyalakuta, item Ficsor et Szarka de Kövesd; Elisabetha vero nupserat prius Georgio Cseh, et cum hoc marito genuit Annam, consortem Andreae Sarló, secundo vero nupsit Stephano Ugocsi, cujus filius Thomas, cujus filius Demetrius Ugocsi, sed defecit.

Patruelis Laurentii Thomori Christophorus Thomori, cujus uxor Sophia Kozárvári, cujus filia Margaretha, consors Christophori Baládffi, cujus filia Barbara Baládffi, consors Gabrielis Pekri, cujus filius Franciscus Pekri de Kutyfalva, Supr. Comes Cottus Albensis Transylvaniae.

Parcite, inclytae cognatae familiae, quod vos ad modernos usque superstites deducere non valeam, cum litteras vestras authenticas prae manibus non habeam, ex his tamen unusquisque vestrum ad vosmet ipsos deducere facile poterit.

Ne pereat etiam gloriosa memoria Andreae Thomori, armigeri gloriosissimi herois Stephani Losonczi, fortissimi propugnatoris arcis Tömösváriensis; perfidia enim turcica circumventus Losonczius, antequam capite laesus latusque percussus semianimis concidisset, per Achomatemque capite minutus fuisset, in conspectu heri praeclarissimus juvenis equo deturbatus fuit; ita pater Franciscus Csernovics Soc. Jesu in Propugnaculo Reip. Christianae cap. II. §. 3.

Baronum Josephi, Joannis, Ladislai et Annae Apor per parentes Baronem Petrum Apor et Comitissam Barbaram Kálnoki sanguine junctae familiae in communi; etquidem per Baronem Petrum Apor, quae superius notatae non sint.

Ut posteritas mea plenam suorum consanguineorum et familiae notitiam habeat, placuit paucis describere, tam ex parte mea, quam matris earum Barbarae Kálnoki, in quantum et ego indagare potui,

usque saltem ad quartum gradum vel quod paucis excedit.

Ingrediuntur ergo sic: Donáthiana de Nyujtód, per Helenam Donáth conjugem Mathiae Imecs, cujus filius Stephanus Imecs, filia Barbara Imecs.

Stephani Imecs proles ex Petronella Thomori jam superius abunde descriptae sunt.

Barbara Imecs nupsit Sigismundo Mikes de Zabola, principis Georgii Rákóczi Consiliario et supr. stabuli praefecto, quae genuit quidem proles plures quae alibi describentur, sed quia pleraeque defecerunt, plures non memoro, nisi Michaelem Mikes, totius patriae Generalem, qui apud Rempublicam Venetam tam politicis quam militaribus operam dabat. Filius ergo superstes Barbarae Imecs Clemens Mikes, principis Apaffi consiliarius, Statuum praesidens, protonotarius, prius sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár supr. Capitaneus, expost Cottus Albensis Transylvaniae supr. Comes, nec non incl. nationis siculicae Generalis; cujus filius, ex conjuge sua Susanna Kálnoki, Comes Michael Mikes, prius quidem incl. Cottus Szolnok, nec non sedium siculicalium Kézdi, Sepsi et Orbai ut et Miklósvár Capitaneus utrobique supremus, expost Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius intimus; cujus filii ex Drusiana Bethlen Comites Franciscus et Stephanus Mikes. Francisci filius Antonius, filia Maria a Comitissa Catharina Eszterházi. Stephanus duxit in uxorem Rosaliam Petki, Comitis Davidis Petki filiam, cujus filius Michael.

Dictae Barbarae Imecs prima filia Anna, nupsit Stephano Székely, cujus filia Eva Székely, quae nupsit Michaeli Henter de Sepsi Sz.-Iványi, cujus filii

Alexius, Clemens (Clementis filius Michael), David, Joannes; Joannis filia Maria.

Dictae Evae Székely filiae: Clara, consors Samuelis Torma de Csicsó-Keresztur; secunda ejusdem filia Christina, consors Clementis Béldi de Uzon.

Secunda filia dictae Barbarae Imecs Helena, quae nupsit Ioanni Thordai de Somolyom, cujus filius iterum Joannes, cujus filii: Nicolaus, qui sine semine defecit, Franciscus, cujus filius Franciscus et Joannes Thordai, filiae: prima Maria, quae nupsit Petro Száva. cujus filius Petrus Száva, secunda filia ejusdem Joannis Thordai Barbara, quae nupsit Michaeli Dósa de Makfalva, cujus filius Michael Dósa. Filiae verò hujus junioris Joannis Thordai: prima, Christina, consors Emerici Miske, secunda Maria tertia Anna, quarta Clara, nubiles.

Pauli Becz filia Catharina Becz, consors Joannis Béldi; Joannis Béldi filius Clemens, Clementis Béldi filia Anna Béldi, mater Comitis Samuelis Kálnoki, unde superius.

Item per Becz in Andrási.

Joannis Andrási filia Barbara, consors Michaelis Apor, cujus filius Andreas, Andreae Lá-

rus, Lazari Joannes, Joannis B. Petrus Apor cum suis prolibus.

Per Dominicum Nyujtódi.

Dominici Nyujtódi, avi Pauli Becz, filius Paulus Damokos, cujus filia Margaretha, consors Petri Lázár, cujus filia Barbara, consors Andreae Apor, cujus filius Lazarus, cujus Joannes, Joannis Baro Petrus Apor cum suis prolibus, ut supra.

Nos requisitores litterarum et literalium instrumentorum in sacristia sive conservatorio Capituli Ecclesiae Albensis Transylvaniae repositarum et locatorum, ac aliarum quarumlibet judiciariarum deliberationum legitimorumque mandatorum regio-principalium executores, damus pro memoria. Quod nos litteras Suae Mattis Ssimae requisitorias pro parte Spectabilis ac Magnifici Domini Petri Apor Liberi Baronis de All-Torja confectas et emanatas, nobisque praeceptorie sonantes et directas, honore et obedientia quibus decuit receperimus in haec verba.

Carolus VI. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque etc. Rex, archidux Austriae et princeps Transylvaniae. Fidelibus nostris egregiis et nobilibus requisitoribus litterarum et literalium instrumentorum in sacristia sive conservatorio Capituli ecclesiae Albensis Transylvaniae repositarum et locatorum, ac aliarum quarumlibet judiciariarum deliberationum, legitimorumque mandatorum nostrorum regio - principalium executoribus gratiam nostram caesareo-regiam. Exponitur Majestäti Nostrae in persona Spectabilis ac Magnifici

Petri Apor Liberi Baronis de All-Torja, qualiter idem paribus universarum litterarum donationalium, inscriptionalium, consensualium, confirmationalium, introductionalium, statutorialium, superinde relatoriarum, fassionalium, venditionalium, emptionalium, exemptionalium, concambialium, compositionalium sive transactionalium, admonitorialium, certificatoriarum, adjudicatoriarum, sententionalium, absolutionalium, inhibitorialium, prohibitorialium, contradictorialium, metalium, metarum reambulatorialium, metarum rectificatorialium, superinde relatoriarum, ac aliarum quarumlibet totalium et integrarum causalium, factum videlicet integrarum possessionum ac portionum possessionariarum, ubivis in Comitatibus Sedibusque Siculicalibus et districtibus Principatus Transylvaniae et partibus regni Hungariae eidem adnexis existentium, habitarum, in annis Domini Millesimo Tercentesimo undecimo vigesimo primo, vigesimo quarto, item millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, et millesimo quingentesimo, saeculis nimirum tunc currentibus, jam vero diu transactis, praeteritis sub regiminum divorum quondam regni nostri Hungariae regum et felicis recordationis Transylvaniae Principum, praedecessorum nostrorum, ut et Vajvodarum et Gubernatorum regni praedicti Hungariae et partium Hungariae eidem subjectarum, pro parte familiae ejusdem exponentis Aporianae legitime confectarum et emanatarum, eandem exponentem familiamque suam memoratam Aporianam tangentes et concernentes, in sacrario seu conservatorio vestro repositae et locatae esse perhibeantur: proinde vobis harum serie committendo et mandamus firmiter, quatenus acceptis

statim vos litteras praescriptas in conservatorio vestro repositas et locatas, diligenter requirere, requisitarumque et reinventarum tenorem in transumpto litterarum vestrarum sub sigillo vestro capitulari et authentico Exponenti praefato extradare modis omnibus debeatis et teneamini, caventes tamen, ne dolus aut fraus hac in parte eveniat aliqualis. Secus non facturi. Datum in Libera Regiaque Civitate nostra Claudiopolitana, die vigesima secunda mensis currentis Septembris, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto. Erantque sigillo ejusdem SSmae Suae Majestatis authentico super cera rubra ductili impressive communitae clauseque confectae et emanatae, et infra sigillum erat subscriptum: Lecta. Quibus receptis nos mandato SSmae Suae Mattis per omnia ut tenemur obedire, et satisfacere volentes, universas litteras et literalia instrumenta, matricas et scrinia diligenter investigantes et impendentes, tandem post diligentem hujus modi requisitionem nostram reinvenimus quasdam litteras, quarum etquidem primarum tenor et verbalis continentia talis est. Nos Capitulum Ecclesiae Transylvaniae memoriae commendantes praesentium per tenorem significamus quibus expedit universis, quod constiterit coram nobis Stephanus, filius Joannis, filii Opor de Siculis de Kizdy pro se et Nicolao, Demetrio et Petro fratribus suis, exhibuit nobis patentes litteras religiosi viri fratris Stephani, procuratoris Religiosarum Dominarum in Insula Beatae Virginis Mariae Deo famulantium, super testamento condito Blasii filii Olcy proximi sui, super diversis articulis, ut inferius in eisdem litteris contentis patebit, et specialiter super manumissione quorundam servorum

et ancillarum suarum, et legatione et commissione terrae suae Szárazpatak vocatae praedictis Stephano, Nicolao, Demetrio et Petro, filiis ipsius Comitis Joannis, filii Opor facta confectas, petens nos idem Stephanus cum instantia, ut ipsas litteras ad cautelam majoremque firmitatem nostris inseri litteris faceremus, et sigillo nostro communiri Quarum litterarum tenor talis est: Nos frater Stephanus, procurator Religiosarum Dominarum in Insula Beatae Virginis Mariae Deo famulantium, memoriae commendantes significamus universis quibus expedit praesentium per tenorem, quod cum Comes Blasius, filius Olcy de Kizdy, in territorio Domini Regis constitutus, gravi fuisset infirmitate deceptus, decumbens in villa Olcha vocata, praesentibus nobis et aliis viris idoneis per ipsum illic vocatis, sentiens se de hac valle miseriae decessurum, tale condidit testamentum: Quod corpus suum in coemeterio praedictae ecclesiae B. Virginis Mariae de Insula commisit sepeliri; item dictae ecclesiae commisit pro remedio animae suae unum equum, unum scyphum argenteum, et unum cingulum argenteum; item ecclesiae Beatae Clarae, in qua Fratres minores Deo famulantes, legavit unum equum; item ecclesiae Beatae V. Mariae de Olcha unum equum; item servos et ancillas suas, videlicet Annam Cartaneam, cum filio suo, Chihurcam, similiter cum filio suo, item [illegible] Joannem, item Urchek, item Custa et [illegible] cum pueris suis legavit ob salutem suam frui perpetua libertate, ratione pristinae conditionis tam per se [illegible] prios suos, quam per alios nunquam ab [illegible] ineeps molestandos; item terram suam [illegible] vocatam legavit Stephano, Nicolao, [illegible]

Petro, filiis Comitis Joannis, filii Opor, fratris sui, perpetualiter possidendam, computando circa praemissa omnem materiam quaestionis ulterius procedendi; in cujus rei memoriam et soliditatis testimonium praesentes litteras sigillo nostro fecimus roborari. Datum in Vigilia Beati Jacobi Apostoli anno Domini millesimo trecentesimo undecimo. Nos igitur petitionibus ipsius justis et licitis ac legitimis annuentes, quia ipsas litteras cepimus integras in charta et sigillo, et non cancellatas, non abrasas, non abolitas, nec in aliqua sui parte vitiatas, tenorem ipsarum litterarum de verbo ad verbum praesentibus transcribi fecimus, et sigillo nostro authentico communiri. Datum in quindenis Purificationis B. Mariae Virginis anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, Andrea praeposito, Sauto cantore, Vincentio custode, Nicolao Archidiacono, de Corda decano ecclesiae nostrae existentibus. Cujus sigillum erat laceratum.

Secundarum autem litterarum tenor sequitur in hunc modum. Magnifico Domino Thomae Vajvodae Transylvano et Comiti de Zonouk et de Cibinio, amico suo Capitulum Ecclesiae .... amicitiam paratam supremo cum honore. Litteras Magnitudinis Vestrae noveritis nos recepisse in haec verba. Discretis viris, et honestis dominis et amicis suis reverendis, Capitulo Ecclesiae Albensis Transylvaniae, Thomas vajvoda transylvanus, comes de Zonuk et de Cibinio, amicitiam paratam et se totum cum honore. Conqueritur nobis Stephanus, filius Joannis nobilis de Szárazpatak, quod Sandrinus filius Opour, et Opour frater ejusdem Sandrini, ac Egidius filius Stephani, fratres sui pactum et ordinationem super ipsa possessione

Szárazpatak mediantibus literis nostris inter ipsos habitam et ordinatam minime observassent. sed ipsam possessionem Szárazpatak sine homine nostro et testimonio Capituli aut Conventus inter se divisissent absque sua voluntate. et in ipsa divisione curias sororum suarum propriarum sibi pro debita portione potentialiter tradidissent. et ipsi pro se homines liberos et curias liberorum hominum in portione ipsorum elegissent et recepissent, insuper autem quosdam Bicenos suos, a fratre suo sibi commissos, salvis rebus et personis occupassent. et nunc detinent occupatos. et utilitates ejusdem possessionis potentialiter in ipsius praejudicium et gravem jacturam perciperent et percepissent usque modo. Caeterum etiam quandam possessionem ipsorum Fel-Torja vocatam. quae Opour. filium Opour, in aliqua parte non attingit, praefati Sandrinus et Egidius absque sua similiter voluntate divisissent, et sibi portionem pro habitationibus per omnia destructam assignassent. et pro se ipsis partes populorum multitudine decoratae accepissent. Super quo amicitiam Discretionis Vestrae praesentibus requirimus diligenter. quatenus cum Ladislao de Pech. juvene aulae nostrae vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum. cum quo idem homo noster de omnibus praemissis et singulis praemissorum sciat et inquirat omnimodam veritatem. et scita veritate, ipsos Sandrinum [illegible] et Egidium ad nostram videlicet (?) praesentiam [illegible] minum competentem contra Stephanum [illegible] et post haec prout vobis de praemissis [illegible] stiterit, nobis cum die citationis [illegible] et nominibus citatorum. ac cum totius [illegible] vestris literis nostri gratia nobis [illegible]

in Déva, secundo die octavarum ecclesiae Domini, anno ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo quarto. Nos igitur petitionibus vestris acquiescentes, cum ipso Ladislao homine vestro ad exequendam continentiam ipsarum literarum nostrarum unum ex nobis, magistrum Paulum, concanonicum nostrum misimus vice nostra pro testimonio; qui quidem homo noster et praefatus Ladislaus homo vester demum ad nos reversi, concorditer dixerunt nobis requisiti, quod idem homo vester una cum ipso homine nostro feria quinta proxima post festum Conversionis Beati Pauli Apostoli ad terram seu possessionem Szárazpatak vocatam accessissent, et praefatus homo vester sub testimonio dicti hominis nostri diligenti inquisitione habita, tam secrete, quam manifeste ab hominibus, a quibus decuit et licuit in praemissis veritatem scivissent et scire potuissent, invenissent, quod praefata divisio dictae possessionis Szárazpatak inter ipsos indebite et injuste facta exstitisset, in eo videlicet, quod ipsi Stephano filio Joannis et fratribus suis praeter decem domos sororum suarum quatuordecim curias hominum liberorum, in quibus quidam Biceni essent, assignassent, et idem Sandrinus, Opor et Egidius de ipsa possessione Szárazpatak octuaginta quinque mansiones hominum liberorum bicenorum et aliorum pro eorum portione recepissent; praeterea in praefata quinta feria post festum Conversionis Beati Pauli Apostoli dictus Ladislaus homo vester simul cum ipso homine nostro accessissent ad villam seu possessionem Fel-Torja vocatam habitam indebite et injuste factam, in eo videlicet, quod ipsi Stephano et fratribus suis portionem terrae habitationibus fere destitutam, in qua nunc tantum-

modo triginta mansiones essent, assignassent, in portione vero Egidii centum et triginta quinque forent mansiones in eadem Fel-Torja existe .... Uti visa et inventa hujusmodi divisione in possessionibus supradictis, saepe fatus homo noster in facie ipsarum terrarum in praedicta die citasset ipsos Sandrinum, Opor et Egidium ad vestram praesentiam contra Stephanum filium Joannis praelibatum responsuros, octavas purificationis Beatae Virginis proxime venturas eisdem pro termino assignando coram vobis comparendi. Datum in festo Beatae Agathae Virginis et Martyris, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto. Item non hoc praetermittimus quod retulerunt, et quod quosdam Bicenos a patre suo filii commissos idem Sandrinus, Egidius et Opor pro portione sua in Szárazpatak occuparunt. — Tertiarum autem literarum verbalis continentia haec est. Carolus Dei Gratia Rex Hungariae. Fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Beati Michaelis Archangeli Transylvaniae, salutem et gratiam. Noveritis quod cum possessiones Dok Kaszun vocatas petitas novem possessionum hominum sine haerede decedentium Sandur filio Opor fideli nostro pro fidelibus suis servitiis contulissemus, per Stephanum filium Pauli hominem nostrum sub testimonio hominis nostri jam bis eidem Sandur et Egidio filio Stephani fratris ejusdem statui mandantes, et Siculi de Czyk, et notatum ex iisdem Ladislaus major uxoratus, Petrus et Paulus, filii Jacobi, Bene filius Irgus, Stephanus filius Johelend, Stephanus filius Eltus, Belus, Valentinus filius Sandur, Buruch filius Marcus, Mathe filius Bank, Jacobus filius Chumburd, et Nicolaus filius Andreae, et ipsam possessionum statutionem,

asserendo easdem fore terras eorum, contradictores exstitissent, licet ab hoc contra eosdem Sandur filium Opor et Egidium ad nostram vocati praesentiam ad prosequendam hujus modi citationis causam non venissent, nec aliquem misissent, sic in vestris citatoriis et nostris judicialibus literis vidimus continere, tamen ad majorem justitiae evidentiam easdem possessiones iterato eisdem Sandur filio Opor, et Egidio statui mandavimus, fidelitati vestrae praecipientes, Quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, coram quo praedictus Stephanus filius Paulus homo noster dictas possessiones reambulet juxta veras metas, et statuat eidem Sandur ac Egidio filio Stephani, fratri ejus perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum, contradictores vero si qui fuerint, contra ipsos ad nostram specialem citet praesentiam, ad terminum competentem, et praeter haec facti seriem nobis rescribatis. Datum prope castrum Déva in quindenis Pentecostes anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto. — Quartarum autem literarum tenor sequitur in hunc modum. Amicis suis reverendis Capitulo Albensi Transylvano Antonius de Kend vice Vajvoda Transylvanus amicitiam paratam cum honore. Dicitur nobis in personis nobilium Laurentii filii Mikó de Hidvég, ac Pauli filii quondam Valentini Therek de Szent-Miklós Torja, nec non Dominarum relictae quondam Stephani Apor de Szent-Márton, et Elenae, consortis Benedicti Mihacz de Doboly, filiae ejusdem Stephani Apor: Quod in anno nimirum secundo instaret revolutio, Egregius Sandrinus Kyzdi de Dicsö Szent-Márton quandam possessionem ipsorum exponentium Torja vocatam in Comitatu Albensi existentem habi-

tam ipsos omnis juris titulo concernentem, injuste et indebite via juris sine omni pro se occupasset, occupatamque teneret et conservaret, ac eadem uteretur etiam ad praesens, in quibus eisdem exponentibus centum flor. auri damna intulisset. Caeterum in anno nimirum fere octavo vel citra praeteriisset revolutio, idem Sandrinus Kyzdi, ignoratur quo motivo ductus, quod nobilem Benedictum Priny dictum de Zázfalu, tunc familiarem suum, fratrem eorundem exponentium, in domo habitationis suae captivasset, captivoque unum lapidem ad collum ejusdem ligans in aquam Küköllö projici fecisset, universasque res et bona ducentorum flor. auri valentia, protunc erga ipsum Benedictum familiarem suum repertas et inventa auferri fecisset potentia mediante in praejudicium dictorum exponentium valde magnum. Super quo vestram amicitiam petimus diligenter, Quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Martinus de Béld, vel Ambrosius de Moha, seu Thomas, sive Osvaldus Forró dicti de Haporton, sive Pancratius de Sárd, nec non Michael Nemes de Hidvég, aliis absentibus homo noster, scita prius praemissorum mera veritate, evocet praefatum Sandrinum Kyzdi contra annotatos exponentes ad octavas festi Beati Georgii Martyris nunc venturas nostram in praesentiam, rationem praemissorum redditurum, litis pendentia, si quae foret inter ipsos, non obstante, insinuantes ibidem eidem, ut sive ipsis octavis in praedictis coram nobis compareat, sive non, nos ad partis comparentis instantiam id faciemus in praemissis, quod juri videbitur expediri, et post haec hujusmodi inquisitionis, evocationis et insinuationis seriem, ut fuerit expedita, nobis amicabi-

liter rescribatis. Datum Thordae, in festo Conversionis Beati Pauli Apostoli, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. In dorso vero harum, istius mandati exequutio describitur tali modo. Egregio Antonio de Kend, vice Vajvodae Transylvano, Capitulum ecclesiae Transylvaniae amicitiam paratam cum honore. Vestra noverit Egregietas, nos literas vestras inquisitorias, evocatorias et insinuatorias honore quo decuit recepisse in haec verba: Amicis suis etc. Nos vestris amicabilibus petitionibus gratum praebentes consensum, magistro praefato Osvaldo Forró de Haporton unum ex nobis videlicet hominem, dominum Thomam de Lippa, socium et concanonicum ac decanum nostrum nostro pro testimonio ad praemissa fideliter exequenda duximus transmittendum. Qui tamen exinde ad nos reversi, nobis pariformiter retulerunt, quomodo ipsi in die Conversionis Beati Pauli Apostoli Thordae in Congregatione Generali nobilium partium Transylvanarum celebrata, sic procedens (?), tam ab omnibus nobilibus et ignobilibus praescripti Cottus de Küköllö palam et occulte diligenter inquirendo, omnia et singula praemissa exequuta fuisse rescivissent, qualiter Vestrae dictum exstitisset Egregietati, dempto praedicto centum flor. auri. Tandem una cum praenotato Osvaldo homine vestro, iterum unum ex nobis scilicet hominem dominum Mathaeum de Kolosvár ad executionem evocationis et insinuationis transmitten . . . . . similiter nobis concorditer retulerunt, quomodo isto sabbatho proximo ante festum Purificationis Virginis Gloriosae ad possessionem Váradgya pergentes, memoratum Sandrinum de portione sua possessionaria in dicta Váradgya in Cottu Al-

bensi existente habita ad octavas festi Beati Georgii Martyris nunc proxime venturas in vestram evocassent praesentiam, rationem praemissarum redditurum, insinuassentque eidem ibidem, ut sive ipse dictis in octavis coram Vestra Egregietate compareat, sive non, nos ad partium ipsarum instantiam id faciemus in praemissis, quod juri videbitur expediri. Datum sexto die dictae evocationis et insinuationis praenotat. anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. — Quintarum et ultimarum literarum continentia talis est: Nos Sigismundus Báthori de Somlyó, Vajvoda Transylvaniae et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod nominibus et in personis Egregiorum Emerici, filii quondam Stephani Apor de Torja, ac Nicolai et Francisci, filiorum quondam Blasii, filii jam fati olim Stephani Apor, nec non Petri, Stephani et Alexandri, filiorum quondam Ladislai Apor de dicta Torja, item Stephani et Andreae, filiorum quondam Michaelis Apor de praefata Torja, exhibitae sunt nobis et praesentatae quaedam literae donationales illustris olim Joannis de Zápolya, Comitis perpetui Terrae Scepusiensis, Vajvodaeque Transylvaniae et Siculorum Comitis etc. super portionibus possessionariis in possessionibus Szárazpatak et Szent-János, nec non quadam particula terrae Árokközi vocatae in Comitatu Albensi Transylvaniae existentibus infra denotatis et declaratis, in duplici papyro majori regali patenter confectae sigilloque ejusdem Domini Vajvodae majori et authentico impressive communitae, tenoris infrascripti, supplicans nobis humillime, ut nos easdem literas ac omnia et singula in eisdem con-

tenta ratas, gratas et accepta habentes, praesentibus literis nostris verbotenus inseri et inscribi facientes, pro eisdem Emerico, Nicolao. Francisco, Petro. utroque Stephano, Alexandro et Andrea Apor benevole confirmare. consensum nostrum superinde praebere dignaremur. Quarum tenor talis est. Nos Joannes de Zápolya, Comes perpetuus Terrae Scepusiensis, Vajvodaque Transylvaniae et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. quod nos debitum habentes respectum ad praeclara agilium Stephani. Ladislai et Michaelis Apor de Torja servitiorum merita, quibus ipsi in plerisque rebus et factis debitisque locis et temporibus, non parcentes corpori et rebus suis, semper indefesse nobis gratos se reddere studuerunt et acceptos, volentes propterea nos quoque eisdem aliquo munificentiae antidoto occurrere atque subvenire, totales portiones possessionarias nobilium et agilium Joannis et Emerici Blasko, nec non alterius Emerici Becz. in possessionibus Szárazpatak et Szent-János, nec non quandam particulam terrae Árokközi vocatas in Comitatu Albensi Transylvaniae existentes habitas, quarum utputa certa pars, ex inscriptione et obligatione progenitorum praefatorum Stephani, Ladislai et Michaelis Apor, erga manus dictorum Joannis et Emerici Blasko ac alterius Emerici Becz titulo pignoris exstitisset, quae ex eo, quod iidem Joannes et Emericus Blasko, ac alter Emericus Becz ratione praesertim incinerationis atque combustionis domorum quorundam siculorum atque insurrectionis contra majestatem regiam nostramque personam, ubi scilicet ipsi universitatem Siculorum commovere, exstructisque

bellicis machinis, conflatis in unum viribus manus ipsorum violentas jacere, et more hostili contra nos animose aggredi et bella attentari veriti non fuissent, et ex eo in nota perpetuae infidelitatis condemnati exstitissent, universa bona, et quaelibet jura ipsorum possessionaria in sacram regni coronam, consequenterque majestatem regiam et nostras, tamquam manus judiciarias devolvi debuissent et condescendi. riteque et legitime devolutae essent et redactae, simul cum omni jure nostro, si quid in eisdem portionibus possessionariis et practacta particula terrae qualitercunque haberemus, aut nos ex quibuscunque causis, viis, modis et rationibus concernere viderentur, pariter cum cunctis earum utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, foenetis. sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis. aquarumque decursibus, molendinis et eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum et pertinentiarum earundem integritatibus quovis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis et antiquis existentibus, memoratis Stephano, Ladislao et Michaeli Apor, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis dedimus, donavimus et contulimus, damus, donamus et conferimus jure perpetuo et irrevocabiliter tenendas, possidendas, pariter et habendas, salvo jure alieno, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in Civitate Segesvariensi, feria quarta proxima ante festum Beati Gregorii Papae, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo. Inferius autem a tergo literarum scriptum erat: Ad relationem [illegible]

Cherey, cubicularii Domini Comitis. Nos igitur praemissa supplicatione eorundem nobis modo quo supra porrecta benigne exaudita et admissa, praescriptas dicti domini Joannis Comitis et Vajvodae literas donationales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes praesentibus literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas quoad omnes earundem continentias, articulos, clausulas et puncta, eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanata, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus, ratificamus, consensum nostrum eisdem praebemus, easque ac omnia et singula in eisdem contenta pro praefatis Emerico, Francisco, Nicolao, Petro, utroque Stephano, Alexandro et Andrea Apor, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis perpetuo valituras confirmamus, et nihilominus attentis et consideratis fidelitati et fidelibus servitiis eorundem Emerici filii quondam Stephani Apor, ac Nicolai et Francisci, filiorum quondam Blasii, filii praefati olim Stephani Apor, nec non Petri, Stephani et Alexandri, filiorum quondam Ladislai Apor, item Stephani et Andreae. filiorum quondam Michaelis Apor, nobis et huic regno, pro locorum et temporum diversitate exhibitis et impensis ac in futurum quoque exhibendis et impendendis, totum et omne jus regium, si quod in praescriptis portionibus possessionariis in annotata Szent-János, alias possessione, nunc vero (ut perhibetur) in praedium redacta, simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, foe-

Spectabilis ac Magnifici Domini Exponentis jurium suorum uberiorem futuram ad cautelam necessariarum fideliter et conscientiose extradandam duximus et concedendam, communi justitia et aequitate suadente. Datum feria tertia proxima ante festum Beati Andreae Apostoli, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

Quae quidem literae sic transumptae erant patenter confectae, et in medio, loco videlicet solito, sigillo Capituli Albensis Transylvaniae authentico super cera alba impressive communitae, inferius autem legebatur a dextra talis manuscriptio: Collata, lecta et extradata per eósdem requisitores.

Quod autem praeinsertarum literarum verbalis tenor sincere, absque omni suspicione sit descriptus, praesentibus testor

Joannes Dombi,
juratus inclytae Sedis Siculicalis
Kézdi notarius.
(p. h.)

†

ADMONITIO AD POSTERITATEM
sive
appendix ad Genealogiam Aporianam.

Ne te turbet, posteritas, si fors legeris in eruditissimo sui saeculi scriptore, Adm. Reverendo patre Martino Szent-Iványi e Soc. Jesu, quem dum Tyrnaviae studuissem, loco parentis semper colui: Ladislaum vajvodam illum, qui e capite Ottonis Bavari angelicam coronam excussit, et ad coronationem Caroli I restituit, fuisse ex illustrissima familia Csákiorum. Nam quod ex hac illustrissima familia plures non fuerint vajvodae Transylvaniae, non nego, quin imo scio; hunc tamen Oporium fuisse, sequentes rationes evincunt: continua traditio majorum ad hunc usque diem in hac terra; certissima majorum relatio, a quibus meis auribus audivi, quod certo certissime audiverint a majoribus. qui propriis oculis aspexerunt in lapide inciso ad frontispicium arcis Bálványos titulum Ladislai Oporii vajvodae Transylvaniae; tertio: saepissime audivi a majoribus meis, praecipue Comite Stephano Apor et Andrea. quod inter litteras, ut superius vidisti, per patruelem meum Lazarum Constantinopoli deperditas exstitisse quasdam litteras ipsius Ladislai Oporii vajvodae. Quae rationes certo evincunt, Ladislaum illum vajvodam non Csákium, sed Oporium fuisse. Credo rim, eruditissimus scriptor eruerit conjecturaliter ex antiquis ruderibus Hungariae: sed si quis scriptores nostros varios legerit, certo videbit, quod tam in [illegible]nologia, quam in nominibus majorum inter se [illegible]dientur, prout jam etiam aliquos legi, qui [illegible]

ditissimum scriptorem corrigunt; an vere? lectori dijudicandum relinquo. Certiores ergo meas dictas rationes nemo ambiget.

Neque te conturbet, posteritas, quod post Ladislaum vicecastellanum Viennensem nullum altius officium gerentem ex familia tua apposuerim, sed quod neque ante illum, praeter dictum Ladislaum. Nam, ut vidisti, in omnibus opere et veritate volui procedere, monere te tamen volo solam posteritatem, ne in oblivionem deveniant ea, quae a majoribus audivi, quod nostri majores mihi certo retulerunt sequentia:

Primo: fuit quidam Ladislaus in familia nostra maximae sanctitatis, qui quotiescunque templum ingrediebatur, toties fores templi per se aperiebantur ipsi. De hujus sanctitate quamvis multa audiverim, non tamen recordari possum, cum puer audiverim. Secundo: tantarum possessionum fuisse praedecessores nostros, ut usque Budam nonnisi in duobus locis erat ipsis condescendendum in bonis alienis; hoc confirmari potest duobus argumentis. Primo: vix annus, dum quidam civis Debreceniensis mihi curavit significari, quod exstent apud illum certae literae quatuor pagorum familiam Aporianam concernentium in Hungaria, de quibus si participabitur, literas tradet; utinam has literas vita mea habere possim! Secundo: exstat in Cosmographia Ungariae Marchionis Colloredo nomen oppidi cognominis. Et certo si tanta bona possederunt, certum est, quod etiam officia non minima gesserint, quae injuria temporum obliteravit.

Sed ne hoc te conturbet, posteritas, quod post dicti Ladislai, vicecastellani Viennensis usque ad Lazarum secundum familiam tuam nullum officium supremum gessisse legas. Nam deficiente Ladislao,

Alexander juvenis mortuus est, expost vero familiae transylvanicae plurimae (salva permanente dignitate et antiquitate plurimarum illustrissimarum familiarum) per favores Arii, Lutheri et Calvini promotae et possessionatae fuerunt, etquidem per favores Calvini viva nostra memoria, per Arii vero testis est Istvanffius, Libr. XXIV. folio 337. Cum vero omnes nostri majores in apostolica fide sancte permanserint, favores eorundum non sunt consecuti; Michael vix vitam servare poterat sub Joanne II de Zapolya, sub quo occultissime divina in cellariis [illegible], ut supra perius.

Andreas, vir ferocis genii, quamvis honestissimo matrimonio junctus, ut verum fatear, ad officia minus aptus fuit; habuit tamen quosdam fratres, inter quos vidisti superius inter duces Bekesio adhaerentes contra Stephanum Báthoreum fuisse et Nicolaum Apor; sed praeterea videbis inter literas nostras relatorias antiquas, reliquos Aporios plenis turmis(literae ponunt: exercitibus) insurrexisse contra fideles Báthorios, hinc propria culpa sub principibus catholicis caruerunt officiis, nam crediderim, quod Christophorus et Sigismundus Bathorei, successores Stephani, acta Aporiorum mente revolvebant. Pereunt quinque Aporii ut in cathalogo vides, cum Moyse Siculo in castris Barczensibus; avus vero meus, Lazarus, natus anno 1595, ad officia nondum aptus usque ad temporalis rielis Báthori inclusive; sed etsi aptus fuisset, quos crudeliter cum catholicis egerit princeps Gabriel Bathori, lege libellum Claudiopoli anno 1781 impressum sub titulo: „Gabriel Báthori," sub quo et sacerdotes catholici Transylvaniam intrare vetiti et magnates Transylvaniae falsi criminis insimulati, [illegible]

sime gladiis feriebantur. quin imo per eundem idem cruentus gladius Superintendenti calviniano transmissus, ut eodem saeviat adversus catholicos. Ubi ergo spes promotionis catholicorum sub hoc principe? Nullibi. Felicior paulisper dies catholicis illuxit sub principe Gabriele Bethlen, sub quo, et sub sequente principe Georgio Rákóczio, avus meus cum Sigismundo Mikes, Stephano et Ladislao Kálnoki vice officium gessit; cur? videbis superius in deductione familiae; dum tamen cum Sigismundo Mikes, qui ad magna evaserat, et hic promotionem sperat, mors intempestiva eundem rapuit. Illuxit tamen dies Aporiis serena in duobus ejus filiis, Lazaro et Stephano, reliqui enim in juniori aetate mortui sunt, qui qualia gesserint officia, superius videre poteris. Nec mihi quidem sol plane Aporianus in nubem abiit; luxisset fors clarius, ni peccatum primi hominis in aliquorum cordibus regnasset. Age ergo, posteritas, orto jam tantisper sole rursum Aporiano, ne patiaris eundem iterum ecclipsim pati.

Nota valde bene.

Observa hic posteritas: legas omnes historias gentis hungaricae, quas ego (quos tamen ego historicos inveni, omnes perlegi), et observabimus: antiquissimas familias, et de republica quondam optime meritas, hodie jacere sub cineribus, aliquas humiliatas iterum elevatas sub principe quovis aut rege, novas iterum per virtutes erectas. Miraberis, quare? noli mirari. Opus hoc Excelsi est. Magnatum filii spem collocant in divitiis et sangvine majorum, hinc desides in arduis, otiosi, negligentes, laborum contemptores, rerum suarum imperiti, litterarum inscii, inter fusum

et coelum torpent, ante tempus se conjugio implicant, lectione librorum non delectantur, studia honestarum artium contemnunt, conversationes cum se majoribus non exercent, sed cum nauci flocci hominibus tota illorum conversatio est, et proh pudor! more Sardanapali, tota talium recreatio et conversatio inter gynaecaei consilia, foemellarum et puellarum quasi captivi, frigoris, aestus et inediae intolerantissimi, tamquam cincinnati trossuli se ornant, vestium luxus, famulorum non necessaria multitudo, comessationes ferculorum varietatibus, potationes diversi vini generibus, cum parasitis et helluonibus frequentia convivia, choreae crebrae, verba obscoenissima, musicorum varietas, canum quasi nec numerus, equorum sine necessitate copia, uno verbo divitiis apponunt cor, ita, ut etiam Dei obliviscantur. Observant enim sancte verba Scripturae Sacrae: „Venite, fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura, tamquam in juventute celeriter; vino pretioso et ungventis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; nemo vestrum exsors sit luxuriae nostrae, ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec sors."(Libr. Sapientiae I. v. 6—9). Secundo: Pretiosa tempora, quibus oeconomia exercenda esset, inanibus venationibus consumunt, nec introitum, nec exitum proventuum considerant, rident dum monentur communi illo proverbio: sumptus ne superet censum; non solum non observant illud Senecae: „Emas non quod opus, sed quod necesse", sed praeter id etiam, quod opus: opes ipsorum et pecunia, tamquam ex cribro aqua, effluit, et ultimo posteritas ipsorum sic ad ultimam miseriam

redigitur. Lege. lege Bonfinium sub gloriosissimo Marte Ungarico Matthia Corvino: non sic. non sic praedecessores nostri agebant; leges ibi virtutem gentis Ungaricae, a qua. proh dolor! quantum recessimus. Et quia qui ex humili sorte et hodie eluctantur, antiquorum praedecessorum vestigia observant et omnia contraria agunt Magnatum filiis. sicut superius recensui. non mireris, si ex infimo statu in summum evehantur. ab alto vero Magnatum filii deprimantur, ita, ut jure merito Magnatum filiis insultare possint: familia mea in me incipit, in te deficit. Possem plurimas familias recensere antiquissimas, quarum majores prudentia. scientia, arte militari, divitiisque inter Magnates Hungariae ut sidera claruerunt, hodie quasi in centro terrae obscurantur; possem familias enumerare, quae proxime praeteritis duobus seculis et arte et Marte claruerunt, et sic ad summa exaltatae sunt; possem quae per haereses, fraudes, aliorum oppressiones, vulpino more se extulerunt; possem quae humiliatae iterum revixerunt: sed consulto praetereo, ne quibusdam adulari, aliis injurius esse appearem. Sufficit meae posteritati videre in deductione genealogiae et nostram familiam subinde humiliatam, subinde erectam fuisse, nobilitatem tamen, quam ex Scythia extulerunt. nunquam hactenus amisisse, nec amittere, si declinabunt ea, quae superius de delicatis Magnatum filiis recensui, utque ea non sectentur posteri, paterne hortor.

P. S. Ego Ladislaum Csáki primo anno 1424 sub Sigismundo imperatore (patet ex Decreto ejusdem in Jure Hungarico) invenio vajvodam Transylvaniae fuisse, Ladislaum vero Oporium sub Othone et Carolo I, ad annum 1308 vajvodam fuisse notavi. Et

certo qui B. Mauritium, ordinis Praedicatorum in Insula Leporum anno 1308 floruisse scribunt, scribunt eum fuisse ex illustrissima familia Csákiorum, Mauritium Csáki nuncupantes. Certum est inter reliquos vitae suae annos annis 1308, 9 et 10 floruisse et Ladislaum vajvodam; ostende ergo saltem ex unico annalium ungaricorum scriptore, quod iisdem annis Ladislao vajvodae additum fuisset cognomen illustrissimum Csáki; nec repone: neque additum fuisse cognomen Opor, nam evincunt rationes superius allatae alium non fuisse.

Haec de Familia Aporiana recenter habeo.

Hoc anno 1731, die 12-a Decembr. vidi antiquissimas litteras annorum quingentorum, lectu quidem difficillimas, ast labore tandem adhibito a me lectas, in quibus vidi ante annos jam quingentos pagum Bodola cum annexis in Cottu Albensi, processu superiori, Aporios possedisse, et inter reliqua haec apponi de Siculis de Kizdi, de Torja, omisso nomine Opor, et tantum nobis tribuisse nomen: Siculide Kizdi, de Torja, prout etiam in litteris ex Capitulo Albensi exceptis ad annum 1311 videre poteris. Haec ideo, quod si alicubi, vel apud antiquos historicos vel scriptores, aut in litteris videris quempiam poni de Siculis de Kizdi: scias illum, posteritas, de familia nostra Aporiana fuisse, nam alicubi nec apponitur Torja. Sic ergo ex hac ratione et Petrus ille, in genealogia nominatus progenitor noster, ex hac ratione omisso cognomine a Bonfinio nominatur Petrus Siculus, vel, ut habet: „Petrum et Ladislaum Siculos mortem oppetiisse."

STANFORD LIBRARIES

II.

SYNOPSIS

MUTATIONUM NOTABILIORUM

AETATE MEA IN TRANSYLVANIA.

ET

PROGRESSUS VITAE MEAE.

Ipse mutat tempora et aetates, transfert regna,
atque constituit

Daniel 2. v. 21.

STANFORD LIBRARIES

Anno 1676 (in quo 3-a Junii hora 12 meridiana natus sum) serenitate existente orientem inter et occidentem, Transylvania etiam sub principe Michaele Apaffi visa erat pace frui, si tamen pace frui ibi possit, ubi est gemitus sub jugo turcico, sub quo et Transylvania tunc gemebat; hostis tamen domesticus, scilicet immissa a Deo pestis, mirum in modum grassari coepit, et eodem anno 2-a Decembris parentem, Joannem Apor peste extinctum amisi; amisi praeterea mox aviam, Lazari Apor senioris viduam, Juditham Imecs; mortuus similiter Comitis Stephani Apor filiolus Ladislaus, quatuor annorum.

Anno 1677. Eadem pestis vastabat Transylvaniam. Eodem anno mors rapit tutorem meum, Volfgangum Apor et Franciscum, Francisci Apor senioris filium.

Anno 1678. Paulus Béldi de Uzon, videns extraneos prae indigenis in majori pretio esse apud Michaelem Principem Apaffi seniorem, eosdemque promoveri, primo querelis pulsat principem, et accipit resolutionem annualis carceris, ex quo erga fidejussores liberatus, dum se purgare per testium [illegible] nes nititur, adversariorum minas subodorans [illegible] et praecipue Sedium Siculicalium Sepsi, [illegible] Orbai ut et Miklósvár incolas sibi associat qui [illegible]

officii admoniti a dicto principe, arma deponunt, Paulus Béldi ad portam Otomannicam confugit, quem inter reliquos sequuntur : C. Ladislaus Csáki, Lazarus Apor, Christophorus Pasko, Valentinus Kálnoki. Sed cum indignitate rei moti, plures Magnates Béldio consensissent, aliqui carcere et bonis mulctati sunt, inter quos Nicolaus Bethlen, Samuel Keresztesi, qui tamen postliminio erga obsides liberati sunt. Baro Joannes Haller, quamvis Béldio non adhaesit, quia tamen minus decenter de Principe scripsisse visus sit, Fogarasini quatuor annorum carcerem sustinuit; Baro Georgius Kapi vero et Stephanus Lázár (indignum auditu christiano), compedibus ferreis vincti, in carcere mortui, in iisdem compedibus sepeliuntur. Sequebantur Béldium plures ex nobilitate transylvanica, quos enumerare longum esset. Paulus ergo Béldi querelas quidem in Porta promovere non cessabat, quia vero contra eundem a Principe missi erant Constantinopolim Volfgangus Bethlen, Clemens Mikes et Stephanus Apor, purpuratosque devinctos auro et argento in Divanum cogunt, in quo Paulus Béldi cum sociis in Septem-turres condemnatur, unico Lazaro Apor tunc ope Clementis Mikes, sui consanguinei, et fratris Stephani Apor, rerum futurarum consciis, per stratagema liberato. Successu temporis Paulus Béldi a Ladislao Székely, Principis ablegato ad Portam, intoxicatur, in Septem-turribus moritur. C. Ladislaus Csáki, ex industria quorundam christianorum, beneficio navis christianae occultatus, liberatur; arx Pauli Béldi Bodola, disjicitur, bona amplissima Fisco cedunt, ex quibus fere omnes Magnates, sed vel praecipue familia Bethleniana, participant, vix aliqua parte bonorum haeredibus relicta.

Stephanus Apor fit supr. tricesimarum Transylvanicarum arendator.

Anno 1679. Paulo Béldio a Porta Ottomannica promittitur principatus Transylvaniae, si augeret tributum certosque dies populationi in Transylvania concederet: sed ille memor patriae suae, maluit in carcere mori, quam cum hac perpetua nominis sui gnominia principatum adire et patriam suam perdere

Anno 1680. Visus est ingens cometa, quem et ego puer vidi. Transylvani exeunt adversus Caesarem sub Generale Michaele Teleki, et prope Szathmarium ad pagum Batiz vapulant a Germanis, vix Telekio se salvante.

Anno 1681. Princeps Michael Apaffi a Porta Otomannica constituitur exercitus Szerdar, idest supremus belli ductor, et Böszörmény, in Hungaria oppidum Hajdonicale, obsidet, expugnat, loci gubernatore, Gabriele Nagyszegi secum in Transylvaniam leducente. Coronae ad terrae motum campanae sonum ediderunt. Ego initium alphabethi feci.

Anno 1682. Revocavit Porta Athname sive privilegium, in quo princeps Apaffi constitutus fuit szerdar; et szerdar constituitur purpuratus Budensis, qui una cum dicto principe Apaffio et Emerico Tökölio arcem Filek obsident, quam praeter voluntatem loci gubernatoris C. Stephani Kohári praesidiarii dedunt, quos turca liberos permittit, gubernator tamen trium annorum carceris squallore punitur, quod Tökölio solum Comitis, non Principis Hungariae titulum tribuerit; arx disjicitur.

Anno 1683. Mahumet VI, turcarum imperator supremum purpuratorum principem ad expugnandam urbem Viennam Austriae Kara Mustafa passam expedit cum aliquot centenis millibus hominum, Transylvanis etiam ut adsint cum suo principe, mandat, qui tamen ad custodiendum pontes, Arabonem majorem inter et minorem, disponuntur, et postquam Princeps paucis suorum stipatus, vezirium ad Viennam visitasset, redivit. Et postquam immanis haec barbaries a christiano exercitu profligata fuisset, transylvani salvi in patriam redeunt.

Lazarus Apor fit supr. capitaneus sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon, ut et regni protonotarius. Ego legere incipio.

Anno 1684. Michael II Apaffi in principem Transylvaniae eligitur, a Porta confirmatur, et per passam eidem vexillum et sceptrum mittitur, quae sinistro omine sunt adducta. Nam ipso die pompae, quo haec insignia tradi debuisset passa inter reboatus tormentorum, unum de novo fusum a vi pulveris nitrati rumpitur, magistrumque tormenti interimit.

Hoc anno erat summa fames in Moldavia, moldavi turmatim exibant in Transylvaniam; cubulus tritici per quatuor metretas valebat 8 florenos; sed in hac patria fames non erat. Ego declinationes inchoo.

Anno 1685. Nascitur Augustissimus imperator Carolus VI, qui primus principis Transylvaniae titulum assumere jure haereditario non est dedignatus. Exmittuntur a principe Michaele Apaffi seniore ad conscribendos siculos commissarii Michael Teleki et Clemens Mikes, aguntque transylvani cum augustis-

simo imperatore Leopoldo, ut Transylvania, excusso jugo turcico, redeat ad coronam Hungariae. Stephanus Apor fit Supr. Judex Reg. Sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon.

Anno 1686. Generalis caesareus C. Schaffenberg cum militia aestivat ad Claudiopolim; Princeps cum magnatibus Cibinium se recipit; advenit legatus turcarum imperatoris. Sedis Marus et Aranyas militia, sub commendo B. Ladislai Gyulaffi et Stephani Toroczkai, per C. Ladislaum Csáki caes Generalem vapulat sub Cibinio, quae actio ex professo fuit instituta, ut ostenderent, non posse resistere militiae caesareae; quod videns turca, et prout fuit res subodorans, exprobrat transylvanis. Expost Generalis Schaffenberg cum militia exit sub Budam. Buda eo anno capta, etquidem ea die, 2-a Septembris quo die anno 1541 turca a christianis subdole occupavit, notatu dignum. Generalis vero Fridericus Comes Veterani ad hibernandum venit in Máramaros, cui ex parte Transylvaniae adjunguntur commissarii: Samuel Kálnoki et Paulus Mikes de Zágon. Cibinii vero ob correspondentiam cum Tökölio arestantur compedibusque vinciuntur Laurentius Pekri et Joannes Daczo, supr. capitaneus Sedium siculicalium Csík utriusque Gyergyó et Kászon.

Hoc anno missus sum Claudiopolim ad scholas, et inchoavi a minori parva. Stephanus Apor fit Tabulae Reg. Judiciariae assessor. Mittitur Viennam extraordinarius legatus ad Caesarem B. Joannes Haller, qui de re-unione Transylvaniae cum corona Hungariae certis legibus ageret; qui in tanta aestimatione fuit ante imperatorem Leopoldum, ut idem praefatus

Augustissimus etiam postquam in Transylvaniam redivisset, propriis manibus eidem scribere non sit dedignatus, quas litteras soli vidimus. Michael Teleki senior creatur Comes Sacri Rom. Imperii.

Anno 1687. Militia caesarea, duce serenissimo Lotharingiae Duce Carolo, in Transylvaniam ingreditur. Princeps Michael Apaffi cum regnicolis Cibinium se confert, ex consensu tamen Principis omnes urbes militiam caesaream pro praesidio recipiunt, excepta Corona, quae etsi tributum pendere se promiserat, recipere tamen praesidium recusavit: quibus ad persvadendum a Principe missus Stephanus Apor, cum quo et ego, puer undecim annorum praesens fui, egit, et multis rationibus ad obediendum Principi stimulabat; verum nihil profecit, sed obstinati in proposito persistebant, famuli vero Stephani Apor, qui propius domum consultoriam accesserant, in praesenti vitae periculo versabantur, nisi a fidis amicis admoniti, in tempore fuga salutem quaesivissent.

Curiosum quid tunc contigerat. In domo tricesimatoria a catulo servabatur lupus totus cicuratus (dictus Stephanus Apor existens omnium tricesimarum supremus arendator), cum quo ut cum cane ludebamus, et ut canis blandiebatur; contigit quodam die dominico, dum dictus Stephanus Apor ex missae sacrificio exivisset, lupus proprio instinctu ingreditur templum majus urbicum, sedetque ad altare, in quo supra modum ejulare incipit; descendens ex altari, ac si rabidus canis, pergit contra cathedram, in qua praedicans actu concionabatur, qui lupum se aggredientem conspicatus, ex cathedra, reliqui vero auditores ex templo fugere incipiunt, eo strepitu, ut alter ab altero vix

non conculcaretur, quod nos videntes, magnam aliquam larmam adesse cogitabamus. Quod pro malo omine interpretabatur, ut paulo inferius evenit. Sed et militia dicta caesarea ingressa in tantum famelica, ut sepeliendis sociis vix sufficerent; multorum cadavera canibus exposita conspiciebamus.

Hoc anno Transylvania per Michaelem Teleki, Nicolaum Bethlen et Stephanum Apor, legatos coram Generale caesareo Josepho Comite a Karaffa, augustissimam domum Austriacam, juxta articulum Hungariae hujus anni, haereditariam recipit.

Anno 1688. Temeritatem obstinati animi solvit Corona; nam dum obedire non vult, armis caesareis, duce Friderico Comite Veterani, armisque Principis, duce Michaele Teleki, obsidetur, dumque ad arcem ignitae aliquae bombae injectae fuissent, se dedunt. primariorumque obstinatorum capita deponuntur, aliqua ad portam arcis, unum in foro palo infigitur, quod non ita pridem est inde depositum. B. Ladislaus Gyulaffi cum stipendiariis Transylvaniae militibus expeditur contra turcam, et se conjungit Generali caesareo Comiti Heisler ad Orsovam. Mittuntur a principe Michaele Apaffi seniore legati Viennam Gregorius Bethlen et B. Ladislaus Gyulaffi, ad homagiale obsequium Augustissimo imperatori Leopoldo deponendum.

Anno 1689. Tota urbs Corona conflagrat, excepto moderno templo Soc. Jesu, una alterave domo. Supposito igne incendium ortum suspicantur, cum pluribus in locis simul ignis eruperit, et nunc vaticinium de supra fato lupo impletum dicebant. — Hoc

quoque anno similiter expeditur B. Ladislaus Gyulaffi.

Anno 1690. 15-a Aprilis regnans princeps Transylvaniae I. Michael Apaffi moritur Fogarasini. Eodem anno Emericus Tököli, ungaris, turcis et tartaris stipatus invadit Transylvaniam, cui 20-a Augusti cum exigua Germanorum et Transylvanorum manu occurrit caesareus Generalis Donatus C. ab Haisler, item Michael Teleki Generalis Transylvaniae, sed a multitudine obruuntur. Generalis Haisler, colonellus Marchio Doria captivantur, Generalis Teleki et Generalis Norquer in loco caeduntur, et Generalis caesareus Magni in vulnere usque pagum Hermány Districtus Barczensis se salvat, sed ibi quo mortis genere mortuus, varii varia narrant. Manserunt praeterea in loco tam officiales caesarei, quam proceres et nobiles Transylvaniae plurimi. Post conflictum magna pars Transylvaniae adhaeret Tökölio, juvenis tamen princeps Transylvaniae II Michael Apaffi se confert Claudiopolim, et ibi in fidelitate Augustissimi imperatoris substitit. Cum quo hi proceres erant: Georgius Bánffi, expost Gubernator, B. Joannes Haller, Nicolaus Bethlen, Alexius Bethlen, Gregorius Bethlen (arcem Fogaras a Tökölio conservaverat), Stephanus Naláczi, Ladislaus Székely, consiliarii, B. Ladislaus Gyulaffi, Stephanus Apor, B. Stephanus Haller, Michael Mikes, Ladislaus Mikola, Georgius Gyeröffi, Benedictus Serédi, Emericus Jósika, Ludovicus Naláczi, Paulus Rhédei, Sigismundus Korda, Ladislaus Gyulai de Várad, et aliquot alii. Ego, puer 14 annorum, in periculosa infirmitate decumbebam Claudiopoli. A fidelibus ergo his, qui

Claudiopoli fidem regi servabant, pro suppetiis Viennam missus erat ad Augustissimum imperatorem Leopoldum Nicolaus Bethlen, qui non solum succursum, verum, defuncto principe, et Diploma patriae impetravit (quod tamen expost Petro Alvinczi ablegato fuit interpretatum Viennae, qui et instructiones cardinalium officialium, puta gubernatoris generalis, cancellarii, thesaurarii, et praesidentis secum attulit). Impetrato ergo auxilio, ordinibusque datis serenissimo principi Ludovico Badensi, eidem obviam mittitur Michael Mikes, qui praefatum principem cum succursu in Transylvaniam comitatus est, per eundemque principem Tökölius ex Transylvania expulsus, secum abducit plurimos dominorum et viduarum, quorum aliqui post 5, 6 annos et plures patriam videre potuerunt.

Eodem anno Galga Szultan a partibus Váradiensibus Transylvaniam cum 80 millibus invadit; magnam partem Transylvaniae comburit, depopulatur, ad Claudiopolim considet, et in velitationibus multos Claudiopolitanorum caedit. Verum et is expulsus est per dictum serenissimum principem Ludovicum.

Hoc anno primo ingrediuntur Patres Conventuales in Transylvaniam, et primo sub nomine Missionariorum ponunt se ad pagum Esztelnek, mox se conferunt in Kanta, et monasterium incorporant provinciae S. Elisabeth in Hungaria.

Anno 1691. Status Transylvaniae homagium fidelitatis deponunt Augustissimo imperatori Leopoldo Claudiopoli juxta pacta anni 1687, coram Josepho Comite Karaffa. Locustae plurima damna faciunt in Transylvania. B Josephus Haller Tergovistiae in

Valachia ex mandato Tökölii indigne trajicitur, quare et turca ideo Tökölio indignatur.

Anno 1692. Augustissimus imperator Leopoldus erigit Gubernium in Transylvania, constituto Gubernatore B. Georgio Bánffi de Lossoncz; consiliarii creantur : idem Georgius Bánffi, B. Joannes Haller, simul et thesaurarius, Stephanus Naláczi, quondam principis Michaelis Apaffi aulae magister, Gregorius Bethlen, simul et Generalis, Nicolaus Bethlen, simul et cancellarius, Alexius Bethlen, B. Ladislaus Gyulaffi. Ladislaus Székely de Boros-Jenö, simul et praesidens. Georgius Gyeröffi, Joannes Toldalagi, Joannes Sárosi, Valentinus Frank, judex Reg. Cibiniensis et nationis saxonicae comes.

Dum hi Cibinii constituuntur, variae disputationes etiam fiunt circa religionis apostolicae romano-catholicae pristinam libertatem restituendam, cui dum a tribus aliis Transylvaniae religionibus offerretur templum Claudiopolitanum in veteri civitate cum adjecto monasterio, et Albae tunc Juliae nunc Carolinae templum a Christophoro principe Báthori aedificatum. responderunt catholici : hoc ultimum praeterea etiam ipsorum est, quod etsi desolatum sit, aedificatum tamen a principe catholico propriis sumptibus, nullus adhuc ipsis rapuit; primum etiam acceptare noluerunt, nolentes juri suo cedere, quod vi Diplomatis prima fronte videbatur conculcari, in quo dum de religionum negotio fit mentio, additur : Contradictionibus nunquam valituris. Hinc in hac parte re infecta discedunt, sed pro explicatione Diplomatis delegatur Viennam Petrus Alvinczi regni protonotarius.

Notatu dignum: Ladislaus dictus Székely Regni Praesidens eodem anno moritur, cui ad umbilicum, miro Dei judicio a stomacho foramen aperitur, per quod (salvo omnium legentium respectu) omnia excrementa exibant, et quamvis variis unionibus aliisque pretiosis medicamentis satis superque fuit provisum, moriendum tamen illi fuit. Multi illo tempore poenam Dei fuisse narrabant, ut qui Byzantii Paulum Béldi intoxicaverat, etiam miserabili morte periret. Audivi tunc puer, dum ipsi objiciebatur, cur veneno sustulerit Paulum Béldi, negativam non dabat, sed respondebat: quacunque arte possum mei clementis principis inimicos perdere, certo perdam. Successit illi praesidens regni Alexius Bethlen, et in consiliariatu Samuel Keresztesi. Laurentius Pekri fit Comes. Locustae rursum plurima damna faciunt.

Anno 1692. Per captum a Christianis 5-a Junii Váradinum, magna securitas Transylvaniae redditur.

Anno 1693. Hoc anno moritur Joannes Toldalagi, cui in consiliariatu succedit Michael Toroczkai. Jam tandem accepta Diplomatis interpretatione, acceptat status catholicus templum cum monasterio Claudiopoli, jam a seculo fere privatus templo publico, et occupat. Similiter acceptat templum Báthoreum Albae Juliae nunc Carolinae, Suaque Mattas SSma Academiae Claudiopolitanae restituit fundationem regis Stephani et Christophori Báthoreorum, quin imo certis bonis et decimis auget non solum Claudiopolitanos, verum Albenses et Udvarhelyienses, ad facilius instruendam juventutem, simulque vicario generali Transylvaniae et monasterio Kantensi a Stephano

Apor fundato donat decimas pagi Kaczn. B. Ladislaus Gyulaffi creatur Comes. Stephanus vero Apor et Michael Mikes fiunt Barones sub augustissimo imperatore Leopoldo. Ego absolutis Claudiopoli humanioribus, ascendi Tyrnaviam ad studia philosophica et juridica. Jam dictus Baro Stephanus Apor hoc anno installatur supr. etiam capitaneus sedium siculicalium Csík. Gyergyó et Kászon. Locustae. prout et anno superiori, magna damna causant. Hoc anno 1693. incidit pascha in diem 22-am Martii. quo termino citius celebrari non potest. Anno 1693. fors nunquam antea, hoc anno in templo Kolosmonostoriensi fuit producta proemialis comoedia, praesentibus magnatibus et statibus regni, in qua. in rhetorica, duo prima proemia accepi.

Anno 1694. Tartari irrumpunt in sedem Csík, eam vastant, depopulantur, comburunt, duabusque subsequentibus diebus alii aliis succedentes, plurimos, tam ex nobilitate, quam ex plebe, captivos abducunt. Moritur Georgius Gyeröffi, consiliarius, cui succedit B. Stephanus Apor.

Anno 1695. Generalis caesareus Fridericus Comes Veterani ad Lugos et Karánsebes vix cum septem millibus christianis confligit cum tota potentia Orientis, praesente ipso imperatore turcarum, solus agressus turcam, cum quo dum aliquot horis pugnasset, octiesque viriliter repulisset duodecimque millia turcarum occidisset, in nono assultu lethale vulnus accipit et capitur, apudque turcas moritur. Generalis vero Truchses, vix mille quingentis ex caesareanis desideratis, exercitum in Transylvaniam reducit. Sed

tamen in Transylvania ob imminentes turcas magna fit trepidatio.

Hoc anno Samuel Kálnoki a statibus Transylvaniae mittitur Viennensem ad aulam, et fit primus cancellarius Transylvanicus. Ego vero ero primus baccalaureus philosophiae Tyrnaviae. Visitavi Viennam. Michael Száva fit Baro.

Anno 1696. Magnus metus in Transylvania ob intentionem Sultani eam ingredi volentis, qui tamen, confligens cum duce Saxoniae et Donato Comite ab Haisler, recedit. Hoc anno Georgius Bánffi fit Comes. Tota familia Bethleniana de Bethlen Barones, item Stephanus Apor et Michael Mikes fiunt Comites. B. Joannes Haller, transacta sancte et pie vita, in bona senectute renunciat officiis thesaurariatus et consiliariatus. In thesaurariatu succedit C. Stephanus Apor, in consiliariatu ejusdem filius B. Stephanus Haller. Ego absolvo philosophiam Tyrnaviae, creor primus magister; per triennium utrique juri studui, et hoc anno in Transylvaniam redivi. Moritur Alexius de Bethlen, praesidens, apoplexia tactus Carolinae, cujus officium supplet Samuel Keresztesi; sed mox a fine Matte praesidens regni constituitur B. Stephanus Haller. Moritur et Stephanus Naláczi. C. Stephanus Apor fit supr. comes Cottus Thordensis.

Anno 1697. Duplex metus in Transylvania; alter ob Francisci Tokaji rebellionem in Hungaria, qui clam aliquot fortalitia ceperat, et multos sibi conciliaverat, alter ob imminentem turcam, qui certo erat una cum Sultano intentionatus Transylvaniam intrudere. Sed utroque mox liberati sumus; nam et [illegible]

ciscus Tokaji per milites caesareanos et aliquot Comitatus dissipatus est, et turca ad Zentam a serenissimo principe Sabaudiae Eugenio profligatus est, amissis 24000 millibus janicserorum. Hoc anno cum quatuor templis, duobus collegiis et magna etiam exterorum bonorum jactura conflagravit Claudiopolis. Samuel Kálnoki fit Comes. Eodem hoc anno C. Georgius Bánffi gubernator, C. Nicolaus Bethlen cancellarius, et C. Stephanus Apor citantur Viennam ad negotia regni tractanda. Hoc anno primum ingreditur in Transylvaniam episcopus Transylvaniae Andreas Illyés, et moritur B. Joannes Haller senior.

Anno 1698. Praefati domini redeunt Vienna circa festa pentecostalia. Moritur Gregorius Bethlen regni Generalis, cui succedit C. Ladislaus Gyulaffi.

Anno 1699. Fiunt comitia Schesburgi, in quibus B. Emericus Jósika, ob quandam suspicionem, ex mandato Generalis C. Rabutin capitur, ex qua tamen se purgavit. Ero regalista. Redditur tranquillitas Transylvaniae per pacem Carloviczensem inter augustissimum imperatorem Leopoldum et turcarum sultanum. Moritur C. Ladislaus Gyulaffi Generalis, cui succedit C. Stephanus Apor. Contraho matrimonium, infeliciter, voluntate magis aliorum quam mea, quamvis in nuptiis meis Viennae celebratis delegatus Suae SSmae Mattis Leopoldi praesens fuerit Cardinalis Kollonicz, ex parte vero Reg. Mattis Josephi episcopus Nytriae, Matthasovszki, regni Hungariae cancellarius, quinque principes, et totum fere ministerium caesareum intimum aderat, prout et musici Suae SSmae Mattis. Item eodem anno incipit studium phi-

losophicum Claudiopoli sub primo professore Joanne Dévai e Soc. Jesu. Resolvor hoc anno die 5-a Septembris pro supr. comite Cottus de Küköllő. Imago Beatissimae Virginis Mariae in pago S. Nicolai ad Szamos-Ujvárinum lacrimas emisit, praenuntius calamitatum Transylvaniae, quae per insurrectionem Rákóczianam secutae sunt. Imago haec devote servatur in templo academico Soc. Jesu Claudiopoli.

Anno 1700. Celebrantur solennes nuptiae B. Stephani Vesselényi cum Comitissa Catharina Bánffi, Comitis Georgii Bánffi Transylvaniae Gubernatoris filia, ad quas Suae quoque Mattes. Leopoldus et Josephus, dignatae erant suos ablegatos designare: Comitem Rabutin, Generalem Commendantem, et Generalem Leving, Commendantem confiniorum ad Coronam, quos tamen infirmitas impedivit quin comparerent. Hoc anno nata est filiola mea Rosalia. Baro Tavonat et Eckler consiliarii Camerae aulicae ad Transylvaniam veniunt ad res cameraticas investigandas, thesaurarioque transylvano multas molestias causant, et hinc fit initium directionis cameraticae per Camerae aulicae consiliarios. Item Societatis Jesu patres in propriis vestibus hoc anno primum ingrediuntur in Transylvaniam. Instaurat quoque C. Stephanus Apor Carolinense templum Soc. Jesu a Christophoro quondam Báthory aedificatum, quod prioribus annis jam inchoatum et valde desolatum, ultimam ruinam minabatur; et illud reconciliavit Rev. Pater Franciscus Fogelmann Soc. Jesu per provinciam Austriae praepositus [illegible] alis, qui cum patre Stephano Csákány, [illegible] Jesu, primi in vestibus societatis [illegible] Societatis Jesu in Transylvania. Finis

bae Juliae, Comes Seau existens commissarius regius, proponit nomine Suae Mattis tributum unius millionis florenorum Rhenensium solvendum, quod difficillime fuit solutum. Et hoc erat maximum tributum Transylvaniae.

Anno 1701. Commissio Cameralis in locum Stephani Gyárfás Thordae constituit inspectorem seu praefectum salis Ignatium ab Haan (qui postea factus Camerae consiliarius et per Transylvaniam supremus rei cameralis director). Et in hoc irrepserunt germani ad salis praefecturam, ita, ut hodie in nulla salis fodina praefectus sit hungarus. Franciscus Princeps Rákóczi II (ex cujus motu plurimae calamitates afflixerunt Transylvaniam, ut infra) arestatur ob correspondentiam (ut dicebatur) cum rege Galliarum, ducitur ad Novam-Arcem Austriae, cum quo et aliquot proceres Hungariae. Et ex Transylvania educitur arestatus Michael Vay. Comes Ladislaus Bercsényi salvat se in Poloniam. Introducor ut supr. comes in Cottum de Küköllő, introductoribus C. Laurentio Pekri et Sigismundo Korda. Nascitur filia Susanna.

Anno 1702. Dictus princeps Franciscus Rákóczi ex aresto liberatur opera uxoris suae, corrupto multo auro arcis praefecto; se recipit in Poloniam, prospicit de futuris motibus. In Transylvania, Albae tunc Juliae, nunc Carolinae inchoantur comitia die 15-a Januarii, et terminantur circa dies ultimos Maji, adeoque mea vita longissima. In his comitiis Joannes Sárosi consiliarius regni et protonotarius regni arestatur, quod fuerit accusatus crimine falsi. Nimirum dum an-

no superiori Athanasius, ritus graeci episcopus, unitus se cum ecclesia romano-catholica, introductus fuisset, ut a SSma Sua Matte Leopoldo confirmatus ejusdem ritus episcopus, in templum valachicum Carolinense ex mandato praefatae Suae Mattis per C. Stephanum Apor, illique introductioni graeci contradixissent et protestati fuissent, quod scilicet illam contradictionem et protestationem contra praefatae Suae Mattis intentionem authentice sub sigillo Suae Mattis extradedisset; qui tamen Viennae per dictam Mattem absolutus est. Visi hoc anno sub specie praedonum hinc inde aliqui in rubris indusiis, qui tamen nullum damnum inferebant. Natus est filius meus Stephanus primus. Gliscit fama motus Rákócziani; praesidia magasinis augentur. Apparent Carolinae volatiles insolitae, majores passeribus.

Anno 1703. Franciscus Princeps Rákóczi et Comes Ladislaus Bercsényi egrediuntur ex Polonia, incipiunt hostilitates, perveniunt usque Debreczinum, inde obsident Szathmarinum, et capiunt fame. C. Samuel Bethlen cum 1000 Siculis ad invigilandum motibus inimici mittitur circa Válaszút, et a malecontentis hungaris dissipatur; cujus in locum ad Bonczida mittitur Stephanus Toroczkai aeque cum 1000 Siculis, quos invadit Paulus Olosz, malecontentorum Generalis, et Toroczkai, viribus impar, dissipatur. Cujus in auxilium dum advolat caesareus supremus vigiliarum praefectus regiminis cataphractorum Steinvilliani, Baro Sellein cum 400 germanis, certa hungarorum manu, duce Gregorio Hatházi, et certis rascianis sub centurione Rácz Gyurka dicto, malecontentorum multitudine obruitur, cum paucis germanis se

Anno 1704. Accipio mandatum Gubernii, ut jam dissipato C. Laurentio Pekri, pergerem vel Medgyesinum vel Ebesfalvinum ad motus patriae observandos. Sed dum pro ordinibus et instructione mitto, et adhuc tabellarius abest, ante malecontentos debeo me salvare Coronam 15-a Januarii. Nam Stephanus Gúti, malecontentorum unus capitaneus, invadens Sedem Udvarhely, ad arma cogit; similiter Ladislaus Kereskényi, ejusdem farinae, in Csík et Három-Szék penetrat, ambas ad arma capienda concitat, et ad Coronam pagumque Hermány considere facit; Udvarhelyienses vero cum fato Gúti ponunt se ad pagum Holdvilág, quos Baro tunc de Tige ex ordinibus Generalis Commendantis Comitis de Rabutin armis dissipat, et quia arcis Udvarhely commendans caesareus ante tempus tradiderat arcem Rákóczianis, praesens in hoc conflictu solus quidem evasit, ast multi praesidiarii capti, vario tormentorum genere Cibinii occisi sunt. Hoc nuncio sedes Háromszék et Csík arma deponunt, et fidelitatem jurant, rursum, tribus septimanis evolutis, insurgunt, et se ad pagum Hermány ponunt, in vere, superveniente caesarea militia, ad pagum Feketehalom caeduntur, plurimis desideratis. Confecto proelio et pontem Dobolyiensem superato, obvius quivis vir deprehensus a casareanis occiditur, quamvis paucissimi inventi sint, combustisque plurimis pagis in Sede Sepsi et Maxa, in reditu castellum Prásmár expilant, in quo pretiosissimis hungarorum rebus inventis, Cibinium militia onusta praedis redit. B. Tige cum caesareanis, toroczkaienses et enyedienses expilat, comburit et redit. Claudiopolim Generalis Stephanus Thoroczkai obsidet, tormentis quatit, Generalis C. Rabutin in subsidium venit, ma-

lecontentos in valle salinaria fundit et fugat, militiam caesareanam Claudiopoli educit, et secum Cibinium ducit; sed fideles caesarei per hanc militiae eductionem plurima damna in depositis patiuntur, et vel maxime domus Aporiana potest deplorare. Claudipolis malecontentis cedit, cedunt praeterea arces Görgény, Kövár, Déva, Hunyad, Bethlen; saxonicales civitates jam prius deditionem fecerant; remanserunt in fide caesaris solum Cibinium, Corona, Fogaras et Szamos-Ujvár. In autumno vice-colonellus Graven expeditur contra háromszékienses, et csíkienses, sed illi non expectant, sed se recipiunt in Csík, incolae quoque hinc inde diffugiunt. Ascendunt caesareani usque ad Kezdi-Szentlélek, nulloque invento redeunt, transeunt per sylvam Sárkány, impedimenta permittunt, quae Siculi expilant, et caesareanos persequuntur, assequunturque ad pagum Sárkány, cum quibus confligunt ductore Joanne Komlósi cum certa manu militum Hungariae, victoria incerta relicta. Caesareani Cibinium, Siculi ad pagos Hermány et Szentpéter redeunt. Comes Nicolaus Bethlen regni Cancellarius projectum concipit; quod dum ad legatos Angliae et Hollandiae, mediatores pacis inter caes. Mattem et hungaros, gallico idiomate exaratum per quendam graecum Pano Stephan Posonium transmittere nitebatur, cujus summa haec erat: Ut augustissima Domus Austriaca, et Franciscus Princeps Rákóczi regno Transyilvaniae cedant, creeturque in Transylvania princeps reformatus vulgo calvinista, qui ducat ex augustissima domo Austriaca uxorem catholicam, verum dictum projectum fatus Stephanus Pano non Posonium ad legatos refert, sed Generali Comiti Rabutin tradit, hinc C. Nicolaus Bethlen arestatur, a regni Statibus Cibinii

xistentibus nota infidelitatis condemnatur, verum ententia executioni non mandatur, sed Cibinii, in uartirio Commendantis civitatis, nullo ad ipsum perisso, in strictissimo aresto servatur usque ad anum 1708, quo eundem dictus Generalis Commenans Viennam ducit. Expost Viennae cum eodem uctore suo eodem anno et septimana in aresto moriur. Moritur hoc eodem anno C. Stephanus Apor regi Generalis, cum quo officium Generalatus regni requievit in pace. Audita morte ipsius, ego me Corona per Valachiam Cibinium confero. Moritur similiter consiliarius Gubernii Samuel Keresztesi, in quo familia Keresztesiana defecit. Moritur filius meus primus Stephanus Coronae, et ibidem nascitur filia Barbara. Ob insurrectionem primam penes Rákóczium sedis Háromszék, per Generalis Commendantis Conitis Rabutin mandatum Michael Székely sedis Sepsi, Stephanus Boér sedis Kezdi, Moyses Imecs sedis Orbai vice-judices Reg. quamvis ipsi inculpati, in arestum civitatis Coronensis ducuntur, et primo evolutis duobus annis dimittuntur. Oppidi quoque Bereczk multi arestati ad eandem arcem deducuntur, eo, quod militum caesareanorum ad passum Bereczk excubantium interfectores haberentur. Similiter innocentes occisi sunt milites excubantes in passu Borza et in passu ad Csik-Gymes. Caeduntur a caesareanis sub Cibinio sedis Marus Siculi sub commando B. Samuelis Jósika. Ad Cibinium et Coronam malecontenti segetes satagunt comburere; Veterem civitatem Coronensem in exteriori parte, nec non suburbium Bonya fere totum exurunt.

Anno 1705. Moritur 5-a Maji Augustissimus

potentissimus et invictissimus imperator Leopoldus Medgyesinum a malecontentis hungaris sub Generale ipsorum C. Simone Forgácz obsidetur; Medgyesino praeest caesarei regiminis Pálfiani centurio Kercz. C. Forgácz a duabus partibus tormentis urbem quatit, igneis globis, vulgo bombis, in urbe non exigua damna facit, assultus ex duabus partibus reiterat, sed a caesareanis viriliter repellitur. Ultimo, dum urbis praefectus Kercz in munimentis, ex qua parte urbs tormentis verberabatur, dum incautius agit, globo tormenti discerpitur, cui propositum erat ad ultimum spiritum urbem defendere. Mortuo ergo urbis praefecto, jamque in muris magno hiatu existente, caesarei regiminis Neupergiani centurio Sleis sub certis conditionibus malecontentis urbem tradit, caesarea militia Váradinum versus discedit, cujus magna pars ad malecontentos transit. Malecontentorum equitatus ponit se ad Harság sub commando C. Laurentii Pekri, peditatus vero ad Szászsebes; hinc frequentes velitationes inter caesareanos cibinienses et malecontentos. Oppidum saxonicale Szeredahely a colonello Graven exuritur, expilatur. Rubra Turris ad Cibinium expugnatur a malecontentis, caesis caesareanis et loci tricesimatore Sinkai.

Cibinio circa finem Februarii moveo Coronam versus, sed Generalis C. Rabutin nec argentum nec pecuniam efferre mihi permittit, majorem partem argenteriae meae vi accipit ob metum malecontentorum. Post dies 15 per Valachiam plenus periculi Coronam pervenio, ubi ex ejusdem mandato 900 florenos meos rapi audio; quos dum repeto, aut ut aliquam argenteriam Cibinio ad sustentationem mei curem, neutrum mihi permittit; dum remonstro, non ergo amplius me-

dia me habere ad sustentationem, succurrat. respondit: posse me sequi eos ungaros, qui me praecesserant in Valachiam. Ad quam 4-a Aprilis me moveo, et ad principem Constantinum Brankovan, cum majoribus boeronibus salutandum, Bukurestum pergo. Salutatis his redeo ad Ploestum, oppidum Valachiae, in quo subsisto. Moritur filia mea Barbara. Defectu medio rum vitae reliqui omnes Corona exeuntes hungari in patriam veniunt, ego, cum Francisco Henter regni protonotario, in loco permaneo, cum quo, tanquam cum emerito sene, frequentius consultabamus, ne quid temere aggrederemur. Consulto consulturus vado Bukurestum ad principem Brankovan, nec non Comites Constantinum et Michaelem Kantakuzenos accedo, remonstro me huc usque etiam ex gratia principis vixisse in Valachia, et ulterius perseverare cum dicto Francisco Henter in fidelitate nostri legitimi regis persistere parati sumus, num audiant famam succursus caesarei: in formam crucis ad pectus junctis manibus sic fati sunt: Juramus Deum, nullam audivimus. Hoc dicto, repraesento, aliquo adhuc tempore posse nos subsistere, non tamen diu; dent ergo christiani christianis consilium; ad quod princeps et dicti duo comites: Judicamus, ut vestrae Dominationes accommodent se tempori, et redeant in patriam; simul addiderunt, in tempore testes nobis futuros, non ex praesumpta malitia, sed ex necessitate [illegible] redivisse in patriam; quod et sancte praestiterunt, [illegible] infra patebit; addebant simul: nec posse [illegible] sperari succursus germanorum, cum germani [illegible] fortunium sint passi a gallis. Totum [illegible] perscribo Generali Comiti Rabutin, et per [illegible] conductum expressum transmitto, et [illegible]

Redux expressus ducit signum, quod litteras tradiderit, sed responsum nullum, quid ergo faciendum. His ita actis, convasatis rebus ad finem Julii in patriam venimus, nam duobus hungaris nec erat plene tutum in loco illo remoto subsistere, frequenterque minae a malecontentis veniebant, nisi in tempore rediverimus, nunquam bona nostra nobis reddi, quas tamen flocci habuissemus, si de succursu quid vel minime certi habere potuissemus. In patria accipio mandatum Comitis Forgácz, ut subito ipsum accedam; accessi, a quo remissus cum mandato, ut quantocyus principem Rákóczium accedam; tempus tamen protrahebam, ut adhuc aliquid de succursu audirem, ut interim domi meae continerem. Interim volat fama Rákóczium intraturum Transylvaniam; nulla mentione audita succursus. moveo me ex Csík-Somlyó 4-a Octobris, venio Medgyesinum, ibi a Barone Gabriele seniore Jósika (occulte etiam caeareanis partibus favente) audio succursum germanicum per Danubium transivisse Ibi ambo, quid facto opus esset, per duos dies consultamus; ultimo concludimus, ut non redirem in Somlyó, sed accederem ad principem Rákóczium, interim geramus nos ne vel in minimo nocere videamur partibus caesareanis (cum et praefatus B. Gabriel Jósika per deditionem arcis Hunyad coactus fuerit se tempori accommodare). In via moras trahens, non prius ad principem venio, quam ipsum ad Egregy aliquot diebus substitisse audirem; ad quem dum venio, benigne me excipit, tertia statim die occulte ut ad se venirem, mandat. Accedens, interrogat, quid testamento legasset pie defunctus patruelis meus, exposuissemque ipsi, ad quae ille: Dicimus Vestrae Dominationi in verbo principali, si Deus arma nostra secundaverit,

rate, conparet quidam in veste peregrini, et me ad privatum cubiculum vocat, ibi juramentum a me excipit; excepto, ex pera arripit panem subimericeum, ex quo excipit schedam nomine Comitis de Rabutin mihi scriptam, porrigit, in qua sub cavallerica parola mihi scribit, quod non me immisceam (formalibus his verbis) rebus rebellium, scit me ex necessitate inter illos esse, agam quae fidelis debet, contineam incolas domi: non ut aliquid sinistri accideret, verum a Sua Matte praemium reportaturus. Dirigo virum versus Kászon, ne suspicioni redderetur, ut ea via pergeret qua germani veniebant; res secretissima, nihilominus malecontenti aliquid subodorati, monasterium Patrum Franciscanorum in Csík-Somlyó circumdant, et inter spem vitae et metum mortis expectabam caesareos, nihil tamen omittebam mihi commissorum. Adveniunt ergo caesarei, die innocentibus Martyribus sacra, obviam procedo, et videor cum honore excipi.

Arx Szamos-Ujvár traditur Rákóczio a vice colonello Musburg ob famem.

Anno 1706. Fatalis hic mihi, in omni enim sexto debuit quid novi mihi contingere. Dum duo regimina, Rabutinianum et Parajdianum, ut dictum est, intrassent in Csík, et ea que caesaris essent agerem, nec opinanti quidem, innocentiae fulcro nixo, et cavallericae parolae Generalis Commendantis confiso, in propria domo in Csík-Somlyó per colonellum Graven nomine Generalis Commendantis indicitur arestum; post duos dies, honeste quidem, ducor in Csík-Szent-Imre, quo et duo regimina condescenderant. Ibi altero die proponitur, ut sive eques, sive proprio curru eam. Sed cum jam quidam centurio, Mill no-

mine, Rabutinianus, omnibus equis, curribus et supellectilibus, uno verbo omnibus praeter ea quae in corpore ego, conjunx et quinque annorum filiola Susanna habuimus, spoliasset, imponor currui rusticano, et ducor Coronam, ubi Generalis Marchio Chusani, perspectam habens meam innocentiam, rescribit Generali Commendanti C. Rabutin. Omni tamen humanitatis officio, tam a praedicto Generale, quam a regiminis Neipergiani vice colonello, tunc Barone Wellenstein, tum ab omnibus ejusdem inclyti regiminis Dnis officialibus eo sincero affectu animi acceptus sum (noverant enim jam meum sincerum animum, dum medio secundo anno ipsis Coronae convixissem), ut ab eo die, quo ad arcem Coronensem deductus sum, non in aresto, sed in convivio fuisse me reputarem, quidquid enim humanitatis officium fuit, nihil praetermiserunt. Dum quidem ad arcem ductus fuissem, erat arcis Coronensis commendans centurio Neipergianus Veismiller dictus, vir omni conscientia plenus, miles nulli secundus; qui me statim ad prandium invitavit, et a prima die ingressus arcis tunc in cubiculo meo edebam, quando certis rationibus me excusavi. Convivio, lusibus, confabulationibus in tantum me recreabant, ut subinde molestum fuerit mihi non posse legere, scribere. Et hoc duravit usque ad finem aresti mei; quin imo etiam gregarii (cum quibus ut poteram [illegible] faciebam) uti parentem diligebant. Erant tres [illegible]riones, qui successive arci in commando [illegible] quartus capitaneus leitinantius; centurionum [illegible] haec sunt: Ebner, Baro Formetin, Veismiller [illegible]taneus leitinantius Bukovszki, bohemus [illegible] aeternitate et lux perpetua luceat eis, [illegible] mortuis inclyti regiminis Neipergiani, qui [illegible]

cutionibus corporisque mortificationibus vexati. Omnia quae poterat, hospes vendebat, nec sic par solvendo, miles quidquid rerum domesticarum, quidquid pecorum inveniebat, vilissimo praetio vendebat, ita, ut juvencus unius anni floreno ungaricali, ovis una tribus quatuor grossis, porcus unius anni etiam poltura vendebatur Coronae; miseria denique tanta, quanta a tempore Bastae in Transylvania non fuit. Omnes nobiles et siculi armis spoliantur.

Anno 1707. Franciscus princeps Rákóczi, quem anno 1705 transylvani, qui extra fidelitatem caesaris tunc erant, in principem Transylvaniae elegerant (quamvis saxones partibus Emerici Tökölii favere viderentur ob religionis lutheranae respectum), cum splendido et sat copioso exercitu ad comitia a se indicta Marosvásárhelyinum venit, ibi consvetum et solenne juramentum deponit, consiliarios sibi, Tabulae Iudiciariae assessores et reliquos officiales creat; princeps Michael II Apaffi, prout et alii fideles Suae Mattis SSmae Caes. et Regiae nota infidelitatis condemnantur. Finitis comitiis in Hungariam redit, Comiti Laurentio Pekri, ut suo Generali, Transylvania relicta. Erat intentionis Baronis Tige, quem anno superiori a Comite Rabutin Cibinium immissum scripsimus, turbare hanc pompam Rákóczii, verum equites caesareani, ob non solutum stipendium tumultuari coeperunt, ita ut pedestrem vigiliam duplicare necesse fuerit. Ad hos sedandos, B. Tige, ac si aliquid contra hostem moliturus, militem extra urbem ducit, antesignanis in urbe permissis, mox clausis portis, ex antesignanis duos in infami ligno in foro pendere jubet. Quos ubi jam pendere intellexit, alios in ur-

praesidiariorum magna pars fuga se salvat; similiter Déva diu obsessa. Sed sub Görgény magni nominis officiales caesarei et multi gregarii perierunt.

Anno 1708. Generalis C. Rabutin ex Transylvania egreditur; omnes ipsi quotquot scio, felicem viam precabamur. Substituitur cum gaudio Transylvanorum Marchio Chusani, amor omnium; incipiunt aperiri carceres. Verum paulo post advenit actualis Commendans Generalis B. Krichpaumb, summus justitiarius, pater patriae futurus, si fata non denegassent. Qui ex innata clementia augustissimae domus Austriae aperit carceres, et quos furor Rabutinianus carceri mancipaverat, benignitas augustissimi Josephi I. per favorem dicti Baronis Krichpaumb libertati restituit. Quos prout omnes innocentes asserere non ausim, aliquos tamen culpae insontes probe scio. Invehit praedictus B. Krichpaumb victualia caesareis Váradinum: in reditu obsistentes habet malecontentos, cum quibus acerrimo praelio confligit, vincit et fugat, incolumisque reducit exercitum.

Hoc anno constitutus sum supr. Iudex Reg. sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai, juramentumque deposui in Léczfalva. Moritur filia mea Rosalia in Bolonya. Moritur Excellmus Dnus C. Georgius Bánffi Gubernator Transylvaniae 15-a Novembris Cibinii. Natus est filius meus Joannes.

Anno 1709. Pestis ex Moldavia inficit sedem Gyergyó, et mox totam patriam, paucis locis exceptis. Ex mandato caesareo fiunt comitia regni Cibinii, eliguntur personae pro Deputatione Regia, quae omnia politica ad interim dirigeret; etiam ego eram inter

primos candidatos, placuit tamen 16 has personas confirmare Suae Matti, primo quidem qui reliqui erant consiliarii ex Gubernio : B. Stephanum Haller, Samuelem Conrad judicem Reg. Medgyesiensem, et Petrum Veber judicem Reg. Cibiniensem; item ex parte catholicorum: B. Sigismundum Kornis, modo Comitem (qui Viennam qua cancellarius discedens, locum ejus obtinuit B. Stephanus Kornis, modo Comes), B. Georgium Haller et B. Gabrielem Jósika. Ex parte reformatorum sive calvinistarum: B. Stephanum Vesselényi, C. Ladislaum Teleki, C. Ladislaum Bethlen et Ludovicum Naláczi. Ex parte unitariorum sive arianorum: Samuelem Biró, Gregorium Sándor, Gabrielem Maurer et Gabrielem Gidófalvi vice Judicem Reg. sedis Sepsi. Et ex parte lutheranorum praeter duos specificatos, Joannem Hozman consulem Cibiniensem et Georgium Drauth judicem Coronensem, cum addito salario singillatim 500 florenorum. In comitatibus modo provisorio sunt constituti officiales. In sedibus siculicalibus vi privilegii electi et a Sua Matte confirmati erant supr. Judices Reg. actuales, etquidem: in sede Udvarhely Sigismundus Korda, in sedibus siculicalibus Sepsi, Kezdi et Orbai ut et Miklósvár Petrus Apor, in sedibus Csík, Gyergyó et Kászon Joannes Kászoni nunc Bornemisza, in sede Marus Georgius Lázár de Gyalakuta, in sede Aranyas jam ante triginta fere annos constitutus Andreas Szilágyi.

Baro Krichpaumb ponit se ad campum, sed praeter aliquas velitationes nullam facit actionem, vult visitare passus valachicos, venit Coronam, ibi infirmatur, redit Cibinium, et moritur, longiori vita dignissimus.

ler, B. Ladislaus Haller comites, et Petrus Apor baro creantur.

Anno 1713. Excellmus Dnus C. Sigismundus Kornis installatur Gubernator Transylvaniae; restauratur Gubernium. Ingrediuntur personae hae: ex parte catholicorum dictus C. Sigismundus Kornis, C. Michael Mikes, B. Georgius Haller. Ex parte reformatorum: B. Stephanus Vesselényi, C Ladislaus Teleki, Andreas Szent-Kereszti. Ex parte unitariorum sive arianorum: Samuel Biró, Michael Simon, Ex parte nationis saxonicae manet Samuel Conrad, judex Reg. Medgyesiensis, jam anno 1696 factus consiliarius, item Andreas Teics, judex Reg. cibiniensis, nec non Samuel Fest, civis cibiniensis. Unus consiliarius non erat resolutus, sed mox resolvitur B. Georgius Mártonffi episcopus Transylvaniae. Secretarii Gubernii: Sigismundus Kún de Csapó, catholicus, Samuel Köleséri de Keresér, calvinista. Registratores Gubernii: Alexius Henter, catholicus, Gabriel Alvinczi, calvinista. Eodem anno protonotarii creati: dictus Andreas Szent-Kereszti calv. Michael Olasz. cath. Gregorius Sándor arianus sive unitarius.

Tabulae Reg. assessores, catholici: B. Ladislaus Mikola, C. David Petki, C. Martinus Keresztes de Sárpatak, C. Franciscus Lázár, Joannes Toroczkai; calvinistae sive reformati: C. Joannes Bethlen, C. Ladislaus Bethlen, Andreas Naláczi jam antiquus; unitarii sive ariani: Franciscus Daniel de Vargyas, Sigismundus Balog et Gabriel Maurer.

Director: Blasius Literáti-Szabó de Csík Szent Márton.

Supr. Judices Reg. jam nominati sunt. Supr.

ergo comites: in Cottu Albensi B. Georgius Mártonffi episcopus; in Cottu Kolosiensi C. Stephanus Csáki; in Cottu de Küköllö C. Stephanus Kornis; in Cottu Dobocensi C Georgius Bánffi; in Cottu Thordensi B. Emericus Jósika; in Cottu Szolnokiensi Nicolaus Torma; in Cottu Máramaros C. Josephus Bethlen; in Cottu Szolnok Mediocri B. Stephanus Vesselényi jam pridem; in Cottu Krasznensi Franciscus Boér; in Cottu Hunyadiensi Ludovicus Naláczi; in Cottu Zarándiensi B. Michael Száva; in Cottu Aradiensi paucos post annos Paulus C. Conspurg; in districtu Kővár capitaneus supr. C. Michael Teleki, sed paucos post annos moritur, succedit loco ejus filius C. Joannes Teleki, factus catholicus. In Dictrictu Terrae Fogaras jam antiquus Simon Boér capitaneus supr.

Hoc anno pauca et miserabilia vina creverunt.

1714. Alba Julia incipit erigi in fortalitium. Temporibus nostris inaudita multitudo erucarum plurima damna facit. Rex Sveciae Carolus XII, postquam perdidisset armadam ad Pultavam, et recepisset se Benderum, hoc anno occulte transit per Transylvaniam Viennam versus, et inde it in Sveciam. Publicatur meus baronatus. Nascitur filius meus Ladislaus. Conscribitur Transylvania. Moritur C. Ladislaus Teleki, succedit C. Ladislaus Bethlen consiliarius. Mittitur Viennam Joannes Kászoni pro cancellario; ejus referendarii Georgius Bálintith et Samuel Alvinczi.

Anno 1715. Alba Julia jam utcunque fortificata denominatur Carolina, et ponitur fundamentalis lapis per C. Stephanum Steinville Generalem Commendan-

em et Sigismundum C. Kornis Gubernatorem. Arx Claudiopolitana et arx Csík-Szereda aedificantur. Episcopus Transylvaniae B. Georgius Martonffi in Transylvaniam ingreditur. Natus est filius meus Stephanus alter.

Anno 1716. Triplex gaudium in Transylvania, ed primum paulo post versum in luctum. Nam dum 13-a Aprilis nascitur serenissimus archidux Leopoldus Joannes Josephus Franciscus Antonius Hermenegildus Rudolphus Ignatius Balthasar, ipso augustissimi parentis tutelari die 4-a Novemb. denascitur. Secundum: profligatus turca ad Petrováradinum cadente ipso supr. vezirio, ductore supremo exercitus caesarei Serenissimo principe Eugenio duce Sabaudiae 5-a Augusti. Tertio: eripitur porta Transylvaniae turcis, h. e. capitur Temesvarinum ab eodem serenissimo duce 12-a Octobris.

Hoc anno inordinati sicci venti et frigidi causarunt ne in vineis botri maturescerent, prout et reliqui fructus, ideoque luridissimum vinum provenerat.

Stephanus Dittine vice colonellus caesareus nationalis militiae principem Valachiae Nicolaum Maurocordatum capit Bukuresti, et captivum ducit in Transylvaniam Cibinium. Moritur C. Ladislaus Bethlen consiliarius Gubernii, cui succedit B. Ladislaus Kemény. Nuptui trado filiam meam Susannam C. Joanni Haller. Occupatur templum majus S. Michaelis in foro Claudiopoli a Generale Commendante Stephano Comite Steinville, et episcopo Transylvaniae Georgio Martonffi, quod postquam a nobis rapuerant, saeculo et quod excedit possederant ariani sive uni-

tarii. fundatum ab augustissimo quondam imperatore et rege Hungariae Sigismundo.

Aestate et vere vix duobus mensibus calorem sensimus, hinc propter septemtrionales ventos in vere, et occidentales in aestate incrementum omnium fructuum impeditum est, quatuor septimanis tunc crescere retardarunt. Hinc segetes. fructus immaturi manserunt, vinum luridissimum provenit ex immaturis botris ob frigus autumnale, ut acetum dixisses potius non vinum. Tempus tale fluxisse mirabile prout hoc anno, nec in historiis legitur.

Claudiopoli ad templum majus cathedrale receptum ab arianis, constituitur primus plebanus Pater Michael Szabó Altorjensis. Aedificavi sacellum S. Josephi Altorjae (Dictus P. Michael Szabó mortuus 1739).

Anno 1717. In hyeme tartari insidiabantur sedi Háromszék, veniunt ad confinia, et aliqui vix non ad arcem Ojtoz, sedula tamen vigilia mea recesserunt. Belgradum a serenissimo principe duce Sabaudiae obsidetur 1-a Augusti, superveniens armada turcica 16-a Augusti profligatur, et Belgradum capitur 22-a Augusti.

Interim in Transylvania metus magnus ob tartaros, nam filius chami tartarorum transiens per Pruth. ponit se in Moldavia ad pulchrum oppidum (nomen oppidi est), inde incertum quo tendat; verum sedula mea vigilia et vice Judicis Reg. mei, Stephani Boér, factum est, ut per fidissimos exploratores omnes ipsius motus observaverim. Et primo disposuimus ad passus 300 bene armatos, cum propius accedere voluisset, disponimus 700, mittimus ad altiores montes tria tympana pedestrium, addimus stratagema, 1000

pedites germanos venire ad passus, disponimus exploratores sic, ut stratagema hoc perveniat in aures tartarorum. Caesarea interea militia sedulo vigilabat in campis, quod dum in aures tartarorum pervenisset, permissis siculis 22-a Aug. dictus filius chami tartarorum cum Kolcsak bassa huttiniensi (hic non pridem factus ex christiano hungaro turca; qua christianus vocabatur Ladislaus Okolicsányi) et vajvoda Moldaviae, Michaele Rakovicza, per passum Bistriciensem in Transylvaniam penetrant, sed audientes profligatum esse exercitum turcarum ad Belgradum, bassa huttiniensis cum vajvoda recedunt in Moldaviam, filius vero chami tartarorum, cum quindecim fere millibus tartarorum depopulatur districtum bistriciensem, Comitatum Szolnok Interiorem, partem Cottus Dobocensis et partem Cottus Colosiensis, item districtum Kővár, partem Cottus Szathmáriensis et partem Cottus Ugocsiensis, plurimos captivos et praedam secum ducens. Dum vero in Cottum Máramaros venissent tartari, ab incolis ejusdem Cottus aggressi, plurimos eorum occiderunt, maximam partem captivorum liberarunt, prout et praedae sat bonam partem recuperarunt. Hinc aliquot regimina ex magna armada in Transylvaniam commendantur.

Pestis in terra Fogaras, similiter in Medgyes et ejusdem sede recrudescit, prout et Cibinii. Via Carolina in Valachiam erigitur et paratur. Joannes Kászoni fit Baro, et accipit nomen Bornemisza, scribitque se jam Joannes Bornemisza L. B. Kászon; a puero enim non bibebat vinum.

Anno 1718. Securitas Transylvaniae et totius christianitatis redditur, dum post gloriosas victorias

tae habuerim. Mortuus est filius meus Sigismundus, non in peste, nam a peste Deus domum meam conservaverat. Apparet ignis meteoricus mirabilis ad Claudiopolim. Hoc anno cubulus tritici vendebatur 7, subinde 8 florenis, cubulus vero siliginis emebatur 4, et aliquando 5 florenis, quin imo pro solo victu aliqui pro subditis sive jobbagyonibus obligabant. Annus tamen hic suo tempore fertilis secutus est.

Anno 1720. Mures, sorices plurima damna faciunt in segetibus et acervis. Generalis Commendans C. Stephanus Steinville moritur. Moritur filia mea Drusiana. Tandem cessat pestis, quae hic vel ibi per decennium duraverat in Transylvania. Moritur C. Stephanus Csáki supr. Comes Cottus Kolosiensis.

Anno 1721. C. Damianus Hugo Virmond fit Generalis Commendans Transylvaniae. Ob frigus et grandines luridissimum vinum provenit. Moritur C. Michael Mikes 6-a Januarii, Reg. Gubernii consiliarius, cui succedit Joannes B. Bornemisza de Kászon. Moritur Samuel Biró, aeque Gubernii consiliarius, cui succedit C. Stephanus Kornis. Moritur 5-a Septembris B. Georgius Mártonffi episcopus Transylvaniae et Reg. Gubernii consiliarius, cui succedit in omnibus B. Joannes Antalffi. C. David Petki fit supr. Comes Cottus Kolosiensis. Receptum Medgyesini antiquum templum Patrum Franciscanorum, et traditum est Patribus Franciscanis Reformatis. Item Bistricium intrarunt Patres Minoritae, et traditum est eis templum. Item Patres Piarum Scholarum.

Anno 1722. Serenissima Archi-Ducissa Maria

Theresia. filia augustissimi imperatoris Caroli VI. in haereditariam Principissam recepta est Cibinii. Ita augustissimae domus Austriacae foemineus sexus pro haereditariis Principibus acceptatus est. Generalis Commendans C. Virmond moritur. succedit C. Lotharius Josephus Kinigszeg. 2-a Aprilis et 14-a Maji frigus insolitum destruit fructus et vineas. 1-a Januarii post mediam noctem hora tertia occulte incendiarii incendunt domum meam in Galacz. vix nos in indusiis salvantes. ubi ad 12 millium florenorum damnum passus sum in clenodiis. argenteria, vestibus et rebus ex plumbo. Similiter C. Joannes Haller cum conjuge sua Susanna Apor sic se salvant. Horologia etiam pretiosa amisi. Servus unus C. Joannis Haller, dum rebus salvandis incumbit, fumo suffocatur, alter similiter meus, et mihi valde charus. Franciscus Sopronyi comburitur. et post tres dies exspirat. Post tres rursum hebdomadas similiter incendiarii post mediam noctem domum meam in Ohába accendunt, comburunt, et quae pro reparatione vestium Cibinio allatae erant, flamma comburit, ad 500 florenorum damnum ibi passus.

Anno 1723. Mortuus Michael Simon Gubernii consiliarius, cui succedit Georgius Bálintith. Assignatum est templum Patribus Franciscanis Reformatis Sesburgii; item P. Minoritae acceperunt possessionem templi SS. Petri et Pauli Claudiopoli in suburbio.

Anno 1724. 23-a Augusti inter septimam et octavam matutinam videtur mirabilis ignis meteoricus qui et draco volans dicitur, uno tempore in pluribus locis Transylvaniae. 4-a Septembris Claudiopoli in

STANFORD LIBRARIES

spiratus ignis magnam ruinam causat in domibus combustis. Filii mei Josephus et Joannes, absolutis studiis humanioribus Claudiopoli, pergunt ad philosophiam Tyrnaviam. Moritur Andreas Szilágyi supr. Judex Reg. sedis Aranyas. Accipiunt P. Franciscani Reformati possessionem templi Óvár Claudiopoli. Templum academicum Societatis Jesu Claudiopoli anno 1718 inchoatum, hoc anno finitum, in quod solennis ntroitus fuit 10-ma Septembris, praesente Excellmo Dno Comite a Kinigszeg et Statu catholico.

Anno 1725. Comes Kinigszeg mittitur a Sua Matte in Hispaniam pro extraordinario legato, succedit Generalis Conmmendans C. Carolus de Tige. C. Joannes Haller fit supr. Judex Reg. sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon. Moritur Sigismundus Korda, supr. Judex Reg. sedis Udvarhely.

Anno 1726. Ingentes calores in Transylvania causant charistiam frumenti et foeni, adeoque in certa parte Transylvaniae iterum magna fames, vel maxime in Cottu Szolnokiensi Interiori. Certis in locis incipit lues pecorum.

Redit filius meus Josephus Tyrnavia.

Anno 1727. Certa in parte Transylvaniae summa charistia frumenti, unde plurimi fame moriuntur. Lues pecorum certa in parte Transylvaniae continuat. Redit filius meus Joannes Tyrnavia, qui ibi primus magister philosophiae creatus erat. Moritur C. Marinus Josephus Keresztes de Sárpatak, Cottus de Küköllö Comes supr. C. Ladislaus Gyulaffi de Rákóth installatur supr. Judex Reg. sedis Udvarhely;

item Josephus C. Teleki fit Comes supr. Cottus Albensis, B. Ignatius Bornemisza creatur supr. Comes Cottus Thordensis, Josephus Daniel fit supr. Judex Reg. sedis Aranyas.

Anno 1728. In vere et aestate summus calor et summa siccitas, ita, ut in magna parte Transylvaniae fluvii et lacus exsiccantur, unde etiam penuria in frumento et foeno maxima.

Moritur 5-a Septembris dilecta mea filia Susanna, consors C. Joannis Haller in Réten, et sepelitur 31-a Octobris in Medgyes. Moritur Joannes Antalffi episcopus Transylvaniae. Venit decretum ob correctionem juris et remoratae justitiae. Fiunt comitia Cibinii. Delegantur personae, scilicet protonotarii: B. Andreas Szent-Kereszti, Gregorius Sándor. Item Andreas Szent-Kereszti fit Baro, diploma ejus publicatur, et se incipit scribere de Zágony. Item ad correctionem juris a Statibus Transylvaniae delegantur personae, etquidem ex parte Comitatuum: Joannes Toroczkai de Toroczkó-Szent-György, Daniel Vas de Czege, uterque Tabulae Reg. assessor, Josephus Boér de Kucsuláta. Procurator ex parte Comitatuum Michael Halmágyi, procurator fiscalis. Item ex parte nationis Siculicae: Nicolaus Keresztúri, supr. Judex Reg. sedis Marus, Stephanus Daniel de Vargyas, David Henter de Sepsi-Szent-Iványi; item procurator Michael Váró ex sede Aranyas. Ex natione saxonica: Jacobus Szász ab Hartenek, civis cibiniensis, Michael Brekner, judex Reg. sedis Újegyház, Stephanus Zeivert, notarius bistriciensis; item procurator nationis saxonicae Petrus Kisvárdai. Medio vero tempore deficiente Gregorio Sándor protonotario, in

locum ejus substituitur Stephanus Gidófalvi de Sepsi-Szent-Király.

Cibinii quondam templum Patrum Dominicanorum receptum est a lutheranis, et pro interim Patres e Soc. Jesu eodem utuntur ut templo parochiali. Moritur Simon Boér, arcis et districtus Terrae Fogaras supr. capitaneus, cum quo probabiliter et nomen capitanei requiescet. B. Andreas Szent-Kereszti junior fit Tab. Reg. Judiciariae assessor. Item C. Adamus Bethlen, nec non Blasius Literati-Szabó de Csik-Szent-Márton.

Anno 1729. Gregorius Sorger ex Canonico agriensi et suffraganeo succedit episcopus Transylvaniae. C. Franciscus Kornis de Göncz-Ruszka fit Comes supr. Cottus de Küköllő. Sigismundus Kun de Csapó installatur protonotarius regni. Praecedentia tam in Gubernio, quam Tabula Reg. ut inter supremos officiales nec non regalistas determinatur a caesare juxta senium officii, et quidem primo aequaliter inter comites et barones. Conscriptio ad onera publica supportanda patriae, jam bis tentata frustra, de novo demandatur a Sua Matte, et quidem ut per Generalatum, Cameraticam administrationem, supremi belli Commissarium a Vogel et delegatos Gubernii novae rubricae elaborentur, Suae Matti pro ratificatione repraesentandae. Samuel Köleséri de Keresér, [illegible] solam gratiam caesaream, ob praeclara merita [illegible] latur consiliarius Gubernii, et quamvis nati[illegible] nica per defectum Samuelis Conrád judicis [illegible] Mediensis hanc vacantiam praetendebat, [illegible] que occulte, quod sine candidatione sit [illegible] non tamen contradixit, et sic primo absque [illegible]

tione. clementiam caesaream adeptus. factus est consiliarius. Demandaturque a Sua Matte. ut ratio publicarum expensarum patriae exigatur.

25-a Junii jure impetebar a Fisco Reg. ob medietatem pagi Galacz. sed Fiscus fiscalem esse comprobare nequivit; pars media pagi Galacz. vulgo Apaffiana portio. quam hactenus possedi. die 30-a Junii pro fiscali adjudicata est, ubi tamen jam adhuc anno 1514 in perpetuum jus Regium fuit sublatum. Quali quidem judicio, capere non possum. videat conscientia judicantium, dum haec portio jure sanguinis. per veram genealogiam authenticam remonstrabilem. me concernebat.

Moneta polonica devalvatur. poltura in duos et medium nummum. 4 polturarum, vulgo susták in 10 denarios; zlotones, vulgo valachici dicti, annihilantur. aurei cremnicenses in 5 florenos ungaricales. reliqui vero in 4 flor. et 92 nummos devalvantur. Aurei turcici absolute sublati sunt.

12-a Julii nemo ex Statibus permittebatur foras per portam Cibiniensem, unde inter Status magna confusio; 13-a tandem solvuntur Comitia. Excellmus Dnus C. Sigismundus Kornis Transylvaniae Gubernator, fit actualis intimus consiliarius Status Suae Mattis SSmae. Item Barones Stephanus Vesselényi, Georgius Haller, et Joannes, Josephus Bornemisza de Kászon declarantur decretales consiliarii Status ejusdem Suae Mattis.

Custodia Patrum Franciscanorum Reformatorum S. Stephani Regis in Transylvania erecta est in Provincialatum primum, primo Provinciale constituto Patre Alexio Csató, Custode Patre Paulo Györffi. Excellmus Dnus Franciscus Paulus Comes a Vallis

resolvitur in Commendantem Generalem Transylvaniae. In Háromszék incipit lues pecorum.

Annus hic fertilissimus erat excepta Sede Háromszék; praecipue Sede Sepsi vina in magna copia provenerunt, sed valde acria et acida. Hoc anno plurimae pluviae, grandines et tonitrua fuerunt, nec non multa fulmina cadebant, varii generis morbi grassati sunt, praecipue catharus cum tussi. Ego etiam a 20-ma Octobris eram in continua alteratione et infirmitate.

Moritur Josephus Daniel de Vargyas supr. Judex Reg. sedis Aranyas. Moritur B. Michael Száva, supr. Comes Cottus de Zaránd, cum quo et familia defecit.

Anno 1730. 2-a Januarii, moritur B. Georgius Haller, Suae Mattis Status et Gubernii consiliarius. Die 15-a Februarii ab oriente ad occidentem vergebat nubes tota rubra per bonam partem coeli in ea forma, prout de nocte incendium in aëre de longe visitur, hora 6-a vespertina. Item tres parelii solis apparuerunt eodem tempore.

Anno superiore resolutus episcopus Transylvaniae Gregorius Sorger die 11-a Februarii Claudiopolim advenit, die 26-a installatus Carolinae. Intrat simul anno eodem resolutus Generalis Commendans Franciscus Paulus Comes a Vallis in Martio. Pro 5-a Junii indicitur congregatio sive diaeta regni Claudiopolim, quo ob continuas pluvias et summam copiam luti, inter ingentes inundationes aquarum, cum summo periculo per octo dies vix pervenire potui. Catalogus regni primo 9-a Junii perlegitur. Post perlectionem subito publicatur Baronatus totius familiae Bánffianae in personis duorum Sigismundorum,

polonicus valebit denarios 5; turcicus grossus, uti et medius tollitur. Caesarea et polonica poltura denarios 3. Ragusianus Marianus tollitur. Cruciger caesareus manet in suo esse, reliqui tolluntur. Polonicus cruciger in denario 1 et ½ prout et grossi. Nummus valachicus similiter 2 nummorum valebit in nummo 1.

5-a Junii Comes Vallis caes. Commissarius proposita regia regno proponit.

Subito installatur Gregorius Sorger episcopus Transylvaniae in Gubernii consiliarium, publicatur ejus baronatus, prout resolvitur consiliarius Status. Eodem die baronatus Georgii Vitéz. Installatur David Henter in protonotarium, David Maxai in secretarium Gubernii. Ex partę catholicorum: C. Stephanus Kornis, C. David Petki, C. Joannes Haller, C. Sigmundus Csáki. Ex parte reformatorum vulgo calvinistarum: B. Ladislaus Kemény, C. Georgius Bánffi et C. Adamus Bethlen creantur Camerarii Suae Mattis. Gregorius Barcsai resolvitur supr. Comes Cottus de Zaránd, Josephus Boér de Kucsuláta dum accepit resolutionem in capitaneum supr. Terrae Fogaras, ante installationem vita ejus resolvitur, praesente Dno Nicolao Torma supr. Comite Cottus Szolnok Interioris. Ex relatione ejusdem mihi facta, in pago ejusdem Cottus Ilosva dicto, ubi idem supr. Comes cum plurimis aliis, tam catholicae quam reformatae religionis, interfuisset, absoluto sacro missae sacrificio, uti templum valachicum ingressi fuissent, viderunt iconem Beatissimae Virginis Mariae et Jesuli in sudoribus esse; post exiguum tempus in magna quantitate inceperunt sudare tam Jesuli quam Beatissimae Matris imagines; ex Jesuli imagine exiguus humor

decidebat. in imagine pupillae Beatissimae Matris erant duae guttulae. sed in imaginibus copiosus humor et sudor; praeterea supra imaginis B. Virginis oculos erant duae magnae guttae. Superveniens archidiaconus catholicus Pater Laurentius Menesági, detersit ex ambabus imaginibus sudorem. Sequenti etiam die in eodem sudore erant imagines. Hoc miraculum incepit die 25-a Februarii, testes sunt catholici, calvinistae et valachi; sed haec imago observata est etiam miraculum edidisse ante irruptionem Tartarorum in Transylvaniam anno 1717.

B. Sigismundus Kemény fit Tabulae Reg. assessor.

Tandem conscriptione patriae posthabita, tres nationes inter se conveniunt ratione contributionis caesareae sic, ut posuerint fundamentum in numeris 100, quos sic repartiti sunt: Comitatentes assumserunt in se calculos 37, siculi 17, saxones 38 loca taxalia 8; et durabit haec conventio per annos 3. — Publicatur Baronatus Josephi Boér de Kövesd, et nomen ipsius Boér mutatur in Huszár.

De clementia et benignitate augustissimi imperatoris Caroli VI, regis Hungariae Caroli III, Principis Transylvaniae haereditarii I-mi accipio munus regium et principale, torquem aureum superans in pondere aureos 100; et quia tot benignitates augustissimae Domus, eadem regnante gloriose in Transylvania, domus Aporiana percepit: dignum, ut haeredes Aporiani in perpetuum fideles existant ad ultimam guttam sangvinis augustissimae Domui austriacae.

Similiter accipiunt ejusdem benignissimi imperatoris clementiam in nummismate adamantibus circumdato ejusdemque clementissimi imperatoris interme-

dia imagine: B. Andreas Szent-Kereszti senior, Gubernii consiliarius et regni protonotarius, Andreas Teics, nationis saxonicae comes et judex Reg. Cibiniensis, Samuel Fest, saxo et consiliarius Gubernii. Item accipiunt monile C. Josephus Teleki, comes supr. Cottus Albensis, Nicolaus Torma, comes supr. Cottus Szolnok Interioris, Sigismundus Kun de Csapó, regni protonotarius, et Georgius Verder, consul Cibiniensis.

Tandem post multorum annorum disceptationes consenserunt acatholici, ut confoederatio Transylvaniae cum Porta Ottomanica in legibus fundata expungatur, et pro illa sanctio pragmatica sanciatur pro haereditaria successione augustissimae Domus Austriacae.

Item ut omnes articuli, tam ex Approbatis, quam Compilatis constitutionibus, qui tempore principum acatholicorum quoquo modo contra religionem catholicam sanciti erant, et vel praecipue ut episcopus catholicus abesset, religiosi Soc. Jesu in perpetuum ex Transylvania excederent, quin imo fautores eorum in notam incurrerent, hi, inquam et reliqui, catholicam religionem ferientes legales articuli expungantur, et loco illorum e diametro contrarii sanciantur.

Moritur Andreas Teics, consiliarius Gubernii, nationis saxonicae comes, judex Reg. Cibiniensis, homo humilis, mansvetus et affabilis; dolendum, quod non solum sectae lutheranae fuerit, sed et haeresi pietistarum clam faverit.

Die 26-a Novembris a fulminis ictu novem domus sunt combustae in Márton-Telke.

Annus hic plane mirabilis erat, et a saeculis vix auditus. Ab initio enim veris usque ad finem fere

segetes, nec vinum habuimus, et quidem vinum tam in exigua quantitate, ut provectissimae aetatis homines etiam tam exigui vini non recordentur, et quamvis botri nec ad perfectam maturitatem pervenerint, tamen vel luridum mustum tempore vindemiarum floreno vendebatur. Praeterea pluvias habuimus in copia, tempestates plurimas, semper cum ictu fulminum gravia damna causantium, non solum in Transylvania, verum per totam fere Europam; grandines tamen ex misericordia Dei erant pauciores; nubifragia, aquarum exundationes non erant rarae; fuerunt etiam infirmitates variae, variolae, dissenteriae, rheumatismi et insvetae scorbuticae affectiones; accessit ad calamitates has publicas et lues pecorum variis in locis in summo.

Excellmus Dnus C. Sigimundus Kornis de Göncz-Ruszka, Regni Transylvaniae Gubernator, Sacrae Caes. Regiaeque Catholicae Mattis consiliarius actualis Status intimus, prout tota vita sua verus et devotus Marianus, ita in octava immaculatae conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, 15-a nempe Decembris, ad eandem clementissimam matrem et dominam pientissime in coelos (ut spe firma credo) discessit Claudiopoli. Conquisivit undique per Transylvaniam statuas antiquissimas, haereseos manibus commaculatas, ejusdem patronae Hungariae, quas splendori pristino restituit, et ad devotionem populi ad varia loca sacra collocavit; fuit tota vita humillimus, mansvetissimus, cuique honorem suum condignum reddens, nullum odio, rancore vel ira persequebatur, ad nullius bona adspirabat, et ut haec acquirere possit, nullum vexabat; injuriarum patientissimus, interessentiae nullius, liberalis, praeterea magnanimus cum svavitate,

justitiae amans. Praedico · sancte recordabitur adhuc Transylvania hujus humillimi, de religione catholica et de patria optime meriti viri.

Anno 1732. Fatalis desiit praeteritus annus in morte Gubernatoris Transylvaniae, fatalis incipit iste in morte Palatini Hungariae Nicolai Comitis Pálffi ab Erdöd 20-a Februarii defuncti.

Aurei rursum elevantur, et quidem cremnicenses in 5 florenos ung. et 4 denarios, reliqui in 4 florenos et 98 denarios.

Quamvis subjectum miraculum extra fines Transylvaniae nostrae acciderit, quia tamen etiam patria haec nostra a tempore divi protoregis Stephani semper suos habuit Marianophilos acerrimosque honoris Mariae etiam sub maxima rabie heterodoxorum propugnatores, habetque actu, habebitque, ut spero, ad consummationem saeculi, ideoque tam ad praesentiae, quam futurorum, posterorum nempe nostrorum, verorum magnae Matris nostrae clientum solatium, non ficte, neque ex incerto auditu, sed prout dictum miraculum Admod. R. P. Joannes Kazi e Soc. Jesu, SS. Theologiae doctor jubilatus et actualis Collegii Soc. Jesu Posoniensis rector, adeoque tempore editi miraculi in eadem urbe Posoniensi praesens, perscripsit Admod. R. P. Francisco Csernovics e Soc. Collegii Soc. Jesu Claudiopolitani actuali rectori, qui propriis manibus totam rei seriem mihi perscripsit, eadem et ego fide posteritati transcribo. Quod sic se habet.

In festo S. Georgii Posonii eligendus erat judex, etquidem lutheranus, pro more in ea civitate alternativo inter haereticos et catholicos recepto; com-

STANFORD LIBRARIES

missariis constitutis missa est Vienna informatio, in qua inter caetera puncta erat, ut si constituendus judex legalem formulam expresso nomine Beatae Mariae Virginis et Sanctorum pronunciare nollet, moneretur a commissariis, placituram rem facturum judicem, si pronunciaret B. Virginem et Sanctos; si nec sic moveretur, admoneatur secundo, minus placiturum caesari, si ad integram pronunciandam formulam se non resolverit; si post hoc etiam obstinatus esse pergeret, dissimuletur pro hoc actu. Eligitur judex Dnus Mikos; in jurando ad B. Virginem et Sanctos subticuerat; monetur primo et secundo juxta instructionem (praevie nimirum lutheranis communicatam), recusat, et id se propter dogma suum facere non posse profitetur. Absoluta reliqua juramenti formula constituitur judex. Post cerimonias peractas rediturus domum, rogatur ab amico, cur tam obstinatus fuisset ad admonitiones caesarei commissarii? reposuit: paratum fuisse, etiam praemissa confessione, communione et professione fidei catholicae, jurare expressis omnibus, si rem serio caesar demandasset. Sequenti die, dum praesidet senatui, adsunt duo e Reg. Consilio, et jubent scripto reddi rationem, cur legalem formulam integram non pronunciasset? Annuit ille, et ecce dum calamum in atramentum intingit, et ad scribendum se inclinat, apoplexia tangitur, eademque die sub vesperum hora sexta exspirat. Eligitur post illum Dnus Purgstall, pariter lutheranus, atque ideo sicut prior ad exprimendum nomen B. Virginis et Sanctorum obstinatus, nihil moratus iteratas admonitiones commissarii caesarei. At dum praetergreditur in exprimendo B. Virginem cum Sanctis, tantus tremor invasit elevatam tempore

juramenti manum dexteram, ut illam sinistra manu succollare debuerit, usque ad finem formulae juramenti. Horum duorum casui lutheranus senator, nomine Maternus, et prae turbatione in Dni Purgstall casu, fulmine apoplectico ictus, statim obiit; alter item electus tribunus plebis, qui pariter aderat, eodem fulmine prostratus apoplectico, domum alienis manibus relatus est, morti quam vitae producendae proximior. A morte primi judicis, scilicet Dni Mikos, statim caput ejus adeo monstrose intumuit, ut reliquum obesi alias corporis facile aequaverit, tanto emisso foetore, ut vix e numero acatholicorum reperti fuerint, qui funeri efferendo suffecerint.

Casus iste ingentem motum tum Viennae, tum Posonii fecit.

Discite Anti-Mariani, et videte, quia unigenitus Mariae filius vindex sit honoris Matris suae.

Mancipium Mariae, persecutorem Mariae, subitanea morte sublatum judicem Posoniensem hoc epitaphio comitatus est:

Qui Christi matrem vesano carpserat ore,
Vindicis hinc nati dextera justa necat,
Et qui mordaci contempsit voce Mariam,
Elinguis subito Ditis ad antra ruit.
Si sapit, hinc discat Lutheri falsa propago,
Quid Deus ac rex, lex, quidve Maria velint.

Excellmus Dnus Generalis Commendans Franciscus Paulus a Vallis decretaliter constituitur praeses Gubernii Reg. Miraberis forte posteritas, cur non ungarus aliquis? noli mirari, neque optimum principem nostrum haereditarium futuro tempore culpes, sed considera, de occasione dominii acquirendi reliquas inter causas quod hanc apponat Campanella Cap. 11. Aphorismo 2: „Item, divisio provinciae

occupandae in regulos plures et respublicas discordes, magis autem in sectas varias.“ Bone Deus! qualis modo discordia et quot sectae in nostra Transylvania! Haec, haec sententia praecipitavit, praecipitat et praecipitabit semper nos ungaros. Quia vero moesto corde, lacrymantibus oculis video hanc discordiam et tot sectas, quae sit modo discordia inter nostram rempublicam et magnates nostros, ne etiam posteritati patriam diligenti moerori ansam praebeam, consulto omitto.

Eidem Excellmo Dno Generali Comiti Francisco Paulo a Vallis 15-a Septembris a Reg. Gubernio, supremis trium nationum officialibus, nec non deputatis, item praesentibus Tabulae Reg. assessoribus et regalistis, tempore anticipationis Cibinii congregatis oblatus est indigenatus; etquidem ex parte Gubernii per B. Ladislaum Kemény et Georgium Bálintith, ex parte Comitatuum per C. Davidem Petki supr. comitem Cottus Colosiensis, ex parte siculica per B. Petrum Apor supr. judicem Reg. trium sedium siculicalium Sepsi, Kezdi et Orbai ut et Miklósvár, ex parte nationis saxonicae per Jacobum Sacz villicum cibiniensem, denique ex parte procerum per Adamum Radák, quem etiam acceptavit, offerendo se ad omne bonum patriae procurandum. Hoc est initium; credo, plures poteris notare expost, posteritas.

Marchio Visconti impetrat a Sua Matte dominium Devense et simul diploma indigenatus. Hic etiam primus alienigena possessor est in Transylvania; plures certo videbis, posteritas.

Rursum Generali Commendanti et praesidi Gubernii a Sua Matte confertur Dominium Küköllóvár iense, nimirum Comiti Francisco Paulo a Vallis.

Moritur Josephus Teleki Comes Sacri Rom. Imperii, supr. Comes Cottus Albensis Transylvaniae, comitatensibus parum gratus, alias vir summus, et quasi admirabilis oeconomus.

Ceres hoc anno exulabat, tam quoad autumnalia, quam vernalia, Bacchus medium dominium habebat sed bonum, tempestates, fulmina et grandines dominabantur; mures, a memoria hominum non auditi in tanta copia, exiguas etiam segetes depascebant. Lues pecorum continuat.

Moritur Samuel Köleséri de Keresér, gubernialis consiliarius, medicus excellentissimus, adeoque per fortunam promotus, cujus tanta erat in re medica aestimatio, ut qui malesanus ejus praescriptionibus uti poterat, benesanum jam etiam se putabat.

Anno 1733 10-ma Januarii quadrante tertio ad 10-mam matutinam erat terrae motus.

Diaeta regni celebratur Cibinii 26-a Februarii, ad quam primo regalibus vocatur filius meus Josephus Apor, quo ob viarum difficultatem 27-a pervenio. Sed 26-a statim legitur catalogus regni, eademque die publicatur resolutio caesarea, quod quondam tempore principum hungarorum quae partes Hungariae pertinebant ad Transylvaniam, ex iis certa pars Cottus de Zaránd, Cottus Szolnok Mediocris, Cottus Kraszna et Districtus Kőváriensis tam in juridicis, quam in politicis et quoad contributionem manebunt sub directione Transylvanica, altera vero pars Cottus de Zaránd, nec non Cottus Arad et Máramaros redibunt ad corpus regni Hungariae. 27-a vero Februarii publicatur Baronatus Sigismundi Korda, nec non Josephi et filiorum Georgii Naláczi. Resolvuntur of-

ficiales supremi: pro Districtu Terrae Fogaras Joannes Toroczkai de Toroczkó-Szent-György, pro supr. vero judice Reg. sedis Aranyas Alexius Orbán de Lengyelfalva. 2-a Martii publicatur Baronatus Joannis Klein, episcopi ritus graeci; dicto die publicatus fuit Baronatus Joannis Lázár de Gyalakuta. 27-a Sabesio concessas nundinas pro 29-a Januarii publicarunt. 2-a Martii publicarunt privilegium nundinarum C. Emerici Bethlen pro diebus 4-a et 31-a Martii in Alsó-Rákos. Item nundinae concessae sunt oppido Szász-Régen pro 23-a Octobris. Die 3-a Martii publicatur diploma indigenatus Excellmi Dni Comitis Generalis Commendantis Francisci Pauli a Vallis, nec non ad ejus instantiam apud Suam Mattem factam ejusdem fratris Georgii Oliveri, similiter nepotis ejusdem Francisci Venceslai a Vallis. Subito vero inclyti Status eidem congratulantur solenni legatione per B. Petrum Apor, qui vicissim et sangvine suo, si occasio sic tulerit, patriae huic serviturum se promisit. 5-a vero Martii in concursu omnium Statuum Comites Franciscus Paulus et nepos ejus Franciscus Venceslaus a Vallis, unius legionis pedestris ordinis supremus tribunus, consvetum et solenne juramentum deponunt, et Paulus Franciscus, tam nomine suo, quam fratris et nepotis, in scriptis per protonotarium Davidem Henter lectis gratias Statibus agit, quod in indigenam receptus sit. Cui e contra nomine Statuum laconica dictione congratulatur B. Georgius Sinay episcopus Transylvaniae. 9-a Martii publicatum diploma indigenatus Julii Borromaei Arconati Visconti, a quo Status taxam indigenatus praestandam bant. Item publicatum est privilegium civium sutorum Fogarasiensium. 10-a Martii comparuit

Status Commissarius Reg. Excellmus Dnus C. Paulus Franciscus a Vallis, qui nomine Suae Mattis proposita regia regno proposuit: 1) ut loco Gubernatoris defuncti C. Sigismundi Kornis libere per vota tres personae e religione catholica, et tres ab acatholica candidentur, sed ut candidatio tam occulte fiat, ut quivis per schedam candidet, non apposito nomine, eamque candidationem excipiant occultissime episcopus catholicus B. Georgius Sorger et tres regni protonotarii, hi tamen ad secretum observandum fide sint obstricti; 2) denominati sunt in locum defunctorum neoresoluti officiales, et C. Joannes Haller subito deposuit juramentum solenne pro consiliario Gubernii, similiter Simon Bauszner, qui etiam est resolutus Comes nationis saxonicae; publicatur etiam Franciscus Czikó de Csík-Mind-Szent pro Tabulae Reg. assessore; mandatur quoque, ut in locum promotorum et vacantiarum nova candidatio fiat. Episcopus ritus graeci B. Joannes Klein decretaliter cum voto in numerum Statuum recipitur. 12-a Martii fit votisatio pro candidatione officii vacantis Gubernatoris. 13-a Martii publicantur vota pro officio Gubernatoris inter Status. etquidem ex parte catholicorum electi sunt pro Gubernatore: C. Paulus Franciscus a Vallis, modernus Generalis Commendans, votis 92, C. Stephanus Kornis, votis 79, C. David Petki, votis 71. Ex parte vero calvinistarum: B. Stephanus Veselényi votis 141, Ladislaus Kemény votis 149, C. Georgius Bánffi 121. Publicatur privilegium cerdonum thordensium confirmatum, item nundinae in pagum Trisztia districtus Hátszegiensis pro 2-a Februarii et festo S. Jacobi 25-a Julii incidentis stylo veteri, ad instantiam Dni Directoris fiscalis Emerici Csulai. Die 26-a Martii

fit votisatio pro supplemento vacantiae consiliarii Gubernialis. Publicatur Baronatus defuncti Ladislai Korda pro filio ejus Georgio. Joannis Steinhilbert indigenatus, prout fuit suspensus ob non depositionem taxae, per decretum caesareum taxa est relaxata, et in indigenam receptus est. Proponit Fiscus Reg., ut ubicumque sales caesareos portantes currus a teloniis sint exempti, secus qui telonium exigeret, sale nobilitari carebit. 17-a Martii ad vacans officium consiliariatus gubernialis in locum Samuelis Kölesséri electi sunt ex catholicis: C. David Petki, votis 65, B. Petrus Apor, votis 35, C. Ladislaus Gyulaffi, votis 29; ex reformatis vulgo calvinistis: C. Alexander Teleki, votis 61, C. Adamus Bethlen, votis 51, C. Georgius Bánffi, votis 41; ex natione saxonica Dnus Michael Zekelius, consul cibiniensis, Dnus Stephanus Flistich, pro-judex coronensis, Dnus Joannes Kinder, primarius consul cibiniensis, votis totius almae nationis saxonicae. Joannes Georgius Steinhilbert incorporatus, more et stylo solito juramentum deposuit. Ad instantiam Dnorum Sigismundi Edelpacher, Antonii item Pauer a Drauth, ut et Antonii Peschini, Nicolai Frankovich et Michaelis Drentich, ratione publicationis indigenatus eorum factam, in eo consensere Status, ut considerata Suae Mattis ipsis, intuitu privatorum suorum meritorum, indulta indigenatus collatione, indisputabiliter recipiantur quidem pro indigenis, suo modo et tempore interim sollicitetur Suae Mattis SSmae super resolutione taxae indigenatus benigna determinatio, qua obtenta, expost indigenatus ipsorum publicetur, ac tandem deposito juramento, et determinanda a Sua Matte SSma taxa exoluta, inaugurentur. 18-a Martii Antonii Pauer a

Drauth indigenatus taxa in gratiam Excellmi Dni Generalis Commendantis C. Pauli a Vallis relaxatur, et privilegium ejus publicatur. Publicantur item nundinae ad instantiam Dni C. Michaelis Teleki in Districtu Kőváriensi in pagum Hagymás-Lápos pro 31-a Martii. 19-a Martii moritur B. Sigismundus Jósika Cottus Hunyadiensis supr. Comes, a pueritia meus addictissimus et sincerissimus amicus. 21-a Martii moritur Joannes Drauth, villicus coronensis, sub diaeta, ex primaria familia incolarum ejusdem urbis, qui primus reversus est ad fidem salvificam romanam; uterque vero sepultus est in templo Societatis Jesu hic Cibinii. 23-a Martii Franciscus Czikó deponit juramentum pro assessoratu Tabulae Judiciariae Reg. Hic Franciscus Czikó ex infimo statu assumtus est, nam et armales nobilitares solus impetravit, sed quia duxerat in uxorem sororem Cancellarii B. Joannis Bornemisza de Kászon a patre germanam, per ejusdem intercessionem impetravit hanc clementiam caesaream; hinc inter Status varii discursus et magnus disgustus contra praedictum Cancellarium, quod summis familiis praeposuerit [1]). Alias Dnus Czikó est bonae eruditionis. Publicatur item decretum caesareum, ut B. Joannes Klein pro episcopo ritus graeci ab omnibus agnoscatur sub titulo Fogarasiensis, et debita assistentia ipsi detur pro munere suo effectuando. 26-a Martii nomine sui mandatarii Excellmi Dni superius nominati C. a Visconti Joannes Kok deposuit solenne juramentum indigenatus. Similiter eadem die relaxata fuit taxa indigenatus Andreae Heisz, germani, sed jurati assessoris sedis Udvarhely. 27-a Martii An-

[1]) Némely példányban: Nulla tam modesta est felicitas, quae malignantis invidiae dentes vitare possit, commune axioma.

dreas Heisz juramentum indigenatus deposuit. Solvitur diaeta, et hoc ipso die Cibinio exeo.

5-a May cum Dno C. Joanne Haller installavi Dnum Joannem Toroczkai in capitaneum supr. arcis et Districtus Fogarasiensis, in porta interiori arcis Fogaras, anno aetatis suae 58, qui ob varias animi corporisque dotes et plurima servitia patriae huic facta, pridem officio supremo et etiam majori dignus erat, sed quia fortuna ei non favit, non virtus, sed fortuna novercabatur. Idem Dnus Joannes Toroczkai ab infantia quasi erat meus singularissimus et addictissimus amicus et condiscipulus quondam in syntaxi Claudiopoli anno 1690, et in studiis concertator acerrimus, cum quo convixi quatuor annis in convictu Claudiopoli, et ab eo tempore semper eramus amicissimi.

Moniales Sanctae Ursulae in Transylvaniam intrant, et se locant ad templum quondam Patrum Dominicanorum Cibinii. Nomina autem monialium quae intrarunt sunt haec : Comitissa Mater Josepha Kéri abbatissa, Comitissa Mater Maria Christina Zichi, Comitissa Mater Petronella Barkóczi, perillustris Mater Francisca Randis, Baronissa Rosalia Morocz, Baronissa Mater Josepha Péterffi, nobilis Mater Theresia; item honesta puella Segefrida Maria Elisabetha, quae 8-a Septembris habitum induit.

Rndiss. Dnus Joannes Theodorus Ponczin, protonotarius apostolicus, capellanus Excellmi Dni Generalis Commendantis Transylvaniae Comitis Francisci Pauli a Vallis, fit canonicus Albae-Carolinensis. Et in hoc primo intrant germani ad Capitulum.

Eodem hoc anno moritur monialis prima Mater Baronissa Josepha Péterffi.

Anno hoc et Bacchus et Ceres in coronis compa ruissent, si pruina in Majo vineas non vastasset — hinc exiguus vini proventus — item grando 17 pagorum territoria sedis Sepsi non conquastasset.

Anno 1734. Circa horam 11-mam ante mediam noctem die 25-a Januarii apparuit quidam ignis a septemtrione emergens in coelo instar fulguris, ast multo clarior et lucidior fulgure, ad cujus claritatem et pecunia dignosci poterat; vergebat versus austrum in linea gracili, pergebat non ut fulgur; erat tempus nubilum.

Observa posteritas: me duos tropicos paschales, hoc est duos extremos terminos paschales attigisse; nam anno 1693, ut superius videre est, dum Claudiopoli in secundo anno rhetoricae fuissem, pascha incidebat in diem 22-am Martii, quo citius incidere non potest; hoc vero anno incidit in diem 25-am Aprilis, ultra quem incidere non potest; attigi praeterea etiam omnes intermedios paschales dies praeter 24-am Martii et 23-am Aprilis. Sed ut ex epactis observo, nec potest dari uni aetati hominis, ut omnes omnino dies, tam extremos quam intermedios, paschales ad unicum supervivat. Dies vero haec paschalis 25-a Aprilis vehementi et frigidissimo vento occidentali, subinde pura, subinde nivibus intermixta pluvia, subinde puris nivibus per totam diem infestabatur.

Die 28-a Aprilis moritur Excellmus ac Illrimus Dnus L. B. Stephanus Veselényi de Hadad, Sacrae Caes. Reg.que catholicae Mattis Status et Exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius intimus, bis a Statibus Transylvaniae in Gubernatorem electus, vir alias mitis genii et mansvetus, sed Calvinismi fortis pro-

pugnator, qui fuit simul Cottus Szolnok Mediocris supr. Comes et Statuum praesidens.

Moritur Samuel Fest, saxo, senator cibiniensis et Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius, qui primus ex senatoribus cibiniensibus agnovit errores pestiferos Lutheri, et transivit ad fidem salvificam romano-catholicam.

Moritur B. Ladislaus Kemény, principis quondam Transylvaniae regnantis Joannis Kemény ultimus nepos, Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius, vir humillimus, affabilissimus et omnibus patriae filiis acceptissimus, qui nunquam aliquod officium sollicitavit, etiam consiliarius Gubernii factus est absque ulla sollicitatione, solum ex innata clementia augustissimi imperatoris Caroli VI; qui vir ex merito multa merebatur officia, nam etiam anno 1733 a Statibus Transylvaniae erat candidatus pro officio Gubernatoris votis 149.

In superiori Austria domini terrestres subditos suos lutheranos, eo, quod ab haeresi converti noluerunt ad fidem salvificam catholicam, expulerunt, quos tamen Sua Caes. Reg. Mattas tanquam haereditarios suos subditos noluit ut ad alterius regis vel principis terras migrarent, sed disposuit eos in Transylvaniam; qui quia nolebant ad hanc patriam [illegible] vincti, multi in compedibus ex illis ducti [illegible] naves, et Danubio mediante deportati, ex[illegible] runt in Transylvaniam familiae numero 47 [illegible] 263, quos saxones transylvanici, tanquam [illegible] Lutheri athletas, sed vel praecipue cibi[illegible] tripudio exceperunt, varia esculenta [illegible] ipsis obviam portantes, exceperunt [illegible] rana praevia, in qua praedicans ipsos [illegible]

legitur decretum caesareum, ut in locum vacantiae gubernialium personarum, nempe B. Stephani Venelényi simul et praesidentis, B. Ladislai Kemény, et in modo in Gubernatorem confirmati C. Joannis Haller nova fiat candidatio. Oritur quaestio inter Status, num non existente et mortuo praeside, juridica diaetalia possint tractari, et deciditur per Status: minime, nulla enim substitutio praesidis valet, nisi idem in vivis sit et actu in diaeta praesens sit.

Die 5-a Decembris novus Gubernator lauto excipit convivio Generalem Commendantem, multos officiales germanos, item magnatum hungarorum primam planam; in altero vero hypocausto simili fere convivio excipiuntur Comitatuum, Sedium et locorum taxalium ablegati; sequentibus autem diebus reliqui magnates et regalistae convivantur apud dictum Dnum Gubernatorem.

Die 7-a et 9-a etiam Decembris fit electio et votisatio pro Praeside Regni et tribus deficientibus Gubernii consiliariis.

David Maxai secretarius gubernialis mediante diplomate mutavit nomen Maxai in Máriaffi de Maza.

Die 14-a Decembris publicantur privilegio-translationales Imperatorio-Regiae Mattis Monialium cibiniensium. Has Dnus consul cibiniensis Michael Zeidner in paribus expetebat, sed a Statibus est denegatum. Eadem die publicatus absque ulla contradictione indigenatus Dni C. Nicolai Rosseti, nati [illegible] quondam principis Valachiae Constantini [illegible] generi, solenneque juramentum deposuit. Die 16-a Decembris publicantur per vota electae [illegible] pro Praesidente, ex parte catholicorum: Dnus [illegible] cellarius B. Joannes Bornemisza, modo Viennae [illegible]

st. Nam anno 1733 mortuo augusto rege Poloniae, nox Polonia in dupplicem factionem descendit; pars ina elegit in regem Stanislaum (jam antea etiam lectum contra legitimum regem Augustum, qui tanen legitimo regi tandem debuit cedere, et vitam in xilio ducere hactenus), Stanislai hujus filiam duxerat Ludovicus XV rex Galliae, adeoque socer regis erat. Pars altera elegit in regem Fridericum Augustum Electorem Saxoniae, filium defuncti regis Poloniae Augusti, qui duxerat in uxorem filiam majorem piae eminiscentiae augustissimi imperatoris Josephi I, Mariam Josepham, adeoque augustissimo imperatori Carolo VI affinem. Verum audita electione Stanislai, utocratrix Moschoviae subito contra ipsum formiabilem in Poloniam expedit exercitum. Hinc inter egum asseclas et hodie non exigua sanguinis chritiani effusio, ita, ut respublica etiam Dantiscana rmis moschoviticis adacta fuit deditionem facere regi Augusto, quae hactenus mordicus adhaeserat regi Stanislao. Hinc quamvis augustissimus noster Carous VI nullam hostilitatem contra electionem Stanilai ostenderit, et tres ante annos ad 45 millia milium a signis suis dimitti jussisset, tamen rex Galliae Ludovicus XV, cum alliantia regum Hispaniae et Sardiniae, adhuc anno 1733 Jussubiam invadit, Kelense fortalitium et Ducatum Mediolanensem cum liis praesidiis occupat. Caesareus hoc anno [illegible] Parmam fortissimum Gallorum vallum [illegible] reditur, ubi post octo horarum atrocissimum [illegible] ium caesarei recedunt, in ipso assultu [illegible] umbente caesareo polemarcho Comite de [illegible] ies vero Kinigszeg caesareus polemarchus [illegible] eddidit Gallo. Praeterea in Imperio [illegible]

totus siccus, nisi circa festum Omnium SS. pluvius, finis vero Novembris prout et Decembris frigidissimus et siccissimus. In sede saxonica Rupensi (vulgo Kőhalom), pago Halmágy tam gravis infirmitas calida fuit, ut aeger semper debuerit sedere in aqua frigidissima aut plane glaciali, nec quidquam quiescere potuit, nisi in indusio madido et frigidissimo. Ultimi tamen dies Decembris calidi, hinc nocte quae 30-am Decembris antecedit, erat fulgur et tonitru.

Anno 1735. Nicolaus Márton, dudum natus in Al-Torja, qui quondam me a primo A instruere caepit, prius quidem per duos annos ludimagister in Sz. Kátolna, quinquaginta vero septem continuis annis ludimagister in dicta Al-Torja, moritur 14-a Februarii, homo piissimus et zelosissimus. Observa posteritas, an tuo tempore tot annos complebit in una parochia unus ludimagister.

Praeclarae personae obiverunt: C. Sigismundus Csáki de Keresztszeg, Sacrae Caes. Regque Catholicae Mattis camerarius, ad magnam spem patriae natus, si fata tulissent, mortuus enim anno aetatis 44; item Daniel Vas de Czege, Tabulae Reg. assessor, in bona senectute.

In initio veris magnus metus in Transylvania, nam ad Gyulam quidam rascianus Pero nomine, quondam capitaneus Rákóczianus, vir alioquin militaris et circiter octogenarius, concitavit primo pagum S. Andreae, expost alios duos ad rebellionem, qui insurgentes 1700 erant congregati, et nisi in herba fuissent suffocati, metuendum erat, ne malum ultra serperet. Verum congregati aliquot Comitatus et militia Aradiensis in tempore eos dissiparunt, primoque

Aradiensis militia hos nebulones 9-a Maji aggressa, partim interfecerunt, partim captivarunt. Primores ducti Viennam, inferiores armis spoliati, ad stivam remissi. Et sic nos Deus a metu liberavit.

Moritur tempore anticipationis Cibinii C. Georgius Bánffi de Losoncz, morte repentina, an suffocatione, an apoplexia, ignotum; sumpta caena, dum vesperi se posuisset ad lectum, circa crepusculum magnos habebat raucos, quibus cessantibus, dum famulus cum notario accurrisset, jam vix spirantem invenit. Fuit homo mitis et placidus, in suam religionem Helveticae confessionis mire beneficus, caesareus camerarius, incl. Cottus Dobocensis supr. Comes, C. Georgii Bánffi, quondam Gubernatoris Transylvaniae, et Clarae Bethlen, C. Gregorii Bethlen Transylvaniae Generalis filiae, filius; qui 26-a Septembris cum solenni pompa eductus est Cibinio, praesentibus proceribus Transylvaniae et plurimis officialibus caesareis militaribus.

Una canissa sagax (vulgo vizsla) Diana nuncupata, circa finem Augusti in domo mea nobilitari in pago Kis-Nyujtód quinque catulos praecise per os suum edidit, contra naturam.

Die 9-a Novembris C. Adamus de Bethlen installatur in supr. Comitem Cottus Albensis in Mártonfalva.

Die 28-a Novembris C. Antonius Kornis installatur supr. comes Cottus Hunyadiensis. Die eodem 28-a Novemb. resoluti guberniales personae, utpote: B. Sigismundus Bánffi junior, B. Josephus Naláczi, Stephanus Flistik judex coronensis, nec non Dnus Herbest coronensis, in guberniales personas installantur. C. vero David Petki, qui primus inter hos est, ob infirmitatem absens, proxime installabitur

Die . . . Novembris quoddam meteorum igneum globi instar ab austro in sede Háromszék vergebat ad boream cum summo fulgure, ubique tonitrua et fulgura post se relinquens, et dum clima superaret, apparebat ac si presbyteri sacris induti funeralibus vestibus procederent.

In anno hoc continuae pluviae per totam Transylvaniam tam in vineis, quam in segetibus non exigua damna causarunt, praecipue ingentes pruinae et gelu certis in locis ante vindemiam vineas vastarunt, cum exiguo proventu vini; certis tamen in locis plurimum de vino et dulcissimum fuit; ex tritici gelima vix metreta provenit; vernalia fere nulla fuerunt.

Anno 1736. Die 31-a Januarii moritur B. Andreas Szent-Kereszti senior Cibinii, qui ut lutheranus ex oppido Hungariae Szent-Kereszt in Transylvaniam veniens, prius orgonistam egit apud Patres Claudiopolitanos, expost factus calvinista, minora officia obibat in urbe Claudiopolitana, factus denique Tabulae Reg. procurator, ob eruditionem anno 1695 a calvinistis missus Viennam pro referendario secretario, ibi usque ad annum 1713 dexterrime se gerens, plurima bona, tam pecunia a Camera, quam ex gratia Suae Mattis acquisivit, denique ex innata benignitate augustissimi imperatoris Caroli VI factus Baro, regni protonotarius et consiliarius Gubernii. Vir bonus, jurista et expeditor excellentissimus; hic bona etiam in Zágony, in sede Orbai, procuravit. Nota posteritas, quod per mortem hujus Baronis Szent-Kereszti supervixerim omnes consiliarios, qui fuerunt sub regnante principe Michaele Apaffi, item qui erant

sub duobus Gubernatoribus, Comitibus scilicet Georgio Bánffi et Sigismundo Kornis.

Occasione nuptiarum serenissimae archiducissae primogenitae Theresiae augustissimi imperatoris Caroli VI cum serenissimo duce Lotharingiae Excellmus Dnus Gubernator Transylvaniae C. Joannes Haller creatus est consiliarius Status intimus actualis Suae Mattis; similiter consiliarii Status cum titulo Excellentiae creati sunt C. Stephanus Kornis et C. Adamus de Bethlen.

Eadem occasione C. Ladislaus Gyulaffi, C. Stephanus Gyulai, B. Franciscus Haller et B. Franciscus Vesselényi creati sunt camerarii Suae Mattis actuales.

In hyeme et vere varia mirabilia, et plura meteora ignea apparuerunt in coelis; crux candida apparuit in coelis ad Deés.

Sigismundus Csató de Delne mittitur Viennam pro consiliario Cancellariae Aulico-Transylvanicae.

Indicitur diaeta pro 11-a Maji Cibinium. 12-a legitur catalogus. 14-a Commissarius Reg. propositiones proponit. 23-a Maji tentarunt per deputatos tres nationes, si ratione contributionis convenire potuissent, sed non potuerunt. 24-a Maji cum placuerit Suae Matti Continuam Tabulam Judiciariam erigere, distinctumque praesidem Statuum et Tabulae constituere, sic pro praeside Tabulae installatus est Dnus B. Georgius Pongrácz. Eodem die pro Tabulae Reg. assessoribus juramentum deposuerunt: DD. BB. Franciscus Haller et Joannes Lázár de Gyalakuta. 28-a Maji erat summa disceptatio inter Status prout et in Gubernio, an pro officio pro-cancellarii Viennam debeat ne votisatio fieri per schedulas, aut

per voces expressas; et per majora vota in Gubernio decisum est, per voces. 29-a fit votisatio pro pro-cancellario Viennam mittendo in locum B. Joannis Bornemisza, in praesidem Status evecti, item pro consiliario Gubernii et distinctim pro protonotario in locum defuncti B. Andreae Szent-Kereszti. Hesterna disceptatio ratione votisationis sic est decisa, ut qui per voces voluerit, per voces, qui per schedas, per schedas votiset. 30-a continuatur votisatio. 1-a Junii publicatur votisatio, etquidem pro pro-cancellario electi sunt: Georgius Bálintith, votis 68, C. Ladislaus Gyulaffi, votis 82, B. Ignatius Bornemisza, votis 125, B. Petrus Apor votis 59, B. Georgius Pongrácz votis 45. Pro consiliario, ex parte catholicorum: B. Petrus Apor, votis 37, B. Joannes Toroczkai, votis 30, C. Franciscus Lázár, votis 17; ex parte reformatorum sive calvinistarum: C. Adamus Bethlen, votis 128, C. Alexander Teleki, votis 70, Stephanus Daniel, votis 62. Pro protonotario, ex parte catholicorum: Alexius Henter, votis 31, David Máriaffi, votis 31, Andreas Boér, votis 28; ex parte reformatorum sive calvinistarum: Gabriel Alvinczi, votis 120, Josephus Inczédi, votis 100, Joannes Cserei senior, votis 65. Ut instructionem componerent, qua methodo procedat Continua Tabula, hae personae sunt electae, etquidem primo ipse Dnus B. Georgius Pongrácz, ex parte Tabulae Reg. duo protonotarii, Sigismundus Kún et David Henter, duo assessores Tabulae, B. Andreas Szent-Kereszti et Franciscus Czikó; ex parte Comitatuum: C. Michael Teleki, B. Volfgangus Bánffi, B. Josephus Huszár, Joannes Béldi, Petrus Köblös; ex parte nationis siculicae B. Josephus Apor, Stephanus Daniel, Joannes Cserei

senior, Stephanus Berzenczei, Joannes Gálffalvi, Michael Halmágyi, Franciscus Hunyadi; ex parte nationis saxonicae Andreas Hán, consul medgyesiensis et notarius szász-sebesiensis.

Item 28-a Maji a memoria hominum inaudita tempestas fuit in Toroczkó et Toroczkó-Szent-György, tonitrua, crebri fulminum ictus, fulgura, imber ineffabilis, ita, ut in angusta via, quae ducit Enyedinum, integra rupes ceciderit, quae fluxum rivi interturbavit, viam imperviam effecit, ita, ut nec equiti amplius via sit pervia. Tanta praeterea erat inundatio rivi, ut integros oneratos currus cum hominibus rapuerit, per partem pontis lapidei enyediensis transire nequiverit, quin ipsum pontem destruxisset, si vehementia aquae aliquid adhuc durasset; dicunt vix a provincia reparabilem viam a rupe.

11-a Junii Dnus Joannes Nagy de Csatár promulgatus est administrator bonorum Apaffio-fiscalium cum titulo consiliarii. 15-a Junii offertur nuptiale subsidium serenissimo duci Lotharingiae Francisco Stephano, et serenissimae conjugi ejusdem Mariae Theresiae, in 50 millibus florenorum hungaricalium constans, etquidem ut septem millia ducatorum Status inter se repartiantur, tria vero millia ducatorum ex restantiis solvantur, verum mox ex communi est solutum. 18-a Junii, ut ad indulgentias possim ire ad festum S. Joannis Baptistae in Dobó, exeo Cibinio ex favore Reg. Commissarii; et posteaquam Tabula Judiciaria inchoasset in quinque causis processum Jud. Tabulae, die 26-a Junii solvitur diaeta.

Qui rebellionis motus ad Gyulam ante annum excitatus metum incusserat etiam Transylvaniae, hoc anno ejus motores pri[illegible]orte mulctati sunt Budae,

nempe Petrus Szegedinecz vulgo Pero dictus, alias nationalis militiae in Pécska capitaneus, Joannes Sebestyén, Andreas Pásztor, Stephanus Szilasi, primo quidem a partibus superioribus rota fracti sunt, cadavera eorum quadrifariam secta, patibulis circa Aradinum et Magno-Váradinum, item Sarkad et Szent-András rotis superposita sunt; aliqui capita amittentes, similiter in quatuor partes divisi, rotis sunt eorum corpora imposita, aliqui solum capite plectebantur; tamen justitiam superante misericordia, plurimi gratia etiam donati sunt a Sua Matte et libere dimissi, aliqui tamen militiam pedestrem hungaricam sequi coacti sunt.

Die 31-a Julii resolvuntur officiales Viennae: C. Alexander Teleki pro guberniali persona, C. Franciscus Lázár de Szárhegy, pro supr. judice Reg. sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon, B. Samuel Kemény, pro supr. comite Cottus Dobocensis, David Máriaffi de Maxa, qui hactenus fuit Gubernii secretarius, pro supr. comite Cottus Kolosiensis, Gabriel Alvinczi pro secretario guberniali, Josephus Inczédi pro protonotario, C. Samuel Bethlen et Emericus Csulai pro assessoribus Tabulae Reg., Petrus Dobra pro fiscali directore. Resolutio vacantiae Cancellarii suspensa est ob plurimas contradictiones et protestationes. Item ex parte DD. saxonum facti sunt consiliarii titulares: DD. Michael Zekelius, consul cibiniensis, Joannes Kinder, senator cibiniensis et D. Klein, resolvuntur titulares simplices consiliarii.

Pro hujus anni hibernio 6 regimina equestria et 6 pedestria intraverunt ad quartiria in Transylvaniam.

Anno hoc et Ceres et Bacchus in luctu compa-

ruerunt, nam nec vernales, nec autumnales segetes, prout et vinum plane in minima quantitate habuimus, et vinum quidem et illud exiguum, nullius plane erat valoris, copiosae tamen erant tempestates et grandines.

Die 31-a Decembris mortuus est Viennae C. Arivabene, consiliarius Camerae aulicae, supr. administrator rerum cameralium in Transylvania, vita longiori dignissimus; nam praeterquam fuerit conscientiae inculpatae, procurabat ita bonum hujus patriae, ut si natus transylvanus fuisset, studiosius bonum patriae non potuisset procurare.

Anno 1737. In Januario moritur Nicolaus Torma supr. Comes Cottus Szolnok Interioris, homo bonus, catholicus devotus, bonae conscientiae sed scrupulosae, in victu et praecipue in vino delicatus, omnibus acceptus, et dum modice ad hilaritatem bibit, plane gratiosus et jocosus. Hic est ille, qui etiam ab augustissimo imperatore Carolo VI torque aureo est donatus.

Die 22-a Januarii tam vehemens ventus erat ab occidente hyemali, cujus parem moderna aetas non sensit, durabat quasi tribus diebus, hinc plurima aedificia conquassavit, etiam domus meae Tövisiensis totum tectum cum camino dejecit. Praeterea tota hyeme lupi plurimi de sylvis descendebant, quos in tanto numero grassatos fuisse, nullus est qui recordetur.

Die 1-a Februarii plane mirabile coeleste meteorum apparuit horis 6, 7, 8, 9 et circa auroram; apparebat enim coelum ad ortum fere aequinoctialem tam rubrum et tam ignem, quale tempore magni in-

cendii apparere solet, quin imo apparebat ac si flammas evomeret et scintillas, quod solus aspexi. Apparuit exiguus cometa ad occidentem quasi sub Venere, quem ego primo 17-a Februarii observavi.

7-a et 8-a Aprilis genuum tenus cecidit nix, durabatque ad 12-am ejusdem; iterum 13-a Aprilis nives usque ad crura hominis ceciderunt, et durarunt tota die; 14-a rursum. 24-a et 25-a Aprilis nives erant crurum tenus, quin imo totus Aprilis et Majus usque ad 14-am diem ita erant pluviosi, ut primo de potiori 15-a Maji poterant inchoare seminaturam vernalem.

Pro hoc anno erga solutionem cameraticam praeter ordinarium quantum impositi sunt Transylvaniae currus foeni viginti octo millia sexcenti et quatuor id est currus 28604, qui sic sunt repartiti: ad Bereczk currus foeni duo millia octingenti viginti quatuor id est 2824, ad Bodza quatuor millia trecenti quadraginta sex idest 3046, ad Rubram Turrim termille id est 3000, ad Bistricium quater mille trecenti septuaginta sex id est 4376, ad Deés quater mille trecenti septuaginta sex id est 4376, ad Maros-Vásárhely sex mille quingenti octuaginta octo id est 6588. Hoc foenum portarunt in vere, in via lutosissima, nihil tamen hactenus solutum.

Die 12-a Maji C. Ladislaus Gyulaffi et B. Josephus Apor installaverunt C. Franciscum Lázár in supr. judicem Reg. sedium Csík, Gyergyó et Kászon in mea domo in Csík-Somlyó; et ego eram praesens.

Nota bene posteritas: hoc anno nullae arbores, quin imo nec ipsae salices ad 1-um Maji vel minimas emiserunt frondes.

Militia caesarea hoc anno sic se disposuit ad

castra: in Csík regimen Kohárianum equitum et 4 compagniae pedestres Venceslai Vallis; ad Bereczk 5 compagniae pedestres ex regimine Fürstenbussiano; ad Tüzed penes Hatolyka 6 compagniae equestres ex regimine Posztaczkiano; ad Bozza 5 compagniae ex regimine Hottoviano, et integrum regimen Pestvármegyeianum equestre; ad Törcsvár integrum regimen Gilányianum equitum et 5 compagniae pedestres ex regimine Müfflingiano. Hos omnes commendat Generalis Campi Mareschalli Locumtenens Marchio Guadányi. Item ad Bistricium positae sunt 3 compagniae equestres ex regimine Posztaczkiano, quos commendat ejusdem regiminis colonellus C. Oliveri. Militia vero haec circa 12-am Julii penetravit in Valachiam et Moldaviam.

Indicitur Congregatio regni pro 2-a Septembris, in qua de Continua Tabula, de conscriptione patriae, de exactoratu, de quanto militari actum, et quia praeter quantum ordinarium 500000 florenorum, et suspensos anno elapso 57000 florenos, nomine subsidii petiti sunt floreni Rh. 200000, et ut hi a Sua Matte deprecentur per stafetam, concluserunt regnicolae. Item C. Samuel Bethlen fit Tabulae Reg. assessor, Josephus vero Inczédi deponit juramentum pro protonotariatu. Die vero 20-a Septembris C. Alexander Teleki installatur in consiliarium Gubernii. Die 18-a Septembris nostri milites infortunium passi sunt a turcis et moldavis in Moldavia ad pagum Komanest, desideratis circiter 60 militibus, et honestissimo praeclaroque viro Comite Orseti, vice-colonello regiminis Comitis a Posztaczki.

Die 28-a Octobris moritur C. Franciscus Paulus a Vallis, Transylvaniae Generalis Commendans, vir

transylvanis utcumque gratus. Succedit interimaliter Generalis Commendans Serenissimus princeps Christianus Lobkovicz, bohaemus.

Pestis incepit in districtu Coronensi pagis Zernyest et Tohány, quae pululavit ad aliquot pagos, prout et in Terram Fogaras; suspicio etiam orta in Málnás et Papolcz.

Nostri infortunium acceperunt in Valachia Krajovae, desideratis circiter 400 peditibus et 300 equitibus, et etiam Ribnikio deserto, receperunt se in Valachia in pagum Perisan.

Item lues pecorum tanta fuit fere per Transylvaniam totam, cui ut similis aliquando fuisset, memoriam hominum excedit, vix etiam alicubi aliqua exigua cornuta pecora remanserunt.

Erucae omnes caules depastae sunt; 100 capita caulium 4 florenis emebamus.

Die 16-a Decembris ingens et a me nunquam observatum meteorum coeleste; prius ab occidente aestivo, expost a septemtrione totus aër erat tam ruber, ac si accensus fuisset, et a septemtrione vergebat ocidentem versus. Erat vero horis vespertinis 7, 8, 9 et 10-a.

Die 14-a Decembris vesperi sub horam 9-am vespertinam in sede Miklósvár pagoque Nagy-Ajta auditus est ingens prodigiosus ejulatus per Vae, vae (jaj, jaj) per omnes ejus pagi plateas, diligenterque examinatum, an ab aliquo homine provenisset, sed quod prodigium non ab homine profectum, inventum est.

Annus hic utcumque infaustus christianis erat; saepe multi timoris causa ob metum incursionis turcarum et tartarorum. Alias autumnalia in quibusdam

locis large provenerunt, mediocriter in quibusdam, vernalia fere ubique parce, vinum in tertialitate, sed bonum; annus utcumque mitis, siccus, calidus, et absque grandine et gravibus tempestatibus.

Anno 1738. 7-a Februarii ab accenso camino (ut refertur) arx Csík-Szereda conflagravit.

Quae diaeta indicta fuit anno superiori pro 2-a Septembris Cibinium, eadem in Octobri interrupta fuit, rursum 6-a Novembris resumpta, et iterum circa finem Decembris intermissa, resuscitata rursum 1-a Februarii et terminata ad 31-am Martii. Huic diaetae paris adhuc nulla memoria meminit, cujus quia et prologus, morte Generalis Comitis Francisci Pauli Vallis, fuit tristis, sed epilogus plane tristissimus: arestati sunt plurimi magnates, praenobiles, ecclesiastici, nobiles, omnes Helveticae confessionis, quorum syllabum, ut habere potui, sic habe: ipse Superintendens Helveticae confessionis, duo professores et duo academici, C. Samuel Bethlen, C. Samuel Teleki, B. Joannes Lázár de Gyalakuta, B. Ladislaus Kemény, Gregorius et Joannes Barcsai, Sigismundus Toroczkai, Franciscus et Ladislaus Rhédei, N. Szent-Páli, Daniel Vas de Gerend, Michael Tholdalagi, N. Bogáti, Michael Jenei.

26-a Martii hic Torjae erat terrae motus.

Die 11-a Maji nix et ingens noctis frigus vineas nec non flores fructuum et glandium quassavit, item 19-a Maji fuit quasi inaudita tempestas, grando aliquorum pagorum segetes autumnales vastavit, praecipue hic Torjae; ego majorem damni partem in segetibus passus sum.

Die 11-a Junii intra 11 et 12 matutinam ingens

terrae motus fuit, similis nunquam recordor, ita, ut nec in cubiculis subsistere audebamus, fugiebamus unus post alterum ex cubiculis, ingenti enim cum mugitu veniebat, homines in patulo cadebant, muri et fornices findebantur, campanae sonum dederunt, plurima aedificia, templa, castella ruinavit.

Die 19-a Junii in aëre venerunt vermes flavi et nigri in albis crustis, in similitudine erucarum, sed delicatissimarum albarum crustarum, habuerunt duo cornua longe extensa et quatuor cristas, sub cornibus quasi corona erat, superficies aquarum et terrae cooperuerant, erant foetidi valde, ita, ut et ipsi boves prae foetore incedere non poterant, caudas habebant in duplicem ramum extensas in longum, verum quo vesperi venerunt, eadem nocte evanuerunt, solas cristas albas permittentes. Ipse etiam oculis meis vidi; hi autem vermes erant circa Oroszfalu, Sárfalva, Szászfalu et Nyujtód.

Die 30-a Junii iterum fuit exiguus terrae motus.

Lues pecorum et hoc anno in summo grassatur.

Qui terrae motus contigit 11-a Junii, ex concussione terrae ex duabus partibus fluvii Bozza circa finem territorii nostri duae petrae ruptae sunt, et dicti fluvii alveum impleverunt, ne aqua cursum suum persequi valeret, hinc in tantum excrevit aqua, ut altissimarum etiam pinuum cacumina vix videri possent.

In eodem terrae motu Jassiis in Moldavia undecim monasteria, una turris, quae actu a 15 murariis aedificabatur, corruerunt, et omnes 15 murarios turris cadens oppressit.

Militia caesarea per totam fere aestatem aestivavit in Cottu Hunyadiensi, cum principe Lobkovicz;

hinc summa vastitas illi Comitatui et vicinis allata est. De longinquo etiam debebant ad castra cum summa molestia portare triticum, avenam et foenum.

Periculosissima pestis Cibinii, Carolinae, Claudiopoli, Dévae, et hinc inde in pagis diversis, ita, ut in quibusdam pagis vix aliqui homines remanserint, et forte in quibusdam nullus.

Annus etiam iste utcunque infelix fuit christianis; amisimus enim Orsovam, Mehádiam, Új-Palánkam et aliqua minoris considerationis loca. Praeterea vinum in tam exigua quantitate provenit, ut mea vita tam exiguum vini proventum non sciam. Jam tempore nativitatis Christi vinum novum 40 urnarum vendebatur etiam 50 florenis hung., antiquum vero 96 flor.; in educillis mensura vini novi vendebatur 7—8 polturis. Triticum non in magna copia habuimus, sed nec ex gelima ultra metretam acquisivimus, in vernalibus abundabamus, sed et in foeno deficiebamus.

Anno 1739. Quos dominos arestatos anno superiori notavimus, innocentes inventi, una cum Superintendente calviniano in Januario libertati restituti sunt; publicata etiam per totam patriam ex mandato caesareo ipsorum innocentia; Josephus vero Thordai de Csapó in aresto detentus est, eo, quod anonymo scripto innocenter detulisset Joannem Thuróczi de Csapó, propter quod et is arestatus erat, sed innocens inventus, dimissus, agere porro jure poterit contra Thordaium.

Die 14-a Februarii turris major cibiniensis fulmine tacta fuit.

Die 25-a Martii moritur dilectissimus nepos Volfgangus Apor de Al-Torja, cujus avus Andreas,

et parens meus Joannes, erant fratres carnales, et vel ideo mihi cum moerore memorandus, quod semper vixerimus in amore, quod nunquam inter nos triduanae dissidiae fuerint. Fuit coelebs tota vita.

Die 29-a Martii vesperi hora 8-a apparuit meteorum quoddam coeleste; ad dextram enim occasus aestivi totum coelum rubescebat.

In Martio hinc et inde magnae tempestates, tonitrua et fulminum ictus.

Diebus 9, 10, 11, 12-a Aprilis nives usque ad crura, 13-a vero fuit valde congelata terra.

Resolutus est pro consiliario Gubernii Michael Zekelius consul cibiniensis; C. Stephanus Mikes de Zabola factus est supr. Comes Cottus Szolnok Interioris; pro actuali Tabulae Reg. assessore definitus est Emericus Csulai; secretarius gubernialis ex parte catholicorum electus est Alexius Henter de Sepsi-Szentiványi; pro regestratore Gubernii assumptus est C. Franciscus Bethlen.

18-a Junii in montibus ceciderunt nives; item 16-a ejusdem erat magna pruina; occasione vero harum nivium et pruinae non solum pulli, verum et grandiores hirundines, prout et apes a potiori sunt mortuae.

Turcae expilant et comburunt Oknam in Valachia ditionis nostrae; vicem reddunt nostri Sprinzeriani levioris armaturae, comburentes et expilantes Kimpulung et vicinos pagos ditionis turcicae [illegible] in Valachia, in Julio per passum Törcsvárinum intrantes.

Feliciter nostri se gesserunt in [illegible] vallis Perisaniensis in confinibus Valachiae [illegible] dum sub commendo duorum bassarum [illegible]

carum oppugnassent, a nostris viriliter repressi sunt; per stratagema circumientes, potiorem partem turcae deleverunt, quinque tormenta, complura vexilla et aliquot tympana acquisiverunt, magnamque in turcis stragem addiderunt, praeterea castra cum omnibus curribus nostri acquisiverunt.

Copiae auxiliares Regii Electoris Saxoniae, reduces ex Valachia, pulchro et splendido ordine, primo quidem equitatus cataphractus, expost duobus tribusque diebus elapsis pedites transiverunt per urbem cibiniensem, ad 5200 universim.

Pax etsi non gloriosa, certo necessaria conclusa est inter christianos et turcas ad 24 annos, et quod maxime dolendum, tanto sanguine saepius amissum et recuperatum fortalitium Belgradense funditus cum omnibus aedificiis ex compactatione pacis deletum est, turcicoque jugo permissum, una cum Servia et Valachia Austriaca.

Balásfalvae aedificatur residentia episcopi Fogarasiensis, item monasterium graeci ritus, nec non gymnasium pro juventute valachica, ad quae Caesar contulit 25000 flor. Rhen., totidemque debent contribuere popae valachici per Transylvaniam.

Recte sub ipsa anticipatione circa festum S. Michaelis, dum Gubernium, supremi officiales ac deputati congregati fuerant, incepit pestis Cibinii; hinc tumultuarie qua qui poterant, omnes Cibinio exibant.

Die 7-a Octob. sepelivimus Albae-Carolinae ad S. Michaelem cum solenni pompa Baronem Gregorium Sorger episcopum Transylvaniae, die 16-a Septemb. mortuum.

Die 13-a Octob. intra 10 et 11-am noctis horam summum tonitru et fulgur.

Die 30-a Octobris 4250 muscovitae, kalmuki, tartari et cosaci, inter quos 250 erant regulati muscovitae, etquidem cosaci flintis, pistolis erant provisi, tartari vero pharetris et sagittis, qui praedatum venerant in Valachiam Transalpinam, sed quorum reditum (ut fama fert) intercluserat turca, multa praeda onusti, praecipue equis, equabus et cornutis pecoribus. exeunt per passum Bozza versus Zágon, et primam noctem egerunt in prato papolcziensi, secundam noctem egerunt extra passum Ojtoz, in loco Magyarostetö vocato, et inde in Moldaviam intrarunt. Commendarunt hos unus brigaderus generalis moscovita vel potius cosacus, quatuor colonelli de propria natione. Volebant quidem hi transire ob metum turcae per Máramaros, sed a Serenissimo principe Commendante Generali principe Christiano a Lobkoviez non sunt permissi. Hi parata pecunia debebant vivere. panis quidem et avena ex magazino dabatur. sed parum acceptarunt, tartari enim recentibus carnibus equinis vescebantur.

Scriptores hungarici et moscovitici sufficientem pro hoc anno scribendi habebunt materiam, ego. qui solum res transylvanicas prosequor, manebo in Transylvania. Cum 20 itaque regiminibus dum aliquo tempore princeps Christianus Lobkovicz [illegible] in Cottu Hunyadiensi, intravit in Valachiam Austriacam ibi nihil memoratu dignum operando, per [illegible] Rubrae Turris in Transylvaniam [illegible] ad finem Septembris, et omnia 20 regimina in Octobri [illegible] sine aggravio patriae, commorantur in hac patria prout et 13 regimina pro quartiris [illegible] in Transylvaniam. Praeterea annus [illegible] batur, plurima tonitrua, fulminum [illegible]

pontes destruxerunt, prata et quorundam pagorum jugera inundaverunt, ut verbo quasi incredibile est, quam procul se ab alveis extenderint, unde et aliquot homines extra alveos submersi sunt. Pluebat quasi sine intermissione a die 23-a Maji usque ad diem 10-am Julii inclusive.

Posteaquam ex domo Serenissima Habsburgica anno Domini 1272 Rudolphus I in imperatorem fuisset evectus, devicissitque gloriose Ottocarum regem Bohemiae in praelio interfectum, Austriamque hac gloriosa victoria sibi appropriasset: expost ab eodem augustissimo imperatore descendentes, dicti de domo Austriaca, et a Ferdinando I ab anno 1527 ad praesentem usque annum 1740, annis scilicet 213 apostolica mariana corona coronatis sacris verticibus Hungariam gloriosissime felicissimeque gubernassent, usque ad modernum augustissimum Carolum VI, qui etiam augustissimus imperator, dubius haeredis masculini, clementissima sua auctoritate effecit, ut ex eadem augustissima domo Austriaca foemineus sexus etiam sponte et libere a Statibus in successionem haereditariam dictorum regnorum acceptaretur; sed proh dolor, complorante universa ecclesia, attonito prae maerore orbe christiano, fatali et luctuosissimo, coronae apostolico-hungaricae ineffabili luctu, postquam eadem augustissima domus Austriaca meritis in Deum, in universam christianitatem, et vel maxime in Hungariam et eidem adjunctas provincias implevisset, in fato augustissimo imperatore Carolo VI die 20-a Octobris defuncto in virili defecit semine, cujus ut foemineus sexus virtutes virilis sexus sequi, et ad huc superare valeat, sincere opto.

Annus hic ingratissimam sui memoriam reliquit.

Nam erat charistia summa, ita, ut incolae ob intolerabilem famem ad exoticas partes se recipere habuerint necesse, triticum in magna parte Transylvaniae vel nullum vel exiguum, triticum saracenicum et panicum tempestiva pruina decoxit, avena utcunque provenit, sed immatura, vinum, ob tempestivum frigus et nives, nullum, grandines hinc inde in vineis et segetibus non exigua damna causarunt. Inaudita inundatio aquarum multis in locis segetes et foenilia sepelivit, quae contigit 2-a et 3-a Julii; ubi a memoria hominum aquae visae non sunt, insolita inundatio pluviarum et illa loca inutilia reddidit. 5-a Septembris Torjae fulmen unum meum acervum tritici percussit; disjiciendo ab igne salvare potui. Similiter in festo S. Michaelis in Comitatu Hunyadiensi horreum Dni Alexii Orbán in pago Benczencz simul et semel in quatuor partibus quatuor, et quintum fulmen unum acervum percusserunt, erant tamen fulmina sicca. Caules exiguas habuimus, pisa in multis locis ab eruca consumpta sunt, milium per totam patriam fere nullum. A 10-a Julii usque ad festum S. Michaelis continua siccitas, unde seminatura autumnalis de potiori a festo S. Michaelis est inchoata, ab eo vero tempore copiosae pluviae et nives. Triticum 7, de ordinario tamen 8, siligo 5—6, panicum hordeum, triticum saracenicum tribus et medio quarto, avena uno et medio floreno vendebatur, vinum unius anni jam tempore vindemiarum 60 ung. florenis veniebat. Messem tritici hic Torjae primo 26-a Augusti incipere potui.

Anno 1741. Indicitur Diaeta pro 20-a Februarii Cibinium. 22-a legitur catalogus. 23-a Sacri Rom. Imp.

siculorum : catholicus C. Ladislaus Gyulaffi de Rátóth, votis 63, B. Joannes Lázár de Gyalakuta, calvinista, votis 67; ex natione saxonica, lutherani: Petrus Binder, senator cibiniensis, votis 55, Michael Schüller, consul medgyesiensis, votis 81; ex unitariis sive arianis : Joannes Simon, votis 31. Si vero Excellmus Gubernator licentiam non haberet Viennam eundi, loco ipsius qui plura post ipsum vota habuit, supplebit; habuit vero praeses Tabulae B. Georgius Pongrácz. Si vero Excellmus Gubernator ascendet Viennam, habebit pro honorario 1000 ducatos, omnes vero diurnum habebunt 16 Rhen. florenos, praeter arianum, qui habebit 8. Expunctio articulorum augustae domui Austriacae praejudiciosorum necnon Societati Jesu ex Approbatis, Compilatis legibus, et modo indecisa mansit, causantes absentiam actualis praesidentis. Denique comitia haec erant valde turbulenta, in quibus variae disputationes, factiones et discordiae dominabantur, et primo soluta sunt die 18-a Maji.

Alexius Csató, filius quondam Joannis Csató de Delne, vice-judicis Regii sedis superioris Csík, Ordinis S. Francisci strictioris observantiae, bis hujus provinciae sancti regis Stephani Provincialis, nondum terminato secundo provinciolatu moritur; vir eximiae doctrinae, sapientiae et prudentiae, omnibus patriae filiis charus ob svavem et affabilem sui accomodationem, ita, ut ab inclyto Statu catholico Transylvaniae meruerit eligi in episcopum Transylvaniae. Vix spero, quod viro huic incomparabili per saeculum similem sint habituri Patres Franciscani in Transylvania.

Die 7-a Augusti Springeriani milites trajiciendo Petrum László ex Zágon occiderunt.

Reginalis Majestas resolvit in camerarios suos Comites Antonium Kornis, Stephanum Mikes, Franciscum Gyulai, Josephum Bethlen, Gabrielem Bethlen, Ladislaum Teleki, item Barones Paulum Haller, Ladislaum Kemény; in decretalem camerarium Comitem Dionysium Bánffi.

C. Ladislaus Gyulaffi de Rátóth resolutus in Cancellarium aulicum.

Ex electis in superioribus comitiis ad salutandam et homagiale obsequium deponendum reginae juxta resolutionem fatae Suae Mattis pergunt ad eandem, ex parte Comitatuum: B. Georgius Pongrácz, Tabulae Reg. praeses, catholicus, Michael Teleki, calvinista; a parte siculorum: C. Ladislaus Gyulaffi, neoresolutus Cancellarius et Sedis Udvarhely supr. judex Reg. catholicus, B. Joannes Lázár, calvinista; a parte saxonum: Petrus Binder, senator cibiniensis, Michael Schüller, consul medgyesiensis, qui in Octobri se moverunt. Arianus sive unitarius admissus non est.

Resolutus est in episcopum Transylvaniae B. Franciscus Klobusiczki.

Pro 15-a Novembris supremi officiales et deputati congregati sunt Cibinium ad decretum regium in quo mandat, ut 5 millia equitum bene armatorum sistantur ad servitia ejusdem. Verum dicti supremi officiales et deputati, ut de praeliminariis quidam fiat discursus, concluserunt, meritum vero hujus rei jecerunt ad communem congregationem regnicolarum pro qua impetranda die 24-a Novembris per [illegible] staffetam humillimam transmiserunt Regiae Maj[illegible]

...inii praestolantes resolutionem
...ad diem 15-am Decembris nulla r
...interim dissoluti sunt.

...quosdam zingaros pestis in sedem
...Moldavia allata, pululare cepit in
...Insola.

...etiam hic, a festo S. Michaelis u
...annum fere totus siccus, miserabilem
...reliquit, nam praeterquam quod ne
...mines recordantur, etiam nulla hist
...quod sic absolute nullum vinum in T
...provenisset — nam paucillum illud, quo
...provenit, pro nihilo reputandum est
...es per totum florida comparuit si
...cipias, nam triticum saracenicum circ
...bris ex magna parte pruina decoxit. I
...siccitate infiniti quasi mures maxima
...tam in pagis quam in campis.

...Ladislaus Gyulaffi de Rátóth, ascend
...ad munus Cancellarii aulici trans
...um.

...obaldus Sacri Rom. Imp. Comes a
...interimalis Generalis Commendan

...1742. Die 22-a Januarii in festo
...potens erat sol in calore, ut hic
...ranarum audiverimus.

...staffetam die 24-a Novembris scr
...accessisse ad reginam ratione 50
...a regina cum resolutione rediv
...hinc pro die 27-a Februarii genera
...vocatus Cibinium. 1-a ergo Marti
...quo perlecto, invitatus Reg.

STANFORD LIBRARIES

sarius Theobaldus Comes a Csernin comparuit inter regnicolas, et nomine reginae resolutionem publicavit, quod nempe nonnisi 1000 equites sumptibus Principatus desideret regina: duo vero millia peditum sine sumptu Principatus pro supplemento aliorum regiminum velit habere. Huic propositioni simile decretum reginae est publicatum inter Status, verum Status non consenserunt ut duo millia peditum pro supplemento regiminum dentur, sed maluerunt offerre integrum pedestre regimen.

Eodem die 1-a Martii publicatus est tam per decretum, quam diploma episcopatus Transylvaniae Excellmi ac Rndissimi Dni Francisci Nepomuceni Klobusiczky, et penes dictum diploma etiam installatus est in consiliarium Gubernii.

13-a Martii fit votisatio pro consiliario et supr. Provinciali commissario, 14-a vero ejusdem publicatur candidatio, sic: ex parte catholicorum pro consiliario: B. Petrus Apor, votis 70, B. Joannes Toroczkai, votis 63, B. Franciscus Haller, votis 30; ex parte reformatorum sive calvinistarum: C. Adamus Bethlen, votis 62, B. Stephanus Daniel, votis 33, Gabriel Alvinczi, votis 32. Pro Commissario provinciali, ex parte catholicorum: C. Antonius Kornis, votis 68, C. Stephanus Mikes, votis 64, B. Ignatius Bornemisza, votis 37; ex parte reformatorum sive calvinistarum: C. Emericus Bethlen, votis 53, B. Volfgangus Bánffi, votis 47, C. Michael Teleki, votis 39.

De praefatis vero 3000 militibus inclyti Status talem fecerunt subrepartitionem, ut nempe repartiantur juxta calculos contributionales, sic ergo inclytis comitatibus a calculis 37 obveniunt milites in uni-

versum personae 1056, ex quibus equites 352, pedites 704; inclytae nationi siculicae a calculis 17, personae in universum 486, ex quibus equites 162, pedites 324; Comitatibus readplicatis a calculis 7, personae in universum 201, ex quibus equites 67, pedites 134; almae nationi saxonicae a calculis 37, personae universim 1056, ex quibus equites 352, pedites 704; locis taxalibus a calculis 7, in universum personae 201, ex quibus equites 67, pedites 134. Summa summarum 3000, ex quibus equites 1000, pedites 2000.

In Martio cometa apparuit, qui non diu duravit.

Hyems utcunque sine nivibus transiit, in Martio subinde abundans nix; 1-a vero Aprilis et 2-da ad mediam quasi diem ningebat, et copiosa nix decidit, a prandiis pura aura, 3-a demum Aprilis intensum frigus mane. Die 9-a Martii fluvius Aluta ita defecerat, ut in alveo per aquam quivis pedes unum passum faciendo facile transiverit; in quo loco inceperit aqua deficere, nullus relationem certam adfert; certum quidem est, superius molas in Gidófalva, et inferius in Kilyén suum cursum tenuisse, in Sepsi-Szent-György vero et in Bedőháza intermediis molis aquam fere totam defecisse, ita, ut hae molae cursum suum tenere non valuerint.

6-ta Aprilis quadrante ad tertiam erat sensibilis terrae motus. 13-a Aprilis nix duorum digitorum et magnum frigus. 16-a Aprilis crurum tenus cecidit nix, et eodem die per trahas ivi ad templum, sed ipsissima die iterum liquefacta est.

Nota posteritas: Joannes Kászoni, modo dictus Joannes Bornemisza L. B. de Kászon, nam cognomen ipsius prius solum erat Kászoni, sed per clementiam

augustissimi Caroli VI addidit Bornemisza, cujus progenitores ex Nagy-Kászon oriundi, ibique cognomine Csutak vocati, nobiles unius sessionis, per matrimonium acquisiverant aliquam possessionariam portionem in Cottu Albensi, pago Váradgya, penes Albam Carolinam, ibique in portu salinario minora gerebant officia. Modo vero dictus Joannes Bornemisza, tum Kászoni, anno 1687 Claudiopolim ad studia venit, cui ego puer convixi tribus annis, nam eodem anno inchoavit sua studia a poësi, altero anno continuavit rhetoricam, tertio demum anno didascalus minimistarum, seu docuit parvam scholam. Expost penes Lib. Baronem Michaelem Száva scribae officio functus, ab eodem, tanquam salisfodinarum inspectore, constitutus fuit magulator salisfodinarum Kolosiensium, per Comitem vero Stephanum Apor, tanquam thesaurarium, earundem salisfodinarum supremus inspector nominatus est; quo officio aliquot annis dextere functus, dum Franciscus Balog de Radnót cessiset sponte officio perceptoratus thesaurariatus, per dictum Stephanum Apor in ejusdem officium successit. Quo officio per totum tempus Rákócziani motus functus, cum Benedictus Henter de Sepsi-Szent-Iványi, supr. judex Reg. sedium siculicalium Csík utriusque Gyergyó et Kászon, partes Rákóczianas sequeretur et in Moldavia delitesceret, per recommendationes varias, anno 1708 earum incl. sedium supr. judex Reg. electus et confirmatus fuit. Mortuo vero augustissimo imperatore Josepho, dum piissimae memoriae imperator Carolus VI felix regimen auspicaretur, cum C. Ladislao de Bethlen, Reg. deputationis membro ex parte comitatuum, et Joanne Hozman, aeque deputationis membro et consule

que novae centuriae, quaelibet centuria constans ex 140 capitibus, applicabuntur regimini Gyulaiano, quarum aeque officiales aptos cum cointelligentia tribuni patria denominabit; utrumque hoc regimen denominationem habebit legionis transylvanicae.

Die 24-a Maji vesperi hora 11-a obdormivit in Domino C. Franciscus Lázár de Szárhegy, inclytorum sedium siculicalium Csik utriusque Gyergyó et Kázon supr. judex Reg. prius Tabulae Judiciariae Reg. assessor, meus consobrinus, affinis, et quondam in rhetorica condiscipulus, amicusque sincerissimus, dilectissimus.

C. Josephus de Bethlen, supr. Comes Cottus Máramarosiensis moritur, ut dicitur, in peste.

Natio saxonica in sumptu militiae equestris difficilem se praebuit, causans insufficientiam suam, unde etiam per Consilium Bellicum reginam supplicavit, quae Serenissima decreto insinuavit sublevationem ejusdem nationis. Hoc decretum lectum est die 28-a Maji, verum Status reliqui inhaeserunt semel factae subrepartitioni; sed et natio saxonica postremo consensit, ea conditione, ut si in augusta Aula gravata agnoscetur, reliquae duae nationes eandem sublevent; verum et aliae duae nationes Suae Regiae Majestati transmittent, modo vero ad capitulationem descenderunt. Sed quia regina desiderabat, ut legio equestris usque ad finem belli sumptibus patriae, praeter ordinarium quantum contributionale, sustentetur, defectusque si qui fuerint, expost patria per recrutas resarciat: ad quod desiderium reginae dum Status non consensissent, eidem serenissimae reginae rescripserunt.

Regina diaetam pro 21-a Maji indictam per de-

cretum solvi jubet, et 20-a Augusti rursum reassumendam mandat, tamen ut ante solutionem diaetae personae aptae eligantur pro Cancellario provinciali et Thesaurario. Suae Matti pro confirmatione quantocyus transmittendae. Electae ergo sunt personae, pro Cancellario ex parte catholicorum : B. Georgius Bálintith. votis 57, B. Franciscus Klobusiczki, episcopus Transylvaniae, votis 39, B. Georgius Pongrácz, votis 36; ex parte reformatorum: C. Michael Teleki, votis 47, C. Adamus Bethlen. votis 37, Gabriel Alvinczi, votis 32. Pro thesaurario, ex parte catholicorum : B. Joannes Toroczkai, votis 57, C. Stephanus Mikes, votis 33, C. Antonius Kornis, votis 32; ex parte reformatorum: B. Sigismundus Bánffi, votis 39, C. Adamus Bethlen, votis 27, B. Josephus Naláczi, C. Michael Teleki, B. Stephanus Daniel, votis 22.

Die 26-a Junii exeo Cibinio.

Cibinium pro 20-a itaque Augusti rursum Status congregantur, sed Commissarius regius Theobaldus Comes a Csernin primo 13-a Septembris propohit propositiones regias; cujus synopsis haec est : 1-o juridica sub hac diaeta tractentur; 2-o ut inarticuletur successio haereditaria domus Austriacae, et contrarii articuli domui Austriacae e juribus eliminentur, similiter ut articuli religioni catholicae contrarii, necnon proscriptionem Patrum Societatis et eorundem fautorum concernentes deleantur, iidemque Patres solenniter acceptentur, bonaque eorundem a nomine fiscalitatis absolvantur; 3-o ut contributionum certa norma et methodus figatur conscriptione mediante; 4-o ut tam supremis quam vice-officialibus instructiones dentur, et certa iisdem solutio determinetur; 5-o ut in elocatione pecuniae quam naturalium interesse

sex per centum ne superet; 6-o ut jobbagyones quatuor, inquilinos tribus diebus domini terrestres ad labores compellant; 7-o resolvit Sua Mattas pro vacantibus officiis sequentes: pro Praeside Statuum C. Adamum Bethlen, ad officium consiliariatus et thesaurariatus B. Joannem Toroczkai, ad cancellarium provincialem simul et consiliarium B. Georgium Pongrácz, pro Tabulae Reg. praesidente B. Georgium Bálintith; ad vacantias Tabulae Reg. resoluti sunt: B. Josephus Huszár, Samuel Bethlen de Iktar, Joannes Béldi, Alexius Székely et Stephanus Berzenczei.

Pro supr. commissario provinciali resolutus est C. Antonius Kornis.

Ad novum exactoratus officium resoluti sunt: pro supr. exactore: Sacri R. Imp. C. Michael Teleki, pro adjunctis: Stephanus Gáborffi, Georgius Antos et saxo Petrus Binder; item penes hos resoluti sunt unus protocollista, tres cancellistae et unus officii servus. Solutionem habebunt ex cassa provinciali.

Pro registratore resolutus est Adalbertus Geczö; pro requisitore litterarum penes Capitulum Albense Gabriel Nagy, penes Conventum Kolosmonostriensem Petrus Endes et Stephanus Pataki, civis Claudiopolitanus.

17-ma Septembris B. Joannes Toroczkai in thesaurariatum et consiliariatum installatus est.

Die 24-a Septembris publicatur diploma Samuelis Bethlen de Iktar, in quo creatur Comes.

Ut legio equestris transylvanica a provincia erigenda toto belli tempore a Principatu alimentetur, regina volebat, secus tyrones in alia regimina distribuendi; verum Status non consenserunt, sed ut legio

absolute erigatur, et semel pro semper loco alimentationis patria obtulit 100000 flor.

Intra 29-am et 30-am Septembris hora noctis 12-a moritur sub diaeta Simon Bauzner, judex Reg. cibiniensis et nationis saxonicae Comes.

Quia vero C. Adamus Bethlen noluit deponere juramentum pro Praeside Statuum, praetendens, praesidem simul esse debere consiliarium Gubernii, certa vero pars Statuum censebat non esse de necesse esse consiliarium Gubernii, sed distincte posse esse praesidentem : hinc, tam ratione formae juramenti, quam vero de conjunctione duorum dictorum officiorum res transmissa pro decisione ad aulam regiam. Sed quia interim pestis severissime pluribus in locis pululare cepit, ex hoc metu die 8-a Octobris Status dissolvuntur, ea conditione, ut nisi pestis impediat, pro die 15-a Novembris rursum congregentur huc Cibinium.

Moritur in Julio Alexius Orbán, sedis Aranyas supr. judex Reg.

5-a Novembris vehementissime ningebat. et tamen ad Cibinium tonitru et fulgur fuit.

Quoniam vero pestis jam in tantum saeviat, ut 130 pagi circum cum urbe Claudiopolitana infecti numerantur, quae vero persona peste inficitur, intra 6, ad summum 12 horas mori necesse habeat, rarissimi usque in diem tertium perveniant, quam vero domum inficit, ex ea domo omnes fere ad unum moriantur : sic ex hac ratione diaeta, quae 15-a Novembris continuari debebat, in tempus sanius et commodius differri debuit.

Jam etiam ratione legionis equestris Transylvaniae multarum disputationum finis est, et brevi erigetur, cum conditione superius declarata, cujus

stabales officiales creati sunt a regina colonellus C. Antonius Kálnoki de Köröspatak. vice-colonellus Volfgangus Macskási.

21-a Novembris rursum tonitru auditum. Annus vero hic mediocris sperabatur in fertilitate, verum multis in locis in autumnalibus deficit. uvae ad perfectam maturitatem pervenire non potuerunt. hinc vina acida et valde pauca; fulminum ictus sunt frequentissimi, plurimos homines, jumenta et aedificia conquassaverunt. Die 8-a Augusti Torjae cujusdam juvenis caput per medium percussit, unde pileus ipsius petasus in plurima frustra laceratus est. juvenis tamen vivus et absque notabili alteratione remansit. quamvis penes juvenem ex ejusdem fulminis ictu tres boves crepuerint.

Dicta die 21-a Novembris summa claritas in coelo ac si fulgur, circa horam 6 vespertinam, ita. ut quosdam etiam terruerit, et duravit per unum Ave Maria.

Superius notatus Joannes Bornemisza L. B. de Kászon moritur Viennae et sepelitur in Cellis in Styria.

Superius inscripti ad aulam regiam ex parte nationis saxonicae delegati: Petrus Binder, senator cibiniensis, et Michael Schüller, consul medgyesiensis, creati sunt consiliarii honorarii.

C. Ladislaus Gyulaffi, cancellarius Viennensis declaratur consiliarius Status intimus.

Resoluti sunt Viennae pro capitaneo Terrae Fogaras B. Andreas Szent-Kereszti; pro supr. judice Reg. sedis Csík C. Franciscus Kálnoki, uterque sine candidatione, per commutationem; pro supr. Comite Cottus Albensis C. Stephanus Mikes; pro supr. Co-

mite Cottus Hunyadiensis Petrus Macskási; pro Tabulae assessore C. Lazarus Apor; pro secretario Gubernii Stephanus Boér de Nagy-Nyujtód. Supremis officialibus in locis majoribus salarium dabitur 1000 Rhen. flor., in mediocribus 800, in minoribus 600, vice-officialibus 150, notariis 80.

Anno 1743. Luctuosissimum initium hujus novi anni mihi, nam mea dilectissima conthoralis, Barbara Kálnoki, cum qua ab anno 1699 convixi, die 7-a Januarii hora 7-a vespertina placidissime obdormivit. Tumbae imposita 10-a Januarii, cum solenni pompa vero sepulta Al-Torjae in crypta Aporiana 27-a Januarii; cujus tumbae Dnus Joannes Dombi de Ikafalva, actualis vice-judex Reg. sedis Kézdi, idiomate hungarico hoc epitaphium apposuit:

A méltóságos gróf Kálnoki Borbára,
Liber Báró Apor Péter úr hív társa,
Jó gazdasszonyságnak mutatópéldája.
Itt fekszik bézárva örökös házába.
Hatvankét esztendőt töltött e világban,
Negyvennegyed felet a szent házasságban:
Midőn ezerhétszáz negyvenharmadikban
Irnának, múlék ki: nyugodjék az Úrban.

Pater Michael Cseh, 33 annorum plebanus Altorjensis et archidiaconus Háromszékiensis, et Mathias Szálpek creati sunt actuales canonici Carolinenses; item Martinus Szépvízi, plebanus Csík-Somlyóiensis et archidiaconus Csíkiensis. Adalbertus Antal, neocreatus archidiaconus Háromszékiensis et plebanus Polyániensis, Joannes Bíró, plebanus Claudiopolitanus facti sunt titulares canonici Carolinenses.

Georgius Keszler, judex Reg. Szeredahelyszékiensis, denominatus est consiliarius honorarius.

Hactenus tam supremis quam vice-officialibus

comitatuum et sedium siculicalium. quasi in salarium. dabantur in aestate. etquidem supremis officialibus ab integris comitatibus et sedibus. vice-officialibus vero certi messores et falcatores. qui modo per reginam sublati sunt. cum quocunque titulo nuncupato quaestu. salvis remanentibus juridicis proventibus; sed loco laboratorum dabitur certa summa pecuniae a locis desumenda: etquidem supremis officialibus comitatuum in Cottibus Albensi. Thordensi. Kükölöiensi, Hunyadiensi et Zarándiensi. sedibus Udvarhely et Háromszék 1000 rhen. flor.; vice autem officialibus. supremis judicibus nobilium, vice-judicibus Reg. singillatim rhen. flor. 150, notariis in hac prima classe 80. In Comitatibus vero Szolnok Mediocri et Interiori, Dobocensi, nec non Sedibus Siculicalibus Csík et Maros, nec non districtibus Fogaras. Kövár supremi officiales habebunt 800 flor. rhen.; in Cottu Kraszna et Sede Siculicali Aranyas supremi officiales desument flor. rhen. 600. In his ultimis duabus classibus supremi judices nobilium et vice-judices Reg. siculi nec non vice-capitanei in Districtibus habebunt flor. rhen. 100. vice-comites 80, notarii secundae et tertiae classis 60. vice-judices nobilium in tribus classibus distinctim rhen. flor. 20.

Deputatis ex omnibus locis ad diaetam proficiscentibus dabuntur rhen. flor. 50 singulis deputatis: ad anticipationem flor. rhen. 30.

Pro expensis ad celebrandas Generales Sedes judiciarias, in Cottu Albensi flor. rhen. 30, in Cottu Kraszna et sede Aranyas flor. rhen. 100.

In reliquis comitatibus, sedibus siculicalibus et districtibus separatim flor. 200.

Pro celebrandis Partialibus Sedibus flor. rhen. 20; pro Filialibus flor. rhen. 10.

Baro Joannes Lázár resolutus est pro supr. Comite Cottus Szolnok Interioris.

Pro 21-a Augusti diaeta est publicata Cibinium, eadem die catalogus est lectus, et installatus in praesidem regni juramentumque deposuit C. Adamus de Bethlen; 22-a idem deposuit juramentum pro consiliario Gubernii. 23-a allatae resolutiones per Viennenses delegatos lectae sunt. 26-a Commissarius Reg. Theobaldus Comes a Csernin proposita regia proposuit; collationes vero regiae sub hac diaeta publicatae sunt: 30-a Augusti Baronatus Georgii Barcsai; armales, signanter 30-a Augusti Joannis Vizi tricesimatoris Zilaiensis, Joannis Drágus, postarum magistri Carolinensis, Danielis Löffler, Nicolai Ivaskó; verum contradictum est Joanni Drágus per Status, eo, quod indigena non sit. 31-a Augusti installati sunt in Tabulae Reg. assessores B. Josephus Huszár, C. Samuel Bethlen de Iktar, Joannes Béldi, Lazarus Apor, Alexius Székely et Stephanus Berzenczei. 1-a Septembris Valentinus Theophilus Kiszing publicatur honorarius consiliarius. 2-a Septembris armales Francisci Hunyadi procuratoris et civis Claudiopolitani, 2-a Sept. Thomae Monos cancellistae, item armales Samuelis Halmágyi licentiati; Illrmi Joannis Michaelis Moringer baronatus et indigenatus. 4-a Septembris armales Samuelis Bene alias Kászoni, tricesimatoris Somlyaiensis, item armales Andreae Volfgangi Vieland, civis et mercatoris Cibiniensis. 7-a Septembris Illrimi Dni C. Antonii Kornis super officio supr. Commissariatus, 9-a Septembris Petri Binder de Saxenfels, senatoris Cibiniensis exactoratus pro-

vincialis. Item 9-a Septembris armales Michaelis Schüller de Sonnenberg. consulis mediensis. Andreae Haan. judicis Reg mediensis de Harmenstein. Andreae Waldhütter de Waldburg. consulis schaesburgiensis. Joannis Georgii Klep de Starenburg. judicis Reg. schaesburgiensis. Stephani Seivert. judicis bistriciensis de Rosenberg. Georgii Keffler de Kefflern. judicis Reg. mercuriensis: 10-a Septembris armales Danielis Ritter. senatoris cibiniensis de Rittern.

13-a Septembr. Quia Nicolaus Pujj. ex Comitatu Hunyadiensi. trajiciendo Stephanum Buda occidit. fugit inter Turcas. adeoque principem Josephum Rákóczi, ideo 13-a Septembris a Statibus nota infidelitatis condemnatus est.

Sub hac diaeta maximae discordiae et altercationes inter catholicos et acatholicos. In hoc quidem omnes consenserunt. ut articuli Portae Ottomanicae faventes deleantur. novique articuli condantur ad haereditariam successionem augustissimae domus Austriacae. verum catholici volebant mentionem fieri in articulis illis de articulis etiam praejudiciosis religioni catholicae. acatholici nullo modo consenserunt. sed volebant, ut separati articuli de praejudiciosis illis articulis suo tempore scribantur. Cum prolixe disputatum fuisset, ne coram regina catholici culparentur, remiserunt hanc suam praetensionem; vice versa, ad eosdem articulos acatholici volebant inserere diploma. quod catholici nullo modo admiserunt; et postquam per aliquot dies fuisset disputatum, nec convenire potuissent, res perscripta est ad aulam cum rationibus utriusque partis

Decretum venit: ne Patres Franciscani Reformati sua monasteria et residentias, prout etiam per-

sonas augeant, cum sit aggravio populo pluralitas ipsorum; de moderno etiam eorum statu regina informetur.

Nicolaus Keresztúri incl. sedis Marus supr. judex Reg. optimus catholicus, optimae conscientiae, optimus jurista, meus optimus amicus, cui ab anno 1686 usque ad annum 1690 in scholis Claudiopoli convixi, et etiam conjunx ipsius mea consobrina fuit, moritur 1-a Novembris.

Annus hic quoad autumnalia infelix fuit, siligo quidem utcunque serviebat, verum ubi purum triticum seminatum fuit, ibi de potiori herbae inutiles provenerunt, ex 4 et 5 gelimis etiam vix metreta provenit; vernalia utcunque habuimus, vinum plane exiguum, et illud acidum.

C. Antonius Kornis in consiliarium gubernialem cum praecedentia, absque tamen sessione et voto; in Districtu Kőváriensi supr. capitaneus B. Paulus Haller; in sede Aranyas pro supr. judice Reg. Alexius Orbán; et pro Tabulae Reg. assessore B. Franciscus Bánffi resolvuntur.

Hoc anno primo augustissima regina Maria Theresia dignata est assumere titulum Comitis Siculorum.

Anno 1744. 15-a Januarii circa mediam nonam matutinam tribus repetitis vicibus utcunque magnus terrae motus erat.

Item in Januario comparuit cometa ad occidentem, Coronae quidem tres visos scribunt, ad orientem et septemtrionem, et hunc ad occidentem.

C. David Petki de Királyhalma, prius Comes supr. Cottus Kolosiensis, expost Regius Gubernii consiliarius, vir vere mitis, humilis, conscientiosus,

justitiae amantissimus. omnibus charus, omnibus acceptus. affabilis, maximo apud omnes sui desiderio relicto. sed vel maxime ineffabili moerore meo, nam a puero diligebamus ita invicem, ut fratres carnales uterini majori dilectione se diligere non poterant. 6-a Februarii moritur.

Hyems erat saevissima. frigidissima. sine intermissione, Boreas etiam quosdam in campo occidit iterum: nives non erant copiosae.

B. Samuel Kemény, Cottus Dobocensis supr. Comes, vir mitis et moderati genii. moritur Cibinii 19-a Martii sub diaeta.

Quae diaeta publicata fuit anno superiori pro 21-a Augusti Cibinium, et interrupta die 10-a Octobris, eadem hoc anno 7-a Januarii reassumpta fuit. In hac continuatione disceptabatur de inarticulationibus, prout superius notavimus, item de limitatione. verum nihil est decisum. Interim Bacchanalia sumptuosa quasi ad nauseam celebrabantur, cum exquisitis conviviis, musicis, choreis et potationibus. Simul varia portenta narrabantur quae Cibinii contigissent. scilicet quod supra turrim majoris templi saxonici apparuerit sepulchrum cui assidebat angelus. equus in aëre visus, et quod lamiae supra cujusdam domus cacumen choreas duxerint, et musicus quidem se musicum inter illas egisse fatebatur consuli Cibiniensi; item quod Coronae quidam aquaeductus sanguine manaverit.

7-a Februarii Aronis Baka de Kurtapatak armales publicatae sunt.

In locum superius laudati defuncti C. Davidis Petki pro consiliario guberniali electae sunt personae, ex parte catholicorum: Cancellarius aulicus C.

Ladislaus Gyulaffi, votis 50, B. Petrus Apor, votis 34, B. Franciscus Haller, votis 28; ex parte acatholicorum: B. Stephanus Daniel, votis 71, C. Emericus Bethlen, votis 33, B. Volfgangus Bánffi, votis 37.

Sub hac continuatione diaetae variae quidem res disceptabantur, sed quia nulla decisio facta est, ideo nec notatione in particulari dignae.

Sed diaeta iterum ad ferias paschales interrupta, rursum 20-a Aprilis inchoata.

Iterum in fine Martii, et ad initium Aprilis visus est cometa, cujus cauda vergebat ad meridiem.

Nota posteritas, quod mea aetate in hac terra frigida Háromszékiensi non contigit: ad finem Aprilis quaedam arbores flores emiserunt.

Prout adhuc anno 1730 Status et Ordines Transylvaniae consenserant Claudiopoli, ut articuli praejudiciosi augustissimae domui Austriacae et religioni catholicae delerentur: sub hac diaeta illi articuli articulariter sublati sunt.

Quidam monachus schismaticus, vulgo Kaluger, Bessarion nomine, ficta hypocritica sanctitate, nonnisi aliquot ficuum et fabarum esu superque lapides cubando, sibi apud valachos transylvanos falso sanctitatis nomen obtinuit, qui etiam multos seduxit, ut valachi ab unione cum romano-catholicis resilirent: dumque omnes fere valachi decepti eundem sequi viderentur, arestatus, Cibinii, et inde Dévam ductus fuit, ubi ex aresto per vim 600 valachi eripere volebant, ita ut commendans Dévensis tormenta contra ipsos dirigere habuerit necesse, et sic sedati sunt. Duodecimque tales in Transylvaniam venisse fama fert, quodve jam octo captivi detinentur, ut

valachos ab unione catholica redire intenderent, du
decim hi a ficto et hypocrita dependentiam habent.

Quamvis ante diem 19-am Junii nocte praece
serat tempestas, 19-a tamen vesperi incepit nova
duravit tota nocte et tota die 20-a; erant fulgura m
xima ut et tonitrua, plurima fulmina cadebant, gran
ad instar ovi columbini, inaudita praeterea exundat
aquarum, cui similem moderna aetas non vidit, mu
tas molas confregit, et in ipsis pagis exundatio m
xima damna causavit, prout et multa foenilia et agr
destruxit.

1-a Julii dissoluta est diaeta.

Ex Moldavia lues pecorum elata, pecora in cop
crepare inceperunt.

Siquidem rex Borussiae regnum Bohemiae in
sit, Pragamque expugnavit, hinc venit decretum
ginae, ut et Transylvania viritim insurgeret, me
enim esset, ne idem rex etiam regnum Hungar
invaderet. Hinc magnates Tabulae Reg. et deput
tempore anticipationis Cibinii congregati, resolveru
omnino insurgendum esse viritim, praeterea a quib
vis 30 subditis in Comitatibus, in Siculia vero a
unus bonus armatus eques miles sistatur.

Regina sola indicit diaetam pro 12-a Novemb
Cibinium, in qua, sicut in praecedenti diaeta, artic
praejudiciosi augustae domui Austriacae necnon r
gioni catholicae, praecipue sacrae Jesu Societati
legibus patriae deleti sunt, et loco illorum e diame
contrarii sanciti, sub hac diaeta per augustissim
reginam confirmati sunt.

Resolutus est in Gubernialem consiliarium c
salario C. Adamus Bethlen, qui hactenus erat sup
numerarius, ejusdem vero filius Gabriel assump

STANFORD LIBRARIES

est in supr. Comitem Cottus Dobocensis. Stephanus Berzenczei confirmatus est supr. judex Reg. Sedis Siculicalis Maros. Michael Diószegi autem fit assessor Tabulae Judiciariae Reg.

Nota posteritas. Videbis superius, quoties ego fuerim electus in Gubernialem consiliarium. sed quia sorte mea semper contentus fui, nunquam sollicitavi; modo vero magna pars patriae, sed praecipue inclyta natio siculica absolute volebat, ut ego gubernialis persona fierem; sed quia jam ultima aetas advenit, in viribus valde debilitatus sum, sanitasque jam mea nimie mutata est, ideo humillime debui me excusare.

Annus hic in frumento mediocris erat, vinum in tertialitate provenit, sed bonum; grandines et tempestates non deerant. Ego vero Torjae plane defui in tritico.

In recompensationem capitalis insurrectionis, patria promisit reginae unum regimen equestre, quod debebant erigere magnates et omnes nobiles, qui a contributione erant immunes.

1-a Februarii natus est serenissimus archidux Carolus Josephus. Vivat.

Anno 1745.5-a Januarii erat exiguus terrae motus.

B. Joannes Toroczkai de Toroczkó-Szent-György, jam actualis thesaurarius, moritur die 25-a Januarii circa auroram intra secundam et tertiam horam Cibinii, qui qualis meus amicus fuerit, descripsi superius ad annum 1733, ubi ipsum installatum veram in supr. capitaneum Fogarasiensem, adeoque mortem ipsius magno cum moerore intellexi.

Installantur supremi officiales in Cottus Dobocensi pro supr. Comite C. Gabriel Bethlen. [illegible]

Marus pro supr. judice Reg. Stephanus Berzenczei, denique in Sede Aranyas aeque pro supr. judice Reg. Alexius Orbán.

Anno superiori mandaverat regina secundum leges patrias generalem insurrectionem ad bellum: unde etiam circa 28-a Octobr. generalis lustra instituta fuit per totam patriam, verum Status et Ordines in diaeta ante nativitatem in redemptionem personalis insurrectionis promiserant reginae 1000 equites milites, quibus regina contenta non fuit, verum formale regimen, quod in finem moderni belli militaret, desideravit; hinc modo incumbunt comitatus et sedes, ut voluntati reginae satisfiat.

Hyems erat frigidissima utcunque nivibus mixta.

Stephanus Valdchircer, hactenus consul cibiniensis, resolutus est comes nationis saxonicae, qui conversus fecit professionem religionis catholicae. Michael vero Zekelius factus est judex Reg. cibiniensis.

28-a Aprilis nix crurum tenus cecidit, quae tamen 29-a ejusdem soluta est.

Anno superiori nominatum regimen equestre per magnates et nobiles erectum, debuit se sistere ad Válaszút, et ibi assentati, habuerunt lustram die 15-a Maji.

Super quantum hactenus patriae inflictum iterate mandavit regina patriae titulo surrogati in necessitatem moderni belli fl. rhen. 73564 in cassam bellicam spatio unius mensis administrandos; hinc, ut tempore anticipationis solet, supremi officiales et deputati 1-a Junii debebunt comparere Cibinii.

Ubi vero comparuissent, praefatam summam denegarunt pro hic et nunc, sed distulerunt ad comitia generalia regni.

Sacri R. Imp. Comes Michael Teleki. exactoratus provincialis praeses moritur in Héviz die 10-a mensis Septembris. cui in eruditione et humanitate vix modo par dabatur.

Regimen a magnatibus et nobilibus erectum in Majo se movet versus Bohemiam, cujus constitutus supremus colonellus B. Andreas Szent-Kereszti in Bohemia mense Septembri placida morte obiit.

Iterum plurimis in locis summa lues pecorum, quin imo canes circa autumnum plurimi fiunt rabiosi, sed certis in locis et sues.

Anno hoc autumnalia de potiori parce provenerunt, vernalia utcunque, vinum paucissimum sed bonum. Annus transiit sat quietus, absque notabilibus tempestatibus, rarisque grandinibus.

28-a Novembris in initio aurorae fuit fulgur et tonitru.

B. Georgius Bálintith de Tövis, Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius, et Tabulae Reg. praeses moritur Medgyesini 20-a Decembris, hora 4 matutina.

B. Stephanus Daniel de Vargyas resolvitur in supr. judicem Reg. Sedis Udvarhely.

Anno 1746. Quam legionem equestrem nobilitas anno superiore erexerat sub tribuno Barone Andrea Szent-Kereszti, qui etiam dum in Moraviam veniret, cito fatis functus est, pro-tribuno Nicolao Macskási, supremo vigiliarum praefecto Comite Francisco Batthyán, illam regina ad initium hujus anni solvi et dimisit [1]).

Indicitur diaeta pro 15-a Febr. et subito publica-

[1]) Egy újabb példányban: quia praedicti stabiles militiae homines erant.

tur Baronatus: Alexii Orbán supr. judicis Reg. sedis Aranyas, Davidis Henter protonotarii regni, et Gabrielis Alvinczi secretarii gubernialis; paulo post vero publicatur titulus Comitis familiarum Rhédai, Vas et Tholdalagi, nec non Baronatus Michaelis Diószegi.

Regina in propositione desiderat pro ordinario a regno rhen. fl. 700000, verum fixe ultimatim quantum determinatum est in fl. rhen. 609940 et xr. 30, surrogati titulo pro anno 1745, 73564, pro extraordinario quanto provinciae 120000, pro donario novi caesaris floreni 33333, xr. 20, item surrogatum pro anno 1746 fl. rh. 111892; quantum ergo hujus anni constabit in fl. rh. 948729. xr. 50.

Electi sunt pro thesaurario, ex catholicis: C. Stephanus Mikes, votis 70, C. Antonius Kornis, votis 59, B. Ignatius Bornemisza, votis 33; ex reformatis: B. Sigismundus Bánffi, votis 72, B. Joannes Lázár, votis 57, B. Volfgangus Bánffi, votis 53; ex natione saxonica: Michael Rosenfeld, Stephanus Vantitter et Michael Schüller.

Sub hac diaeta magna fuit dissensio inter Gubernium et Status. Hyems transit absque nivibus cum mediocri frigore, verum circa medium Martii ingens nivis copia cecidit.

